VINDICIAE CENSURAE FACULTATIS THEOLOGIAE PARISIENSIS...

Jean Du Vergier de Hauranne

Digitized by Google

13
21 H
30

M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIAE

FACVLTATIS THEOLO ... ENSIS

SEV,

RESPONSIO DISPVNCTORIA

AD LIBELLVM CVI TITVLVS

HERMANNI LOEMELII ANTVERP. &c. SPONGIA.

CVIVS MENDACIA, CONTVMELIÆ, IGNORANTIÆ, ET HÆRESES NOVISSIMÆ IN

CENSVRAM SACRAE FACVLTATIS THEOLOGIAE Pariſienſis, aduerſus librum pſeudonymum Danielis à Ieſu de regimine Eccleſiæ Anglicanæ, erruuntur & refelluntur ad verbum, inſerto ipſo textu Authoris.

Authore PETRO AVRELIO Theologo.



PARISIIS,
Apud CAROLVM MOREL, viâ Iacobæâ, ad inſigne Fontis.

M. DC. XXXIV.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

Digitized by Google

Approbatio Doctorum.

NOs ſubſcripti Sacræ Theologiæ Doctores Sorbonici, teſtamur à nobis perlectum fuiſſe librum cui titulus eſt, *Vindiciæ Cenſuræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis ſeu, Reſponſio Diſpunctoria ad libellum cui titulus Hermanni Loemelij Antuerp. &c. Spongia, cuius Mendacia, Contumeliæ, Ignorantiæ, & Hæreſes nouiſſimæ in Cenſuram Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis, aduerſus librum pſeudonymum Danielis à Ieſu de regimine Eccleſiæ Anglicanæ, eruuntur & refelluntur ad verbum, inſerto ipſo textu autoris. Autore* PETRO AVRELIO, *Doctore Theologo*, in quo nihil deprehendimus quod aduerſetur fidei Catholicæ aut bonis moribus, in cuius rei fidem ſubſcripſimus. Pariſiis die 14. menſis Martij, anno Domini 1632.

A. DE BREDA. MEVSNIER.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM eſt authoritate Regis, ne quis in regno Franciæ librum cui titulus eſt, *Vindiciæ Cenſuræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis aduerſus Danielem à Ieſu, & Loemelij Spongiam, &c. Authore* PETRO AVRELIO *Doctore Theologo*, abſque CAROLI MORELLI Bibliopolæ Pariſienſis, permiſſu intra ſexennium imprimat aut diuendat. Si quis ſecus fecerit quingentarum librarum ſummâ, & exemplarium confiſcatione multabitur, prout amplius in ipſo diplomate continetur. Datum Ruellij die 23. Martij, anno 1632. Sic ſignatum

GAVLTIER.

Digitized by Google

PROPOSITIONES

COLLECTÆ EX LIBRO QVI INSCRIBITVR, *APOLOGIA*

pro proceſsione S. ſedis Apoſtolicæ quantum ad gubernationem Catholicorum in Anglia, durante tempore perſecutionis, cum defenſione Religioſi ſtatus, Authore Daniele à Ieſu S. Theologiæ lectore, cum SPONGIA *in Cenſuram.*

PLACVIT Cenſoribus, librum Danielis in quinque titulos diuidere, quaſi author illa argumenta ſibi tractanda propoſuiſſet, cùm tamen nihil tale ſit. Nihilominus methodum quam Cenſura ſibi præfixit, Spongia ſequetur: tantum ſingulis titulis & titulorum propoſitionibus ſuum numerum apponemus (quod illi facere omiſerunt) quo quid quolibet loco dicatur faciliùs inueniri poſsit.

RESPONSIO.

Rectiſſimè Cenſoribus placuit in quinque titulos diuidere non *Daniëlis librum*, vt falsò ait Spongia, ne qua ſit minima res in qua gloriari poſſit

Digitized by Google

ſe fuiſſe veracem, ſed *Danielis errores*. Placuitautem non aliâ causâ quàm ſolius ordinis, ne Cenſura confuſa & diſſipata ferretur, ſi rudem & indigeſtam errorum congeriem, quo ſitu in Apologia Danielis occurrunt, effunderet. Etſi enim Danielis libro ſuus ordo conſtat, non tamen vllus eſt Danielis erroribus, qui toto opere marinorum inſtar fluctuum, quà ventus & æſtus rapit, temerè ac ſine lege vagantur; & quaſi lolium in infelici ſegete, promiſcuè hinc inde prorumpunt. Meritò igitur omiſſa ſerie tam incondita & temeraria, quæ & Lectori & rebus ipſis fœdam noctem offudiſſet, non ſolùm materias alias aliis permiſcendo, ſed etiam errorum eorumdem damnationes ſæpius iterari cogendo, prout eos interdum Daniel non vno loco inculcat; titulos conſtrui placuit velut indices ac ſummulas, in quas quid in quamque materiam Daniel & ſocij peccauerint, perſpicuè & vno quaſi obtutu cernatur. Hic mos eſt omnium qui quippiam è libris excerpunt, vel ad leuamen memoriæ, vel ad rerum quas legerunt expreſſiorem inſpectionem. Sic poſtremò Chriſtus ipſe in vltimo iudicio è tam multiplicibus hominum gentibus toto orbe diffuſis, *colligi* primùm iubebit ab Angelis *Zizania & colligari in faſciculos ad comburendum. Meſſores quippe Angeli*, inquit Gregorius, *Zizania ad comburendum in faſciculos ligant, cùm pares paribus in tormentis ſimilibus ſociant, vt ſuperbi cum ſuperbis, luxurioſi cum luxurioſis, auari cum auaris, fallaces cum falla-*

Matth. 13. 30.

S. Greg. lib. 4. *Dial. c.* 35. *Idem l.* 9. *Moral. in Iob. c.* 39.

cibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant. Sicut ergo in illo iudicio hominum faſciculi per Angelos fient, vt damnandi pares cum paribus ſociati comburantur; ita in hoc doctrinarum iudicio, faſciculi per Pariſienſes Theologos, veritatis nuncios Angelóſque confecti ſunt, vt damnandi errores pares cum paribus ſub ſuo quique titulo colligati, iuſtiſſimæ Cenſuræ ignibus abſumantur.

TITVLVS I. DE ECCLESIA.

PRIMA PROPOSITIO,

Ex Cap. 1. Num. 2.

Falſiſſimum eſt, ac in conſequentia periculoſum, quod particularis Eccleſia ſine Epiſcopo eſſe non poſſit.

CENSVRA.

Iſta Propoſitio intellecta de particulari Eccleſia perfecta, eſt falſiſſima, in conſequentia periculoſa, temeraria, ſcandaloſa, ordinis hierarchici deſtructiua, populo Chriſtiano nociua, traditionis Apoſtolicæ, & ſucceſſionis Eccleſiaſticæ fundamentum conuellens.

2. *Propoſitio, Ex Cap. 1. Num. 3. & 4.*

Si particularis nulla Eccleſia eſſe poſſit ſine Epiſcopo particulari, certe vniuerſalis exiſtere non poteſt, ſine vniuerſali Epiſcopo, &c. Et poſtea, *Verba in definitione non ſignificant actum, ſed aptitudinem rei: Si quis dicat ho-*

Digitized by Google

minem eſſe eum qui diſcurrit, ſenſus eſt, qui natura aptus eſt ad diſcurrendum, &c. Et paulò poſt; *Eodem modo Eccleſia dici poteſt multitudo Chriſtianorum gubernata per Epiſcopum, id eſt, ita diſpoſita & vnita in fide Chriſti, vt poßit habere Epiſcopum, & opus habere Epiſcopo, & parata ſit animis, apta & præparata ad illum accipiendum, cum legitime mittitur.*

CENSVRA.

Iſta Propoſitio eſt captioſa, & in hæreſim inducit, in quantum omittit obligationem quam habet vniuerſalis Eccleſia, vt ſibi prouideat quantocius de capite.

SPONGIA.

Diogenes, vt puerum incerti parentis periculosè petulantem, lapides quippe in confertam virorum turbam temerariè iactitantem, compeſceret, COHIBE *manum,* (inquit) *ne fortè lapis in tuum incidat patrem. Hoc monitum ſi quis tempeſtiuè Richeriſtis Sorbonicis ſuggeßiſſet, fortaßis manum continuiſſent, ac conſideratius Cenſurarum ſuarum duriora ſaxis verba iaculati fuiſſent, metu ne ſuum neſcij patrem ſæuo aliquo ictu mactarent. Proprio enim, ac cæteris* Catholicis *non communi patre glorientur, Ioanne Gerſone olim Cancellario ſuo, quem tanti faciunt, vt eum ſummo* omnium Patri præponant, vel [a] opponant. *Huius non ſemel caput neſcientes ſuis Cenſuris petunt, maximéque his duabus primis.*

[a] *Card. Peron. Harangu. pag. 36.*

Responsio.

Malum omen eſt, quod primum Spongiæ nomen, profanum nomen eſt, ſtultique hominis nomen, ſi vera credimus Chriſtianæ religionis dogmata, & luculentiſsimum Apoſtoli iudicium, qui primo primæ principiſq; Epiſtolæ ſuæ capite, Philoſophos & ſapientes omnes Ethnicos, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtultos factos eſſe pronunciat. *Rom.1.* Cùm SS. Patres, & horum exemplo probi omnes Theologi, ab aliquo diuinæ Scripturæ oraculo ſermonum diſputationúmque ſuarum fere ducant exordia, vt hoc fundamento quicquid dicturi ſunt ſuperſtrui denuncient, & lucis ac benedictionis aliquid in ipſo operum ſuorum aditu à Spiritus ſancti eloquio eliciant; Contra Ieſuita Spongiæ opifex, videtur à ſententia initium petiiſſe, non profana ſolùm, ſed fœda etiam & abiectiſsima Ethnici Philoſophi, Philoſophorum Ethnicorum impudentiſsimi, cui impudentia caninum *Cynici* nomen fecit; vt præmonſtraret illicò fœtum ſuum, ſpongiam ſuam, neque à pietatis, neque à pudoris, neque à gratiæ aut modeſtiæ genio natum eſſe. In ipſo pene veſtibulo, totius interioris operis velut ſpecimen faciémque propoſuit, reiectis ſcriptura & SS. Patribus, ſtultitiam aucupans temeritatémque Philoſophorum, qui potiùs *humanæ ſapientiæ verba*, D. Paulo admonente, reijcere debuerat, & *ſpiritualibus ſpiritualia comparare*. *1.Cor.2.* Sed quoniam è culpis omnibus & erroribus hominum gloriam

exſculpit Deus, Ieſuita à ſapientia Dei aberrando, ſcriptura vna contempta, alterius ſcripturæ veritatem clariorem fecit, *ſapientiam huius mundi ſtultitiam eſſe apud Deum*, neque apud Deum tantummodo, ſed plerumque etiam apud homines. Nam dictum iſtud Diogenis ſine mente prolatum eſſe dico pluribus de cauſis:

1. Cor. 3.

Primò, quia Gerſon non pater Sorbonæ, ſed filius eſt, cùm eum ipſa extulerit & effuderit ex ſe, perinde vt tot alios illuſtres homines, quorum famæ ac præſtantiæ magnitudine ipſa orbi conſpicua & venerabilis effecta eſt, vt tantorum filiorum tanta parens. Hanc ipſimet talem agnorunt, vt videre eſt ex profeſsione iſta, quam quidam ex iis primarius operis ſui pene primarij fronti præfixit: *Si in hoc opere, vel alio in lucem emiſſo, vel emittendo errauero, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & almæ Facultatis Pariſienſis matris meæ acquieſco iudicio; & quod illæ approbant vel reprobant, hoc ipſum approbo vel reprehendo.* Non igitur ipſius eſt illos audire, ſed ipſorum illam; nec ab illis approbari, ſed illos approbare vel reprehendere, vt ipſimet confitentur: Non enim plus iis honoris debet, quàm Eccleſia Catholica iis quos patres agnoſcit ſuos: quibus tamen non penitus adhæreſcit, niſi cùm per eorum conſenſum Eccleſiæ vniuerſæ fidem, & Spiritus ſancti lucem introſpicit.

Ioannes Maior præf. in 4. ent.

Vid. Aug. ep. 3. & paſſim alibi.

Deinde quia ſi verum eſt Sorbonam pro parente ſuo habere Gerſonem, & quidem eo paren-

Digitized by Google

te gloriari, vt ſcribit Ieſuita, quod illa tamen nunquam adhuc fecit; ineptiſſime ſecum ipſe pugnat, dum puero incerti parentis eam confert, vt ſcilicet ipſam pro ſpuria circumferat. Si enim Gerſon parens eius eſt, ergo parentem certum habet; ſi nouit, ſi gloriatur illo, moneri non debuit ne ipſum neſciens feriat, ſicut ille puer qui parentem ignorabat. Quare Diogenis dictum alieniſſimum eſt, & à Ieſuita contra ſuam ipſius mentem impactum, Deo *ſapientes in aſtutia eorum* *Iob. 5.* *comprehendente*, præcipuè Chriſtianos, maximéque Religioſos, qui ſapientia Dei derelicta, Philoſophorum ſæcularium ſapientiam quaſi ſiliquas deglutiunt.

Sed longè deterrimum in apophthegmate iſto eſt, quod Sorbonæ obliquè inſultat, quaſi ſpuriæ, ac vulgo genitæ, cui ignotus ipſe parens. Nec enim reſpondere ſatis eſt, Ieſuitam hoc noluiſſe, aliò colliniaſſe: quia æquiuocis verſutè ludere vulgarem famoſamque ipſius, & Sociorum ipſius artem eſſe quis neget? ſatiſque iam patet tot illis exemplis quæ ſuperius attigimus, hunc ipſum Spongiæ conſarcinatorem, voces iſtiuſmodi ambiguas ſtudioſè quaſi aconita fallacia diſperſiſſe, ſelectas ex induſtria, & ita intextas vt lectoribus innuant, quod ore patulo profari frons eius ipſa non auſa eſt. Hinc Sorbonam ait *Gerſone parente gloriari.* Sed *parente proprio, & cæteris Catholicis non communi*, quaſi Sorbona ex Gerſone prognata ſit, generatione quadam à cæteris Catholi-

Digitized by Google

cis diuulſa & diſſipata; neque ex communi patre fidelium, ſed ab alio ſeorſum patre, velut ab adultero ſtipite, prodierit.

Quod ſi etiamnum clamat circumueniri ſe, falſaque inuidia premi; profectò ſequentibus verbis, apud æquos iudices, qui ſtylos ſpiritnſque illos ipſius, & ſodalium ipſius nouerint, conuicta hærebit. Addit enim Theologos Sorbonicos, Gerſonem *patrem* illum ſuum *proprium, ſummo omnium patri*, non ſolum *præponere*, ſed etiam *opponere*. Quod quid tandem aliud eſt, niſi eos patrem habere proprium, ex quo ſint geniti generatione quadam non diuulſa ſolum, ſed etiam oppoſita communi parenti fidelium; proindeque illo natos eſſe vt nothos, vt ſpurios, vt ſimiles puero Diogeniano? Primam verò, antiquiſſimam, florentiſſimam Eccleſiæ Catholicæ Facultatem præſtigijs iſtis verborumque ſimulacris tam furiosè pulſare, tantæ audaciæ eſt, vt non niſi in hominem animi pleniſſimum, mentis inaniſſimum, cadere poſſe videatur. Recte ſaltem talis portenti artifex ſeipſum contulit Diogeni, quia minime dubium eſt, quin ſolo hoc facto illud ipſum cognomentum quod Diogeni impudentia peperit, magno iure mereatur, audireque in poſterum debeat *Ieſuita Cynicus*.

Cæterùm non ſolùm grauiſſimè violat Facultatem Theologicam Pariſienſem, ſimilitudinem ei tam obſcœnam malignamque incutiens, ſed etiam Gerſonis memoriam offundit improbè, quem

quiem Roſuueydus ipſe Ieſuita *virum per totum orbem celeberrimum* prædicat, cui in Eccleſia ſuperſtes eſt fama non ſolùm doctrinæ, ſed etiam pietatis eximiæ, quique cùm per omnem vitam quaſi quoddam virtutis exemplar effulſiſſet, & tot tantiſque officiis Eccleſiam & Sedem Apoſtolicam temporibus turbulentiſſimis, atque in mediis ſchiſmatum tempeſtatibus affeciſſet, quantis ab vno aliquo homine affici queat, in ſumma denique ſanctitatis opinione extinctus eſt, vt teſtimonia varia eius Operibus præpoſita teſtificantur. *In vindic. Kemp. c. 4.*

Offendit etiam eminentiſſimum Cardinalem Perronium, quem aſcripſit ad marginem, quaſi autor eſſet Gerſonem à Facultate pariſienſi ſummo patri fidelium *vel præponi vel opponi.* Nam nihil eſt eiuſmodi in illa quam citat oratione ad tertium Regni Ordinem, vt ex ipſa loci lectione perſpicitur. Nimis ille hanc Facultatem coluit, vt talia ſcriberet; imò calumniarum hoc genus ab ea deterſit, cùm in ipſam non ab Anglis Ieſuitis, ſed ab ipſo Anglorum Regis, Eccleſiæ Catholicæ hoſtis interprete, quamuis in re alia, fingerentur. *Reſp. ad Regē Ang. l. 2. c. 8.*

Porrò fraudulentiæ iſtæ in ipſo limine Moliniſtici operis deprehenſæ præiudicio iam nunc magno eſſe debent ad eas quæ in poſterum vndequaque patefient. Vt enim Ieſuita Sorbonam falsò criminatus eſt ad Gerſonem quaſi ad proprium patrem ſpurio vinculo adhæſiſſe, ita falsò eandem arguit ab eodem in primis Cenſuræ

capitibus per errorem receſſiſſe, quemadmodum ſequenti reſponſione, Deo duce, declarabitur.

SPONGIA.

Vtramque enim propoſitionem quam damnant, his ipſe Gerſon in terminis, totidem penè ac Daniel verbis tradit tom. 1. Operum col. 438. tractatu qui dicitur, Libellus articulorum contra Petrum de Luna. Cuius ſecundus articulus eſt, Vnitas Eccleſiæ non ſic dependet à perſona Papæ eſſentialiter, quin poſſit manere vna, vt manet de facto, quando nullus eſt Papa. Tertius Articulus: *Quamuis Vnitas Eccleſiaſtica eſſentialis ſit ad primarium caput Chriſtum; nihilominus vnitas altera accidentalis vel ſecundaria conſiſtit in obedientia ad vnum ſummum Pontificem, ſic quod quilibet Catholicorum debet habere promptitudinem ſeu præparationem animi ad obediendum vni Summo Pontifici, dum conſtiterit ſibi, aut conſtare debuerit, quod ſit Papa aliquis legitime electus. Hic vides Gerſonem eadem omnia affirmare quæ author. Primò, Eccleſiam poſſe manere ſine Papa, ſiue Epiſcopo vniuerſali. Secundò, De facto manere, & exiſtere quando nullus eſt Papa, ſeu vniuerſalis Epiſcopus. Tertiò, Vnionem ad Epiſcopum quæ conſtituit Eccleſiam, non eſſe actualem, ſed ſufficere eam quæ conſiſtit in promptitudine & præparatione animi. Quartò, Denique (quod eſt plus aliquid quam author expreſſe dixit) Eccleſiam ſine Epiſcopo non ſolùm manere poſſe, ſed etiam manere vnam atque adeò perfectam, quia* Vna eſt perfecta mea. *O male auſpicatos Cenſores qui*

Digitized by Google

primo impetu in ſuam ſcholam, ſuum Cancellarium inuolant! eius aſſertionem velut falſiſſimam, periculoſum, ſcandaloſam, ordinis hierarchici deſtructiuam, populo Chriſtiano nociuam, damnant! & quæ traditionis Apoſtolicæ, & ſucceſſionis Eccleſiaſticæ fundamenta conuellit! certè eſt aliud in Gerſone aliquid multo, quàm hoc falſius, & ſeuera Cenſura dignius.

RESPONSIO.

Miror audaciam qua ſcribere non metuis, *vtramque Propoſitionem* tuam *ipſum Gerſonem in terminis, totidem pene ac Danielem verbis tradere.* Quod enim ad primam attinet, Gerſon apertè loquitur de *perſona Papæ*, ſine qua docet Eccleſiam ſtare poſſe, hoc eſt, ſine perſona Clementis aut Gregorij, vti per ſe manifeſtum eſt, nec vlli homini dubium. At Daniel loquitur de Epiſcopo abſolutè, hoc eſt, tum de perſona, tum de poteſtate Epiſcopali, & ſine vtraque Eccleſiam manere poſſe aſſerit, quemadmodum ſine illis Eccleſiam Anglicanam ait verè fuiſſe Eccleſiam particularem, antequam Epiſcopus Chalcedonenſis ad eam miſſus eſſet, adeoque futuram etiam particularem Eccleſiam, quamuis Epiſcopalis eius auctoritas tolleretur. Atque hoc eodem ſenſu intelligit Eccleſiam vniuerſalem eſſe poſſe ſine vniuerſali Epiſcopo, id eſt, non ſolùm ſine perſona, ſed etiam ſine authoritate vniuerſalis Epiſcopi. Alioquin imperita æquiuocatione ſeſe inuolueret, & ſine vlla veri ſpecie probare aggre-

Digitized by Google

deretur Eccleſiam particularem, ſine perſona, & ſine authoritate particularis Epiſcopi ſtare poſſe, quia Eccleſia vniuerſalis ſtare poſſit ſine ſola perſona, non tamen ſine authoritate & poteſtate Epiſcopi vniuerſalis. Eligat igitur duarum ineptiarum alteram, aut ſe inſulſam fallaciam nectere, dum probandum ſuſcipit Eccleſiam particularem eſſe poſſe ſine particulari Epiſcopo, quia Eccleſia vniuerſalis ſine vniuerſali Epiſcopo eſſe poſſit: Aut apertè fateatur, ſicut particularem Eccleſiam ſine perſona, & ſine poteſtate particularis Epiſcopi eſſe poſſe putat; ita vniuerſalem Eccleſiam, tum ſine perſona, tum ſine poteſtate vniuerſalis Epiſcopi eſſe poſſe. Quæ ſine dubio execranda hæreſis eſt, vniuerſalis Eccleſiæ caput radicitus extirpans, eademque operâ totum Eccleſiæ corpus à fundamentis euertens. O Ieſuitam prima ſtatim Spongiæ ſuæ impactione felicem! Cenſuræ *iratum, pernicioſum ſibi, tanquam in eam acerbius ſæuiat, ſi ipſe pereat*, & damnatos errores puriùs eluat, ſi hæreſes infandas aſpergat.

Aug. epiſt. 181.

Cæterùm vt in prima propoſitione eum affirmare non puduit, idem à Gerſone quod à Daniele *in terminis tradi*, quamuis contrarium apertiſſimè liqueat; non puduit etiam in ſecunda propoſitione mediam partem verborum Gerſonis abſcindere, vt eum in ſuam ſententiam vel inuitum pertraheret Nam Gerſon non dicit, ſicut ipſe, ad conſeruandam veram vnitatem Eccleſiæ *ſufficere promptitudinem & præparationem animi*, ſeu paratum eſſe obedire vero Epiſcopo, poſtquam legitime electus

fuerit; ſed continuò ſubiungit, *Et præterea ſecundò requiritur quòd non ponat ſcienter impedimentum commiſſiuè vel omiſſiuè, ne præficiatur Eccleſiæ Dei vnus Papa certus & legitimè electus.* Quæ verba fraudulenter reſecta fuerunt à Ieſuita ſpongioſo & rimoſo homine, quia eorum oculos feriunt qui Epiſcopum Angliæ præfici nolunt. Nec tamen eſt quiſquam Catholicus qui negare poſſit, eum qui electioni veri Pontificis impedimentum affert, atque ita ſchiſma fouet, ſchiſmaticum eſſe, & ab Eccleſia extorrem, etiamſi verè proponat animo Pontificem agnoſcere, ſimul atque legitimè electus fuerit. Vnde cernitur propoſitionem Danielis ſapientiſſimè notatam eſſe à Cenſoribus, *vt captioſam, & in hæreſim inducentem, in quantum omittit obligationem quam habet vniuerſalis Eccleſia, vt ſibi prouideat quantocius de capite.* Nam hæreticus indubius eſt, quiſquis putat ad ſeruandam Eccleſiæ vnitatem, atque ad manendum in Eccleſia vniuerſali, ſatis eſſe velle ſubiicere ſe legitimo Pontifici quando electus fuerit, etſi interea eius electio interturbetur, & ſchiſmati prorogando ſeruiatur. Hoc tamen Daniel docere viſus eſt in Apologia, multoque iterum clarius in Spongia, dum verba Gerſonis iam citata reſecuit, tanquam ad cuſtodiendam Eccleſiæ vnitatem nihil aliud exigatur, quàm prompto animo eſſe ad ſuſcipiendum Pontificem quando legitimè electum eſſe conſtabit. Videtur autem Spongia verba illa Gerſonis amputaſſe, quia illis ſenſit Danielem iugulari, atque argumentum illud ipſum,

quod ille ab Eccleſia vniuerſali contra particularem venatur, in ipſum vehementiùs retorqueri. Nam cùm ille argumentetur Eccleſiam particularem, ſine Epiſcopo particulari manere poſſe, quia vniuerſalis Eccleſia ſine vniuerſali Epiſcopo manere poteſt; Nos contrà in ipſum regerimus, particularem Eccleſiam non poſſe conſiſtere ſine Epiſcopatu particulari, quia vniuerſalis Eccleſia conſiſtere non poteſt ſine vniuerſali Epiſcopatu; & ſicut ad permanendum in vnitate Eccleſiæ vniuerſalis, non ſufficit paratum eſſe vniuerſalem Epiſcopum admittere cùm primùm electus erit, ſed præterea procuranda eſt, quãtum licet, eius electio, illiuſque obices amouendi; ſimiliter ad manendum in particulari Eccleſia, non ſatis eſſe habere penitus in animo particularem Epiſcopum admittere quandocumque legitimè fuerit electus; ſed præterea procurandam eſſe pro cuiuſque viribus eius electionem, aut ei ad minimum nulla ratione obſtandum. Iudicet iam Lector quid mentis ſit in Spongia, & quàm ſobria ſit illa iactatio, *Hic vides Gerſonem eadem omnia affirmare, quæ author.*

Neque verò nugis iſtis contenta eſt, ſed eum præterea docentem inducit, *Eccleſiam ſine Epiſcopo non ſolùm manere poſſe, ſed etiam manere vnam*, hoc eſt ipſa interprete, *perfectam, quia*, inquit, *Vna eſt perfecta mea.* In quo mihi aduerſariorum, lectorumque omnium riſus captare videtur. Iſto enim pacto homo præciſis tibiis, quia vnus eſt, non duo homines, homo perfectus erit. At nemo gloſſema

iſtud planiùs refellit quàm ipſe Gerſon, qui diſertè ait, *ſi vſque ad conſummationem ſæculi, aliquis certus & vnicus Papa Eccleſiæ non præficiatur, Eccleſia maneret imperfecta vſque ad conſummationem ſæculi, nec ſuorum gauderet integritate membrorum, & præſertim membri principalis.* Atque hoc in eo ipſo libro, vnde anſa arrepta eſt, qua ei quoad materiam Pontificiam inuidia crearetur. At is vſque adeo putat Eccleſiæ vnitatem à Papa pendêre, vt etiã Papa mortuo, Eccleſiam hoc ſolo vnam manere cenſeat, quo Papalis authoritas in ea remanet: *Status Papalis*, inquit, *non omninò vacat ſeu deficit per mortem Papę naturalem vel ciuilem, nec per conſequens Eccleſia deſinit eſſe vna.* Et clariùs alibi, *Status Papalis inſtitutus eſt à Chriſto ſupernaturaliter & immediatè tanquam primatum habens Monarchicum & regalem in Eccleſiaſtica Hierarchica, ſecundum quem ſtatum vnicum & ſupremum, Eccleſia militans dicitur vna ſub Chriſto.* Cùm ergo Pontificatus ſede vacante in Eccleſia non ſit perfecto modo planeque completo ex Chriſti inſtitutione; ſequitur ex Gerſone Eccleſiam vniuerſalem non eſſe tunc perfectè vnam, ſed deeſſe aliquid ad integram, & perfectam eius vnitatem. Neque ſane Catholicus quiſquam eſt qui non videat illam tum multo perfectiùs vnam eſſe, quando caput habet à quo actu foueatnr, regatur, ornetur.

Tract. de aufer Pap. conſid. 20. tom. 1.

Tomo 1. tract. de ſtat Eccleſ. conſid. 2.

Ib conſid. 1. de ſtatu ſum. Pōtif.

Hinc iam patere opinor, quid iudicari debeat de Ieſuita machinatore Spongiæ, & de illis exclamationibus, quas poſt loca iſta Gerſonis effundit,

quaſi in curtum triumphalem elatus: *O male auſpicatos Cenſores qui primo impetu in ſcholam ſuam, ſuum Cancellarium inuolant, &c.* Difficile dictu eſt Theologiam eius, an Logicam, an Rhetoricam, potiſſimùm miſerari debeamus:

SPONGIA.

Quanto ſapientius Ariſtarchi noſtri ſua Cenſura notaſſent propoſitionem D. Kelliſoni ſuæ ſcholæ, & Cancellario è diametro aduerſantem, vnitatem & exiſtentiam Eccleſiæ dependere ab Epiſcopi exiſtentia eſſentialiter, Quia Eccleſia *(inquit)* eſt plebs Sacerdoti ſuo adunata: Quomodo autem adunata eſſe poteſt Epiſcopo ſuo, ſi nullus eius Epiſcopus exiſtat? *Item Reuerendiſſ. Chalcedonenſis libello qui dicitur* Inquiſitio *pag. 31. lib.* 28. Quomodo, *inquit*, poteſt illa Eccleſia eſſe vnita Epiſcopo quæ non habet Epiſcopum? ſiquidem vnio ſupponit rem illam exiſtere, cui altera vnitur. *Et iterum pag. 32.* Carere Epiſcopo merè negatiuè, facit non Eccleſiam, quia Eccleſia eſt plebs poſitiuè vnita Epiſcopo, vt eſt euidens ex illis verbis Cypriani; Plebs Sacerdoti adunata. *Nec minus author Replicæ ad diſcuſſionem pag.* 27. Populus qui vacat Epiſcopo ſiue ſua culpa, ſiue non, quacumque tandem ratione vacat, non eſt Eccleſia, quia quacumque tandem via viduatur Epiſcopo, iam non eſt plebs vnita Epiſcopo, ſicut corpus erit truncum, quacumque tandem de cauſa aut modo capite careat. *Iſti faciunt Eccleſiam defectibilem, & vnà cum*

Epiſcopis

Digitized by Google

Epiſcopis mori & interire, vt ſi verum dicerent, ſępe Eccleſia nulla eſſet, contra Chriſti promiſſum futuram in mundo omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. *Nam ſi non ſit, niſi vnita Epiſcopo ſit, nec vnita Epiſcopo eſſe poſſit, quando ille non exiſtit, ſequitur quando nullus eſt Papa, Eccleſiam vniuerſalem nullam eſſe. Hęc inquam Cenſores notaſſent ſtigmate, Danielis propoſitionibus omiſſis, niſi eos ad ferendam Cenſuram alia cauſa quam veritatis ſtudium commouiſſet.* *Mat. 28. v. vlt.*

RESPONSIO.

Non eſt moris Catholicis Cenſoribus reſpicere quid ex doctrinis quas probant vel reprobant, humana ratio argumentando inferre queat. Quàm enim proximè poſſunt, ad lumen fidei ſe applicant, quam non diſcurſiuam, ſed intuitiuam eſſe ſciunt, quippe luminis gloriæ ſpecimen & imaginem. Atque hoc differunt à Philoſophis qui in ratiocinando toti hærent. In hoc ipſo diſcrepant ab hæreticis, qui conſecutionibus iſtiuſmodi ſpecioſis, & plauſibilibus fidem ſemper arrodere, & ridiculam exhibere conantur. Ita Cenſores rectè probarunt propoſitiones Kelliſoni, hoc ipſo quo contrarias Danielis notauerunt, etiamſi conſectaria quæ Spongia nunc obiicit, inde trahi poſſe perſpicerent. Quæ profecto quamuis refellere nō poſſemus, non ideo diſcedendum eſſet à doctrina, traditione, & conſenſione perpetua Eccleſiæ fundatiſſima. Sic enim antiquam maiorum fi- *Aug. l. 22. de ciuit. c. 29. & ſæpe alibi.*

dem non continuò deſerimus, etſi hæretici non pauca illinc inferant, quæ doctiſſimis etiam hominibus negotium facere videmus. Nam difficultates, & quaſi nebulæ iſtæ humano ſenſu concitatæ, ſunt velut tentamenta quædam, quibus fidem & humilitatem noſtram probari vult Deus. Quamquam Spongiæ ſubtilitas non vſque adeò ineluctabilis eſt, quin retundi poſſe videatur.

Nam eius argumentandi forma eſt fallax, & perpetuo illo æquiuoco nititur, quo totam rem iſtam implicuit. Sic enim agit, quaſi diceretur, perſonam Pontificis eſſentialem eſſe Eccleſiæ, v.g. perſonam Clementis aut Gregorij. Quod nulli vnquam Theologo venit in mentem, neque tam fidei, quàm ſenſui communi reclamat. Hoc plane dicitur, Epiſcopatum Eccleſiæ eſſentialem; hoc eſt, poteſtatem authoritatemque Pontificalem, quæ nunquam neque moritur, neque vacat. Hoc ſenſu videlicet intelligendæ ſunt propoſitiones iſtæ: *Epiſcopus eſt pars eſſentialis Eccleſiæ; Eccleſia non poteſt eſſe ſine Epiſcopo;* quemadmodum iſta intelligi ſolet: *Regnum ſine Rege eſſe non poteſt.* Senſus enim eſt regnum ſine regio dominatu eſſe non poſſe, non autem ſine certa perſona Regis. Eundem in modum vulgò dici ſolet, *nunquam mori Reges*, id eſt, poteſtatem & dignitatem regiam. Nemo enim ita deſipit, vt Regum perſonas immortales eſſe putet: Iſta igitur argumentandi ratio eſt ſophiſtica, & in æquiuoco peccat, quod Dialectici vocant, à ſenſu forma-

Digitized by Google

li ad materialem, cùm materia pro forma ſupponitur.

Alioquin innumeræ ſanctorũ Patrum, & Eccleſiæ propoſitiones falſæ forent. Veluti cùm Patres & Concilia dicũnt Petrum ſemper in throno ſedere, & de Eccleſiæ controuerſijs pronunciare; non hoc dicunt, perſonam Petri ſemper in Sede Apoſtolica inſidere, ſed eius authoritatem & Epiſcopatum in ea manere ſemper, & Eccleſiam regere. Sic Paulus ad Corinthios ſcribit ſe eorum conuentibus intereſſe, *abſentem corpore, præſentem autem ſpiritu*, vt vnà cum iis poteſtate ſua vtatur, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, inquit, *congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu*: quia authoritate ſua Apoſtolica intererat & præerat iis quæ ab illis agebantur. Sic Chriſtus manere ſe dixit cum Apoſtolis, *vſque ad conſummationem ſæculi*, non quaſi perſonæ Apoſtolorum manſuræ eſſent vſque ad ſæculi conſummationem, ſed quia ſpiritus & authoritas eorum in legitimis ſucceſſoribus eoúſque permanebunt. Mirum eſt eum Ieſuitam qui 34. Epiſcoporum cœtum, & primam orbis Facultatem docendos, & redarguendos ſuſcipit, neſcire talia, & in principiis tanti momenti hæſitare, ſine quibus fidem ab hæreticorum machinis vindicare non poſſumus.

Vid. Cõcil. Chalced. par. 3. in Relat. ſyn. ad Leon. Et Leon. ipſũ ſerm. 2. in anniuerſ. aſſump. latè. Et ſerm. 2. in natal. Apoſt.

1. Cor. 5.

Matth. 28.

Ex his patet quàm veræ ſint, & Eccleſiæ doctrinæ conſonæ Kelliſoni aliorumque Doctorum Anglorum propoſitiones, quæ Spongiæ, iudici ni-

mirum ſeueriſſimæ, Cenſura dignæ videntur; & quam imperitè ex iis inferre velit, *Eccleſiam* fore *defectibilem, & vnà cum Epiſcopis morituram.* Nam cùm ipſi agant de ſtatu & dignitate Epiſcopali, quæ ſemper actu manet in omni vera Eccleſia, etiam Epiſcopo mortuo; ipſa captiosè ſemper more ſuo concludit de perſona Epiſcopi, quæ ſtatus & poteſtatis illius eſt ſubiectum mutabile; æque in aliorum accuſatione, quam in ſua ipſius defenſione infelix.

Quantò æquius, ſi quid ad ſapientiſſimam Cenſuram addi poteſt, notabitur nominatim, & vehementiſſimè explodetur argutatio illa puerilis *de actu & aptitudine* in rerum definitionibus, qua Ieſuitam non pudet doctrinam Eccleſiæ ſtabiliſſimam fallaciter inaniterque concerpere. Ineptum & ridiculum res morales ad calculos, ſiue ad laqueos Dialecticos, aut Metaphyſicos contrudere. Ineptius, imò pernicioſius, & hæreticorum penè proprium, fidei Chriſtianæ, diuinarumque inſtitutionum authoritatem, quarum vnica propemodum ratio, vnica lex, reuelatio, & voluntas diuina eſt, offuſo minutiarum ſcholarium puluere obducere, vt illuſis mortalium animorum oculis maieſtas illius ſplendorque vileſcat. *Tertull. de præſcr. c. 7.* *Miſerum Ariſtotelem! qui iſtis Dialecticam inſtituit artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem.* Miſeros qui *Dialecticum Chriſtianiſmum proferunt.* Miſeros denique fideles, quibus iterum cautione Apoſtolica opus eſt, *Coloſſ. 2. 8* *Videte ne quis vos ſeducat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, &c.*

Digitized by Google

SPONGIA.

Quòd dicunt de Eccleſia perfecta, *iam Gerſon ipſis occurrit, Eccleſiam deſtitutam Epiſcopo poſſe manere perfectam non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam accidentaliter. Accidentalis enim eius vnitas, vt ait Gerſon, ſeu perfectio, eſt vniri vni ſummo Pontifici: hæc autem vnio ſufficienter ſaluatur in promptitudine & præparatione animi, quam plebs habet vt vniatur Epiſcopo cùm conſtiterit eſſe electum. Habere enim ſemper Epiſcopum viſibilem, ita vt ſedes nunquam vacet, non eſt perfectio debita Eccleſiæ prò præſentis vitæ ſtatu: & ideò quando Epiſcopo vacat ſine ſua culpa, ex cauſis quibus obnoxia eſt mortalitas, non eſt imperfecta, quia non caret complemento quod in hac miſeriarum valle congruit.*

RESPONSIO.

Si ſic argumentari liceret per leges Logicæ non ſolùm artificialis, ſed etiam naturalis, ſequeretur ex eo quod homo ſit mortalis in ſtatu miſero in quo nunc degit, & creaturæ omnes quas videmus corruptibiles ſint, & *vanitati ſubiectæ*, vt loquitur Apoſtolus; mortem non eſſe imperfectionem homini, neque corruptionem creaturis. Nec erit imperfectio familiæ, ſi qua eam calamitas pluribus capitibus deminuat, neque vrbi, ſi graſſante peſtilentia pluribus familiis minuatur. Profectò non ſolùm à communi ſenſu abhorret, ſed etiam omninò à ſenſu, & ſi dicere fas eſt, à

Rom. 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

fide hominis Catholici, non eſſe vllam perfectionem vniuerſalis Eccleſiæ, videre legitimum Petri ſucceſſorem in Sede Apoſtolica præſidentem; nec imperfectionem, in illius orbitatem incidere. Nec video quonam modo talium paradoxorum audaciſſimi propugnatores, etiam gloriari audeant ſe primos eſſe patronos Papæ, & illi ſoli amplificando hoc genus ſcriptionum ſuſcepiſſe. Nunquam iſtiuſmodi ſomnium Gerſonis mentem inuaſit, quem tamen deſignare ſolent velut amplitudini Pontificiæ inimicum. Supra enim ipſis eius verbis oſtenſum eſt, eum docuiſſe, ſi Eccleſia vſque ad conſummationem ſæculi ſine certo Papa eſſet, vſque ad conſummationem ſæculi imperfectam fore.

Prætereà falsò ei hoc loco imponit, ad tuendam vnionem Eccleſiæ cum Epiſcopo vniuerſali ſufficere *promptitudinem & præparationem animi*, ad obtemperandum ei, *cùm conſtiterit eſſe electum*. Nam Gerſon exertè negat hoc ſufficere, vt ſupra vidimus, niſi quis prætereà ſic ſe habeat vt quamprimum procurare velit pro viribus electionem Epiſcopi, & omnia impedimenta illius quantum poteſt amoueat. Nam quia orbari capite, Eccleſiæ imperfectio eſt, ideò tota ipſa fertur, & properat pro inſtinctu & poteſtate ſibi à Deo indita, vt eam labem reficiat quantocyùs & expleat, ſicut paſſim Conciliorum Canones, & ex iis D. Gregorius, profitetur. Quemadmodum omnes res creatas videmus impelli toto naturæ impetu

D. Greg. ep 3. lib. 2.

Digitized by Google

ad detrimenta ſuæ quamque naturæ ſarcienda. Ac veluti Deus homini poteſtatem ingenuit alios homines in locum demortuorum ſupplendi, vt imperfectio mortalitatis & inſtabilitatis humanę compenſaretur: ſic quia imperfectio Eccleſiæ eſt illam mortalitati, & morti Epiſcoporum obnoxiam eſſe, data illi eſt à Deo poteſtas nouos Epiſcopos identidem ſubrogandi, vt ſuos defectus ipſa perpetuò reparet, & perfectionem in qua diuinitus conſtituta fuit, perpetuò tueatur. Alioquin, non eſſet ei opus hac poteſtate, quemadmodum vis generatiua non eſſet nunc neceſſaria homini, niſi & damna humanæ ſpeciei, quæ per mortem eueniunt, refunderet; neque nutritiua, niſi continuas humani indiuidui, quæ calore naturali fiunt, iacturas reſtitueret. Quamobrem in cœlo, vbi nullus defectus aderit, vtræque iſtæ facultates aberunt *deſtructo*, nimirùm *ventre*, vt ait Paulus, & hominibus effectis *ſicut Angeli Dei*, qui *neque nubant*, *neque nubantur*, vt docet Euangelium. 1 Cor.6.13. Matth.22.30.

Nullum igitur dubium eſt, quin Eccleſia morte Epiſcopi defectum aliquem vacuitatémque patiatur, quam ipſo conſtitutionis & naturæ ſuæ impetu continuò inſtaurare contendit. Si enim imperfectio & defectus illius eſt; priuata & eximia membra aliqua hîc interdum amittere, multo magis amittere membra præcipua & capita ſua, qui Epiſcopi ſunt. Hinc eſt quod ſancti Patres eam Epiſcopo mortuo viduam; paſtore deſtitutam, ſponſo orbatam dicunt: ſicut Chriſtus ipſe Epiſcoporum

Vid. Cõcil. Chalcedon. part. 3. in epiſt. Epiſc. Ægypt. ad Leon. Imp. & ſeqq. Gregor. Regiſt. lib. 1. ep. 58.

Digitized by Google

ſiaon. lib. 7. ep. 5. & eiuſdē Concil. Chalcedonenſis Canonem xxv.
Luc. 5. 35.
Vid. Aug. in Pſal. 145

omnium primus, princepſque Paſtorum multo antè prædixerat ſua morte ſponſum ablatum iri Eccleſiæ, eamque in luctu ac mœrore futuram: ſed hoc inter eam, & humanas viduas intereſt, quod fontem quodammodo perpetuum ſemper in ſeſe retinet, vnde ſponſi ſui abſentiam ſupplere, & nouos inuicem Epiſcopos ſublegere poſſit. Iſtum autem fontem, & iſtam poteſtatem, ac proinde Epiſcopatum ipſum, tandiu ſeruat intra ſe, quamdiu ſucceſſionem Epiſcopalem non amittit, & quamdiu ſtatuit omnia facere, vt eam tueatur, & omnes obices nouæ electionis pro virili repellere. Si enim ſtatuat nullos amplius habere Epiſcopos, eorumq; ſucceſſionem ſciens & volens abrumpat, cedit iure ſuo, ſtatum Epiſcopalem perdit, iamque particulari Epiſcopatu priuata, Eccleſia particularis eſſe deſinit. Populus quidem Eccleſiæ talis non ideo eſſe deſinit in Eccleſia vniuerſali, ſed nullum amplius componit ſeorſum Eccleſiæ particularis corpus, quod ſtare poſſit per ſe, & perfectionem ac fœcunditatem ſpeciei ſuæ contineat. Eccleſię enim habentes Epiſcopos, in ſpecie ſua perfectæ ſunt, quia per ſe ſtare poſſunt, & fœcunditatem habent, qua patres filioſque perpetuò progenerant. Alioquin Epiſcopo carens Eccleſia pars ſolùm eſt alterius Eccleſiæ particularis, neque amplius exiſtit vt totum: velut Anglia dum ſuis careret Epiſcopis, & ſoli Pontifici Maximo, vt Paſtori & Epiſcopo proprio ſubeſſet, nihil aliud erat niſi inſtar vnius cuiuſdam parochiæ vnius vrbis, quæ à Romano Pontifice

tifice regeretur. Quo autem ſenſu vnionem Eccleſiæ ad ſummum Pontificem Gerſon vocarit accidentalem, infra dicetur.

SPONGIA.

Diſputationem hanc authoris vocant captioſam, qua de cauſa diuinare non poſſum, niſi fortaſſis quia D. Kelliſonus ea ita irretiatur, vt ſe explicare non poſſit.

RESPONSIO.

Iam ſuperiùs expoſitum eſt, cur iſtæ Danielis ac Spongiæ propoſitiones iure captioſæ vocatæ fuerint; propter æquiuocationes nimirum & fallacias quibus implexæ ſunt, in primiſque propter illā quæ ſequenti reſponſione diſpungetur. Quæ omnes ita ſunt craſſæ, & captionibus tam ſtolidis, & tam perſpicuis notabiles, vt potius mirari liceat Ieſuitas peritos homines, & ſummo acumine præditos eas obijcere potuiſſe, quam veriſimile ſit quemquam qui Theologiam delibarit, in iis extricandis laboraſſe.

SPONGIA.

Quod dicunt inducere in hæreſim, quia omittit obligationem quam habet vniuerſalis Eccleſia ſibi quantocius prouidendi de capite, nimis ſeueri ſunt, feſtucam in oculo fratris ſui vident, in ſuo trabem non ſentiunt. Addo homines argutos non aduertere authorem, cùm dicit ſufficere præparationem, loqui de plebe ſeu multitudine Chriſtiana, non de tota Eccleſia, quatenus etiam Clerum

includit. *Clero enim obligatio prouidendi ſibi de capite quantocius incumbit. Plebi ſufficit paratis animis eſſe electum admittere. Vnde monere Plebem ſibi incumbere ius & obligationem eligendi ſuos Epiſcopos, potius in hæreſim inducit, itáque ſua ipſi argutia capiuntur.*

Responsio.

Graue onus imponis aduerſario, Spongia, ſtoliditates tuas pro merito patefacere. Tot enim errores pudendos, & graues intra pauca verba concluſiſti, vt eos deditâ operâ profudiſſe videaris. Non niſi feſtucam putas negare, aut diſſimulare, ad retinendam vnitatem Eccleſiæ vniuerſalis, opus eſſe promptiſſima voluntate Epiſcopum, quantocius procurandi, & omnia remouendi quæ illius electionem remorentur. Quaſnam fateberis trabes, ſi ſchiſmata feſtucas leuiſſimas exiſtimas? Equidem nulli Catholico negare fas eſt hæreſim certiſſimam eſſe, ſi quis dixerit eum qui Epiſcopi vniuerſalis creationem impedit, aut moras nectendo alit ſchiſma, vnitatem Eccleſiæ ſat tueri, dummodò Pontificem paratus ſit agnoſcere, quando electum eſſe conſtabit. Hæc autem eſt illa hæreſis, in quam abſoluta propoſitio Danielis, & verborum Gerſonis ſuppreſſio, qua Spongia veteratorie vſa eſt, mentem Lectoris trahit, vt ante declaratum eſt.

Secundò, neſcio quid Ieſuitæ in mentem venerit reſpondere Danielem loqui de plebe, ſeu multitudine Chriſtiana, non de tota Eccleſia, quatenus etiã

Digitized by Google

Clerum includit. Quaſi ad conſtituendam Eccleſiam particularem ſufficiat multitudo laïcorum paratorum accipere Epiſcopum, quando legitimè electus eſt. Quod profectò nemo Catholicorum ſentire poteſt ſine horrendo crimine. Daniel enim Eccleſiam definit, *Multitudinem Chriſtianorum paratam animis ad accipiendum Epiſcopum, cùm legitimè mittitur.* Hic autem per Spongiam exponit ſe hoc intellexiſſe *de Plebe ſeu multitudine Chriſtiana*, non etiam de Clero. Dicit igitur multitudinem laïcorum, ſine Clero eſſe particularem Eccleſiam, modò parata ſit Epiſcopum legitimè miſſum accipere. Quid hoc effugio miſerius? vnam plagam declinare, vt duriorem accipias? Vno errore emergere, vt fœdiore mergaris? Clariſſimum enim eſt, errorem iſtum latam ad hæreſim Tertulliani viam pandere, *Eccleſiam in duobus aut tribus eſſe poſſe, etiam laïcis*: Quamuis Spõgia, vtpote oculis carens, hoc præcipitium non vidiſſet, & in illud tam mente præceps, quàm animo corruiſſet. *Tertull. de exhort. caſt. c.7 & de pud. c.21.*

Tertiò, Multo peior hæreſis eſt, multitudinem laïcorum, Clero ſecluſo, Eccleſiam vniuerſalem cõficere, modò parata ſit verum Epiſcopum ſuſcipere, poſtquàm creatus erit. Cùm enim ſit hęreſis hoc de illa aſſerere etiam coniuncta Clero, ſi quo pacto electioni vniuerſalis Epiſcopi obſtrepat, quantò magis de ſeparata à Clero?

Quamquam tanta prauitas non cadit in Eccleſiam vniuerſalem, quæ eodem Chriſti promiſſo, quo deficere non poteſt, tantùm etiam ſceleris

Digitized by Google

non poteſt concipere vt quoquo modo reſiſtat creationi Pontificis, quia ſic Eccleſia eſſe deſineret. Poſſunt quidem priuati homines crimen iſtud admittere, & ab illa deficere ſchiſma conflantes; ſed tota ſimul multitudo Chriſtianorum fidelium tanti mali eſt incapax; ideoque ne punctum quidem temporis ſponſi ſui Pontificis maximi vel viuentis amorem, vel mortui deſiderium abiicere poteſt.

Quartò, Sicut tot hæreſes quibus ſeipſam miſerè implicat Spongia non agnoſcit, multò minus nouit eas quibus alios implicare vult. Quid enim illud hæreſeos eſt, quod regerit in cenſores? Aut quæ tandem hæreſis eſt dicere, plebis eſſe, non ſolùm Cleri *prouidere ſibi quantocyùs de capite*, vt ait Cenſura? Hoc enim manifeſtè verum eſt, non ſolùm eo ſenſu qui ſæpe iam indicatus eſt, vt ſignificetur, tum Clericis tum laïcis conferendum eſſe quicquid poſſunt ſtudij atque operæ vt legitimum caput ſibi quamprimum præficiatur, aut certè omnia rei tantæ obſtacula remouenda; ſed etiam loquendo de proprio ipſo nomine electionis. Ita enim locutus eſt Diuus Cyprianus: *Plebs ipſa*, inquit, *maximè habet poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de diuina authoritate deſcendere, vt Sacerdos Plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac teſtimonio comprobetur.* Et infrà: *Erit ordinatio iuſta & legitima, quæ omnium ſuffragio; & iudicio fuerit examinata.* Vnde patet tantùm abeſſe vt ſit hæreſis

Cyp. ep.68. aliique Patres & Canones paſſim.

Digitized by Google

aſſerere populum eſſe poſſe aliquomodo participem electionis Epiſcopi, vt hæc ipſa fuerit perpetua conſuetudo, & diſciplina Eccleſiæ veteris, quæ ſine infanda hæreſi hæreſeos damnari non poteſt. Hic etiam mos erat antiquus Imperatorum, qui tametſi laïci, Pontifices deligebant, qui nihilominus veri erant, & ſancti etiam Pontifices. Sic enim Diuus ipſe Gregorius de ſua promotione ad Pontificatum humillimè ſcribit: *Ecce ſereniſſimus Dominus Imperator fieri ſimiam leonem iuſſit. Et quidem pro iuſſione illius vocari leo poteſt, fieri autem leo non poteſt. Vnde neceſſe eſt, vt omnes culpas ac negligentias meas non mihi, ſed ſuæ pietati deputet, qui virtutis miniſterium infirmo commiſit.* Denique hic etiam mos eſt Eccleſiæ multis locis vbi Pontifices ius electionum tranſtulerunt in Principes, qui ſoli Epiſcopos eligunt loco Cleri & populi, qui olim communibus ſuffragiis electionem peragebant, quamuis eius pars multò potior & dignior Cleri eſſet quàm populi, vt alibi fortaſſe latiùs exponetur. Iam verò damnare hæreſeos Eccleſiam veterem, ſanctiſs. Patres, Sedis Apoſtolicæ hodiernam conſuetudinem, qua Epiſcoporum eligendorum ius & poteſtas hominibus laïcis commiſſa eſt, neſcio quid veniæ in Ieſuita mereatur, & eo Ieſuita, qui nihil niſi zelum in Sedem Apoſtolicam inanibus atque fallacibus ſonis crepat; multò minus quonam modo poſt errores tam obtuſos, audeat etiam inſultare Cenſoribus, *ſua ipſi argutia capiuntur.*

S. Greg. l. 1. Regiſt. ep. 5.

Digitized by Google

SPONGIA.

Jllud notauerim quod dicit Gerſon, vnionem ad vnum viſibile caput, non eſſe Eccleſiæ *eſſentialem, plus aliquid eſſe quàm author dixit, nec omnino exactæ veritatis. Habere enim vnum viſibile caput quantum eſt ex forma regiminis, eſt* Eccleſiæ *eſſentiale, ita vt ea forma mutari non poſſit, niſi* Eccleſia *deſtruatur. Tamen habere viſibile caput ſemper actu exiſtens, non eſt* Eccleſiæ *eſſentiale. Vnde Richeriſtæ ex eo quod* Eccleſia, *Sede vacante, exiſtat ſine Papa, malè inferunt formam Monarchici regiminis non eſſe* Eccleſiæ *eſſentialem. Nam Sede vacante poteſtas vnius viſibilis capitis non omnino deficit, ſed manet in ijs qui tanquam Vicarij illius gubernant.*

Responsio.

Erubeſce, ſi potes, fœda iſta in Gerſonem ingratitudine, cuius operâ poſtquam vſa es in extrema egeſtate tua, cùm quid reſponderes non haberes; nunc eum à te reiicis, falſis etiam criminibus impoſitis, quem charitate ſaltem mutua defendere debueras, ſi cuius iniqua inſultatione premeretur. Nimirum puduit te in materia Pontificia non aliam defenſionem expromere potuiſſe, quàm ex eius penu, quem & tu, & tua Societas, quaſi Pontificiæ authoritati infeſtum traducere conamini. Vt te igitur eius ſententiæ ſimules non vndique conſentire, repentinum crimen affers, quo eum Eccleſiæ Monar-

Digitized by Google

chiam euertere voluiſſe inſimulas. Sed hæc calumnia improbiſſima eſt, nec ſolùm ingrata, ſed etiam improuida & temeraria, cùm proſpicere debueris eam funditùs elui, & expungi poſſe, non fœda Spõgia, ſed Gerſonis ipſiuſmet clariſſimis vocibus: quem de Pontifice & de Eccleſia diſſerentem audi, & aures arrige: *Status Papalis*, inquit, *inſtitutus eſt à Chriſto ſupernaturaliter, & immediatè tanquam primatum habens Monarchicum, & regalem in* Eccle*ſiaſtica Hierarchia, ſecundùm quem ſtatum vnicum & ſupremum, Eccleſia militans dicitur vna ſub Chriſto. Quem ſtatum quiſquis impugnare vel diminuere, vel alicui Eccleſiaſtico ſtatui particulari coæquare præſumit, ſi hoc pertinaciter faciat, hæreticus eſt, ſchiſmaticus, impius, atque ſacrilegus.* Duo docet; Primò, primatum Papæ eſſe Monarchicum & ſupremum, quaſi primatum regalem. Secundò, in eo primatu fundatam eſſe vnitatem Eccleſiæ ſub Chriſto, quod etiam alio loco ſupra teſtatus eſt, itavt etiam Sede vacante, Eccleſia ſuam vnitatem ab authoritatè Pontificali trahat. Porro autem Monarchiam hanc Eccleſiaſticam clarè docet eſſe immutabilem, eamque immutabilitatem ei præ quauis alia Monarchia propriam eſſe: *Nullam*, inquit, *aliam politiam inſtituit Chriſtus immutabiliter Monarchicam, & quodammodo Regalem, niſi Eccleſiam.* Ac deinde multo clariùs, *Nec ſufficit dicere, habemus Papam Chriſtũ, ſufficit vt credamus in eum. Nam talis vnio ad Chriſtum, etſi ſit neceſſaria, non tamen vſquequaque ſufficit, vt in-- ſtemus non procurando, quantum in nobis eſt,*

To. 1. tract. de ſtat. Eccleſ. conſid. 1. de ſtatu ſum. Põtif.

Ib. conſid. 2.

De auſer. Pap. conſid. 8.

Ib. conſid. 20.

Digitized by Google

vnionem alteram ad vnum Vicarium ſuum in terris, de quo conſtat Eccleſia. Nemo ſine dubio eſt cui iſta non ſufficiant, non ſolùm abſoluendo Gerſoni, ſed etiam Spongiæ apertiſſimè conuincendæ, non ſolùm quà falsò Gerſonem criminatur, ſed etiam quà ipſamet improbè ſentit, & multo magis rea eſt in eo ipſo in quo illum reum facit. Nam regimen quidem Eccleſiæ fatetur eſſe Monarchicum, & vnionem ad viſibile vnum caput eſſe Eccleſiæ eſſentialem; ſed ſemper diſertè fateri fugit ad habendam iſtam vnionem neceſſe eſſe, vt quis electionem veri capitis procuret, quantum in ſe eſt, & quæcumque eam remorentur auferat; ſempérque ſupponit ad ſeruandam vniuerſalis Eccleſiæ vnionem ſatis eſſe habere in animo agnoſcere Papam quando electus erit, nec quicquam ampliùs exigi. Adeò in hoc ſaltem acuta eſt, quod pulchrè videat aliter teneri non poſſe Eccleſiam Anglicanam ſi careat particulari Epiſcopo, eſſe Eccleſiam particularem. Si enim in Eccleſia vniuerſali eſſe non poſſit, niſi qui vniuerſalis Epiſcopi electionem adiuuat quantum poteſt, aut ſaltem nullum ei obicem ponit; ſequitur eâdem operâ, in Eccleſia particulari eſſe non poſſe, niſi qui omni ope in hoc incumbit, vt particularis Epiſcopus eligatur, aut eius electioni nullo modo obſtat. Quod cùm à Ieſuitæ propoſito longiſſimè abhorreat, fateri cogitur Gerſonem vnionem membrorum, & ad vniuerſalem Epiſcopum, & ad Epiſcopos particulares, arctiorem & magis neceſſariam conſtituere quam ipſa

ipſa faciat, & amplitudinem immobilitatémque Monarchiæ Eccleſiaſticæ, multo religioſiùs tueri.

Quod enim vnionem membrorum ad vnum viſibile caput *accidentalem vocat*, non eſt pueriliter argutandum in hanc vocem, cùm eius ſententiam planiſſimè teneamus. *Accidentalem* enim Eccleſiæ vnitatem nominat, non ad poteſtatem Pontificiam, quam in Eccleſia manere docet Sede vacante, & Eccleſiaſticæ vnitatis eſſe fundamentum; ſed ad perſonam ipſam Pontificis, aut vt ipſe loquitur, *ad vnũ certum Papam*. Neque rurſus vnitatem iſtam accidentalem vocat, niſi vt ſignificet ſolùm eſſe minus principalem & mutabilem, deficientibus & morientibus identidem Pontificibus. *Vnitas Eccleſiæ*, inquit, *ad vnum certum Vicarium Chriſti quodammodo accidentalis atque mutabilis eſt*. Agit ergo de vnitate ad certum & definitum Pontificem; eamque vnitatem accidentalem vocat, vt mutabilem ſignificet pro varietate perſonarum in ſedem Apoſtolicam ſuccedentium. Atque hoc ipſum, vt eam planius diſcerneret ab illa altera vnione ad Chriſtum Eccleſiæ principale caput, quam *eſſentialem* dicit, quia prorſus immutabilis eſt, vt & vnio ad ſedem Apoſtolicam, ſeu ad poteſtatem Pontificiam ſemper in Eccleſia inhærentem. Etſi autem iſta loquendi ratio non ſit vſitatiſſima, non tamen longiſſimè abeſt ab ipſa conſuetudine Philoſophorum, qui quamuis aliquam materiam fateantur eſſe homini eſſentialem, hanc tamen vel illam materiam, aut hanc vel illam materiæ particulam ei eſſentialem

De vnit. Eccl. conſ. 3.

E

negant, & quaſi accidentalem habent, hoc eſt; ſine ipſius naturæ interitu ſeparabilem. Nam authoritas & ſtatus Pontificalis, ſtabilis penitùs & immobilis, eſt velut anima Eccleſiæ; ſubiectum autem & quaſi materia authoritatis illius, eſt perſona illa cui Deus eam poteſtatem largitur.

Quod ſi Gerſon non ſolùm vnionem ad perſonam Pontificiam, ſed etiam ad ipſum Pontificatum *accidentalem* vocaſſet reſpectu vnionis ad Chriſtum, vt quantô *dignitas* Pontificia ſit infra Chriſti dignitatem, oſtenderet; quidnam haberet Spongia quod criminaretur? Etſi enim vnio ad ſummum Pontificem ſit per ſe eſſentialis Eccleſiæ, & immobilis, ita vt ſine ea iam Eccleſia eſſe deſineret, vt ſupra dictum eſt: tamen reſpectu vnionis ad Chriſtum, *accidentalis* dici poteſt, quia reſpectu poteſtatis Chriſti, poteſtas Pontificia & immutabilis eſt, & ab Eccleſia ſeparabilis, non ſolùm quia à Chriſto abſolutè tolli poteſt, ſed etiam quia non manebit niſi ad finem ſæculi, Eccleſia verò manebit in æternum, quia Chriſti regnum eſt, qui in æternum regnaturus eſt, vt docent Scripturæ. Sic etſi humanæ animæ, & Angeli, per ſe immortales ſint, tamen & D. Paulus ſoli Deo immortalitatem tribuit; & Angelos, atque animas reſpectu Dei mortales vocarunt SS. Patres multis locis. Nihil mirum quod ſicut poteſtatem Pontificiam ſupra quamuis aliam poteſtatem Eccleſiaſticã, & aduerſus hæreticornm blaſphemias ſuſtollimus, & amplificamus; ita eam reſpectu Pontificiæ Chriſti pote-

1. Tim. 6.

Vid. Iren. l. 2. aduerſ. hæreſ. c. 64. Ambroſ. l. 3. de fid. c. 2. &c.

ſtatis ſubmittamus. Sic enim & ipſum Chriſtum, quem vltra poteſtatem omnem ac maieſtatem exaggeramus, tamen reſpectu patris demittimus & abiicimus; vt ſicut Pontifex inferioribus poteſtatibus, Chriſtus Pontifici ſupereminet, ſic & Chriſto ipſi Pontifici præſit Pater, quia Paulo teſte, *cùm filio ſubiecta fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus ei erit qui ſubijcit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* 1. Cor. 15.

Nihil ergo cauſæ fuit cur Ieſuita verba Gerſonis reperet aduerſus mentem eius, ſaniorem vtique & magis Catholicam quàm ea quam ipſe præ ſe fert; neque cur Theologis Sorbonicis ſub falsò Richeriſtarum nomine falſa commenta impingeret, quæ illi multò veriùs multóque magis ex animo reſpuunt, quàm ipſe, & omnes ipſius Moliniſtæ, vt ex ſupra dictis patet. Nam quod ait, *Richeriſtas, ex eo quod Eccleſia Sede vacante exiſtat ſine capite, malè inferre formam Monarchici regiminis non eſſe Eccleſiæ eſſentialē.* Vaniſſimis cogitationibus indulget, quarum ſimiles nemo non modò Pariſienſis, ſed nec alius omninò Theologus antè ipſum finxit. Cur nugas ſpargit ſua ipſa Spongia leuiores? Cur ineptiſſimam argumentationem iis authoribus tribuit, quorum ſi vnicum proferre cogatur, ne hiſcere quidem poterit? Cur cogit nos ſe pro homine putare non ſolùm ſine fide, ſed etiam ſine corde, aut ſaltem ſine ea re vnde rubor emicat, cùm eius guttulam tot pudendæ culpę ex fronte ipſius duriſſima extundere nequeāt?

PROPOSITIO TERTIA.

Ex Cap. I. Num.17.

Cuius (ſummi Pontificis) *proprium & immediatum ſuper nos Epiſcopatum relinquere, vt ſit particularis Eccleſia ſub D. Chalcedonenſis, vt D. Doctor vellet, eſſet relinquere ſubſtantiam, & vmbram prendere.*

CENSVRA.

Iſta propoſitio, inquantum innuit Eccleſias quæ admittunt Epiſcopos particulares, relinquere ſummum Pontificem, eaſque aſſerit relinquere ſubſtantiam & vmbram prendere, eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & dignitati Epiſcopali iniurioſa.

SPONGIA.

In Cæſaris Frederici aula inter medicos quæſtio agitabatur, Quæ res ſit quæ viſum homini maximè acutum præſtet? cùm nonnulli fœniculum, alij alia nominarent, nobilis adoleſcens qui intererat magno cum omnium applauſu dixit, Inuidiam. *Neque tamen verum dixit, niſi craſſe falſa & mendacia videre acuminis putetur. hoc viſus ſiue oculamento, ſiue cæcamento, collector inſtinctus, monſtra & laruas in Danielis libro videt, Sorbonæque oſtentat quas debellet; ex quibus hæc tertia Propoſitio, quam modo damnant. Nuſquam enim author innuit, aut aſſeruit, populos quibus veri proprijque Epiſcopi dantur, ſi illis adhærent, deſerere Pontifi-*

Digitized by Google

cem (hoc eſt ſubſtantiam) & vmbram prendere. Loquitur de Reuerendiſſimo Chalcedonenſi, quem probat non eſſe proprium Catholicorum Angliæ Epiſcopum, ſed ad ſummum, prout ipſe dixit, ſummi Pontificis Vicarium generalem ad vniuerſitatem cauſarum delegatum. *Dicit igitur Anglos Catholicos eſſe Eccleſiam, ſeu plebem ſuo Epiſcopo adunatam, quatenus vniuntur ſummo Pontifici, qui eſt eorum Epiſcopus; quatenus verò vniuntur Reuerendiſſimo Chalcedonenſi, non vniri ſuo Epiſcopo, ſed ad ſummum Vicario Epiſcopi ſui. Hinc (ſi quod D. Doctor Kelliſonus vrget) relinquant ſummum Pontificem, putantes quod adhærendo illi non adhæreant proprio ſuo Epiſcopo, nec fiant Eccleſia; recipiant autem Chalcedonenſem, credentes eum eſſe proprium ipſorum Epiſcopum, quodque ipſi adhærendo, ſint plebs ſuo vero Epiſcopo adunata, dicit author hos decipi, relinquere verum ſuum Epiſcopum, & admittere tantum eum qui non eſt Epiſcopus, & vmbratilem ſi munus ſpectes, atque adeò relicta ſubſtantia vmbram prendere.*

Responsio.

Obliquas ſtylum, & æquiuoca reſponſione Cenſuræ fraudem facis. Scripſit Daniel, imo tu ipſe ſcripſiſti, Epiſcopum Chalcedonenſem accipere ſicut Kelliſonus vellet, nempe tanquam miſſum à Pontifice, vt ſit verus Angliæ Epiſcopus, vt vnà cum ipſo Epiſcopo Eccleſia Anglicana Eccleſiam particularem conflet, eſſe relictâ ſubſtantiâ vmbram prendere. Hac verò propoſitione negare non potes omnium generatim Epiſcoporum authoritatem ex-

Digitized by Google

ſcindi. Nam Kelliſonus nunquam voluit, Epiſcopum Chalcedonenſem accipiendum eſſe ab Angliæ Catholicis, quamuis non miſſum à Pontifice, vt ſit eorum Epiſcopus, & quamuis authoritatis iſtius vſurpatorem. Planè accipi voluit, vt eorum Epiſcopum, ipſis à Pontifice maximo verè miſſum & præfectum. Contrà Daniel palam aſſeuerat, eum accipere, non tanquam non miſſum, ſed *ſicut vellet Kelliſonus*, hoc eſt ſicut miſſum, ſicut proprium Epiſcopum, eſſe relinquere ſubſtantiam, & vmbram prendere. Quare Spongia ſentiens ſe illa vocula, *vt D. Doctor vellet*, premi faucibus, & manifeſtè teneri, eam in Apologiæ ſuæ Latina verſione elidere maluit, quàm ab ea ſe elidi pateretur. O ſi eiuſdem calami acie totum opus eliſiſſet! nihil eſſet quod exprobraremus. Non enim vnius lituræ crimen, atque adeo tot prioris ſcriptionis crimina meliùs purgare potuit, quàm lituris multo pluribus, totum opus ad calcem vſque, eâdem qua ſcripſit manu, quaſi ſtrumam reſecando. Nunc verò errorem vnicum ita delet, vt aſſerat, non vt deleat. Delet ex Apologia, aſſerit in Spongia; quod in Apologia tueri non audet, in Spongia audaciſſimè tuetur; audacior eſt apud iudices, quàm ſeorſum apud ſuos. Quid inſipientius? Quid minus Ieſuiticum? Si interpres falſauit locum, cur in calumniam non inclamat? ſi cum fide vertit, cur ipſa ſine fide falſat? Quid tibi faciemus, Spongia, quæ conſcientiam erroris tui hîc prodis, illic negas, & tam peruerſo animo eius emendationi admoues manum, vt corre-

ctio ipſa non pœnitentiam, ſed malitiam; non pudorem, ſed impudentiam, & obdurationem acriorem ſignificet? ſi peccatum in Spiritum ſanctum habetur veritati cognitæ repugnare, quid cognitum, atque adeo ſua manu emendatum errorem tueri?

Nec verò hæc ſola eſt fraudis & effugij deſperati nota; ſed etiam quod ipſa locutio Danielis, ſi rectè perpendatur, ſed à Cenſoribus perpenſa fuit, manifeſtè docet eum locutum de Epiſcopo Chalcedonenſi, etiamſi à Pontifice in Angliam tanquam proprius Epiſcopus Angliæ mitteretur. Cùm enim ait Anglos qui eum reciperent, *relicturos proprium & immediatum Epiſcopatum Pontificis* maximi, declarat ſe agere de recipientibus non ſuppoſitum, ſed verum & legitimum Epiſcopum.

Illi enim proprium & immediatum Pontificis Maximi Epiſcopatum verè relinquunt, qui olim ei ſoli ſubditi. Velut Epiſcopo proprio & immediato, poſt modum alij proprio, & particulari Epiſcopo ab eo ſubduntur, vt iam Pontifici Maximo ſubſint, non tanquam immediato, ſed tanquam mediato & ſupremo Epiſcopo, non tanquam proprio, ſed tanquam generali & vniuerſali totius Eccleſiæ Præſuli; eò prorſus modo quo populi principibus inferioribus ſub vno ſummo Principe & Imperatore ſubiecti ſunt. Quo exemplo ipſa Spongia vtitur paulò pòſt, tametſi contrarium ſuperiùs apertè ſcripſerit vt cauſæ ſeruiret: quàm *Ad cauſ. 7.*

ipſius inteſtinam diſcordiam nos illic caſtigauimus. Qui autem fictitio Epiſcopo adhærent, quaſi vero & proprio Antiſtiti, non dicuntur proprium & immediatum Pontificis Epiſcopatum relinquere, cùm tam generalem quàm proprium, tam mediatum quàm immediatum eius Epiſcopatum deſerant, quia ſchiſma faciunt, & ab Eccleſia ſeipſos penitus dilacerant.

Itaque torqueat ſe quantum volet Spongia, nunquam vim veritatis, vel potius erroris ſui apud cordatos iudices effugiet. Aut enim de illis Apologia loquitur qui Epiſcopum Chalcedonenſem admittunt vt proprium Epiſcopum, etſi putent non eſſe miſſum à Pontifice vt ſit proprius Epiſcopus; Et hos inepte dixiſſet relinquere immediatum, & proprium Epiſcopatum Pontificis, cùm omnem omninò eius Epiſcopatum qualemcumque deſerant, vt dictum eſt: Aut de iis loquitur qui Epiſcopum illum amplectuntur velut miſſum à Pontifice, & ipſis datum in Epiſcopum proprium, cùm antea Epiſcopum proprium haberent ipſum Pontificem. Et hoc dicere non potuit relinquere ſubſtantiam & vmbram prendere, quin eos omnes qui Epiſcopis vt propriis Epiſcopis ſuis ſe ſubmittunt, relinquere ſubſtãtiam, & vmbram prendere fateatur.
Eccl. 4. 30. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.*

Deinde propoſitio iſta ſcandali & offenſionis plena eſt, quâ dicitur, recipere Epiſcopum, eſſe vmbram prendere. Vnde quamuis in reipſa nihil haberet

haberet vitij, nec eam author mala mente protuliſſet, tamen iure notaretur vt ſcandaloſa & dignitati Epiſcopali à Deo in Eccleſia conſtitutæ iniurioſa, quemadmodum à Cenſoribus notata eſt.

Denique turpiſſimum eſt Moliniſtas imitari hæreticos, qui Chriſto dicente ſe nobis tradere corpus ſuum, voces eius ita exponunt, quaſi vmbram nobis ſolummodò figuramque ſui corporis dederit. Cùm enim Pontifex ſuo Breui declaret ſe Angliæ Catholicis dare Epiſcopum; iſti interpretantur ipſum illis dare ſolam vmbram Epiſcopi; eodem ſcilicet errore peccantes in Epiſcopum, qui vinculum externum eſt vnitatis Eccleſiæ, quo hæretici in Chriſtum peccant, qui eiuſdem vnitatis in Sacramento ſanctiſſimo internum vinculum eſt; & eadem ingratitudine Pontificis Maximi Chriſti vicarij munus deprimentes, qua hæretici Chriſti ipſius munus extenuant.

Secundò imitantur hæreticos, Quia ſicut hæreticis mos eſt, quo ſecuriùs & tutiùs ſua venena diffundant, ſub propoſitionibus externa facie & reuera falſis, veros ſenſus includere, vt ſi earum perſpicua falſitas in odium, & reprehenſionem incurrerit, eam illa obſcuriore & fraudulenter abſtruſa veritate tutentur ac vindicent. Ita iſti cùm Epiſcopum Chalcedonenſem, & vnà cum eo Epiſcopalem poteſtatem in contemptum Catholicorum Angliæ adducere cuperent, ſcripſerunt & ediderunt, relinquere proprium & immediatum Epi-

Digitized by Google

ſcopatum Pontificis, & Epiſcopum Chalcedonenſem accipere, ſicut Kelliſonus vellet, eſſe relinquere ſubſtantiam, & vmbram prendere; ſenſum interim alium in eandem propoſitionem abdentes, nulli menti facilè peruium, quo eos fruſtrarentur & eluderent, qui perſpicuam eius propoſitionis enormitatem inſectarentur. Adeò non errores ſolùm cum omnibus hæreticis, ſed eodem etiam cum iis ſpiritu pepererunt.

SPONGIA.

Quid hîc dicitur quod poſſit pertinere ad iniuriam Epiſcoporum aliorum, qui proprij Paſtores, non tantùm Vicarij ſummi Pontificis, ſed veri principes ſunt? Res fiet luce clarior exemplo. Si plebs Hiberniæ proregem à Rege Sereniſſimo Angliæ miſſum proprium ſuum regem dicant, & ei tanquam regnum, & populus ipſius adhæreant, decipiuntur, & falſum Regem amplectuntur loco veri, relicta ſubſtantia vmbram prenſant. Quis dubitat? At ſi Sereniſſimus Rex Principem filium ſuum Regem Hiberniæ conſtitueret, illique ſceptrum reſignaret; plebs quæ eum Regem agnoſceret, & ſe ſub eo regnum putaret, non deciperetur, nec de ſubſtantia ad vmbram, ſed de ſubſtantia ad ſubſtantiam, à vero Rege ad verum Regem migrarent. Ita ſummus Pontifex, ſi populum, quem per ſe tanquam proprius Epiſcopus rexit, reſignaret proprio Epiſcopo ibidem conſtituto, qui princeps ſit, ſceptrumque perpetuum regiminis teneat, populus illi Epiſcopo adhærens non relinqueret ſubſtantiam, & vmbram prenderet, ſed à ſubſtantia ad ſubſtantiam, ab vno

proprio Epiſcopo ad alium proprium Epiſcopum tranſiret, *vt qui regnum ſpirituale erant ſub ſummo Pontifice, regnum ſpirituale maneant ſub inferiore Principe, ſummo* Principi ſubordinatum. *At ſi Pontifex non crearet ibi proprium Epiſcopum, ſed retento ſceptro regiminis ſibi, Vicarium ſubſtitueret (vt in Anglia) qui Vicarium dicerent ſuum proprium Epiſcopum, (vt D.* Kelli*ſonus vrget) nonne deciperentur? An non loco ſubſtantiæ vmbram prenſarent? Igitur in hanc propoſitionem cùm Richeriſtæ latrent, tanquam Epiſcopis propriis iniurioſam, nimiûm quam ſimiles illi cani videntur, qui*

Gutture trifauci inanes territat vmbras.

RESPONSIO.

Omitte caninas ſimilitudines, nimium quàm caninæ tuæ facundiæ appoſitas. Mitte trifaucem Cerberum, quem tu non triplici capite, qui nullum habes, quia Spongia es, ſed triplici fauce vel exæquas, vel ſuperas, cùm plura maledicta, & figmenta audaciſſima euomas, quàm non tres, ſed octo fauces elatrare poſſent. Redi ad rem, & tuo te telo, tua inquam, non iam canina, ſed regia ſimilitudine, te victum vide: ſic enim caninas ſimilitudines regiis, gryphes equis, quadrata rotundis, miro artificio colligas.

Si ergo Angliæ Rex mittens procerem aliquem ad Hibernos, ſcriberet ſe Regem iis dare conſtituiſſe, eumque antequam mitteret, corona regia redimiret; nullus opinor, tam eſſet mente abſo-

Digitized by Google

nus, qui non intelligeret nobilem illum à Rege mitti vt eſſet Hiberniæ Rex, eoque nomine debere accipi ab Hibernis. Cùm igitur Pontifex ſuo Breui palam denunciet ſibi eſſe in animo *Angliæ Catholicos ſicut cæteros Eccleſiæ filios, Epiſcopi ſolatio ſubleuare, qui omnibus & ſingulis facultatibus quibus ordinarij in ſuis ciuitatibus & diœceſibus vtuntur, fruuntur, & gaudent, ac vti, frui, & gaudere poſſunt, ſimiliter vti, frui, & gaudere, liberè & licitè poßit & valeat*; & eum quem ad ipſos mittit Epiſcopali conſecratione prius initiari iubeat; à recta omni cogitatione abhorret talem non eſſe miſſum vt ſit Angliæ Epiſcopus; & quicumque hoc cogitant, recuſare non poſſunt quin manifeſtè pertinaces & contumaces habeantur.

Et ſi verò Epiſcopus Chalcedonenſis in Anglia ſolùm eſſet Vicarius generalis Pontificis; non capio tamen cur ideo Epiſcopus, & paſtor Angliæ eſſe deſineret, cum ipſe Spongiæ faber, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, quàm auſus eſt Latinæ verſioni Apologiæ ſuæ præſcribere, nuncium Apoſtolicum Galliæ Paſtorem Angliæ agnoſcat, qui tamen non niſi Orator & primarius quidam Vicarius eſt Pontificis, nec ad obeundas quidem in Anglia functiones Epiſcopales miſſus eſt, vt Epiſcopus Chalcedonenſis.

Quæ omnia luce clarius faciunt, reſponſiunculas iſtas, mera eſſe effugia, meras latebras, nec quicquam afferre quo Daniel & Spongia purgari valeant, quominus dignitatem Epiſcopalem infa-

Digitized by Google

mare contenderint. Imò hoc ipſum tanta defenſionis iſtius infirmitate iam multò minus dubium effecerunt.

TITVLVS II. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

PRIMA PROPOSITIO.
Ex cap. 2. §. 3. in titulo.

Catholicos Chriſmate vnctos in Baptiſmo, licet ab Epiſcopo non confirmatos, perfectos eſſe Chriſtianos in ſenſu Patrum.

SECVNDA PROPOSITIO.
Ibidem num. 21.

Infero Anglos Catholicos qui baptizantur ritu Catholico, vel qui recipiunt ceremonias Catholicas baptiſmi, licet non confirmati fuerint ab Epiſcopo, fuiſſe & eſſe perfectè Chriſtianos omni modo.

CENSVRA.

Vtraque propoſitio eſt falſa, temeraria, contra ſenſum communem Patrum, in contemptum Sacramenti Confirmationis, & in errorem inducens.

SPONGIA.

In primis 2. propoſitio non eſt fideliter ex Anglico in Latinum verſa. Non enim dicit author Chriſmatos eſſe perfectè Chriſtianos omni modo, *quaſi non ſit*

alius modus vlterioris perfectionis; ſed Anglicè Euery Vvay, *hoc eſt, vndequaque ſeu ab omni parte. Stupidi eſt differentiam non aduertere inter* perfectum vndequaque, *ſeu ab omni parte, &* perfectum omni modo, *cùm quis eadem in parte varijs modis perfici poſsit. Quid ſit autem ab omni parte eſſe Chriſtianum perfectum ibidem, hoc eſt, c. 2. n. 21. Author explicat:* Hoc eſt, *inquiens,* interius & exterius, non tantùm anima, ſed etiam corpore. Nam qui baptizantur ſine Chriſmate, ſunt quidem interius Chriſmati ſeu Chriſtiani, gratia ſancti Spiritus inuncti, at exterius non ſunt Chriſmati, atque adeo non perfectè, non ab omni parte Chriſtiani & vncti. Qui verò baptizati Chriſmate inunguntur, vncti ſunt, & Chriſti, ab omni parte, interius, exterius, animo, corpore, & ita Patrum ſenſu perfecti Chriſtiani. *Intelligere Patres, in hoc ſenſu cùm dicunt Richeriſtæ falſam, temerariam, ſcandaloſam, contra communem ſenſum Patrum; in contemptum ſacramenti oſtendunt ſe eos eſſe, quibus Dominicus Bannes (vt iam monui) ſapienter improperat tantam facilitatem Cenſuræ, vt meritò irrideatur. Enimverò an non ridiculum, expoſitionem quam grauiſsimi Theologi ſequuntur, quamque author collatis Patrum teſtimonijs neruosè probauit, putare ſe poſſe ſolo verborum flatu abigere ex Catholica ſchola?*

Responsio.

De ipſa re ac ſententia vtrarumque iſtarum propoſitionum, mox viderimus. Quam interim Spongia non parum debilitat, dum *grauiſsimos* il-

Digitized by Google

los *Theologos* tacet, quos eam ſequi gloriatur. Cùm enim illos in tanto ſuo diſcrimine, in tanta neceſſitate non proferat, quis ei vllos præſto eſſe credat? Non tanta dedit hactenus modeſtiæ ſuæ, & humilitatis ſpecimina, vt eam præcipua ſuæ cauſæ adiumenta conſulto ſilere arbitrari debeamus. Nemo enim antè ipſam fuit Theologus cui ſomnia huiuſmodi per cerebrum volitarint. Vel cedò, dicat quinam illi ſint. Multò minus Patres cum ipſa faciunt, quibus nos eam iudicibus opprimendam deſtinamus. Patebit enim ſequentibus reſponſionibus quàm enerues & elumbes ſint, illæ probationes Danielis è Patribus ſumptæ, quas ſcilicet *neruoſas* vocat. Nam eaſdem penitus hoc loco ſumma inopia coacta repetit, nec quicquam affert, quod non idem in Apologia ante decantarit, vt non tam nouam defenſionem cudere, quàm Apologiam ſuam, totumque Danielem retexere, & in Spongiam transfingere videatur. Quare dum illi reſpondebimus, eadem operâ neruoſa illa è Patribus argumenta, non *verborum flatu*, ſed rationum impetu; non *ex Catholica ſchola*, in qua nunquam fuerunt, ſed ex Catholicorum memoria, quorum mentes periculoſiſſimis iſtis erroribus improbè pulſatæ fuerunt, tam facilè *quàm verborum flatu*, abigemus. Sunt enim ineptiſſimi centones locorum pauculorum maximeque vulgarium ex aliquot Patribus collectorum, in quibus tantum acumen, tanta vis ad conficiendum Spongiæ propoſitum ineſt, vt non à Ieſuita, hoc eſt ab homi-

ne cæterorum hominum longe doctiſſimo, conquiſiti ad rei maximè ſeriæ, ad errorum ſuorum maximorum, propugnationem, ſed ab imperito nouitio ad exercitationem ingenij aduerſus veritates certiſſimas ventilari videantur. Quorum tamen confutationi alia confutatio anteponenda eſt parergorum quorumdam, quibus Ieſuita ſuam reſponſionem præmuniit.

Primùm quæro qua fiducia *Hermanus Lœmelius* Belga, & Antuerpienſis, ſi Spongiæ fides eſt, vim ſermonis Anglicani, ſe melius tenere iactet quàm interpretes Anglos indigenas, quàm Scotos diu in Anglia verſatos, & ſermone ipſo patrio ab Anglis non ita multum diſſonos? Huiuſmodi homines quonam modo in re ipſis natiua arguere audet externus homo, & iſtius linguæ fortaſſe ignarus, vt eam Belgæ non ita vulgò norunt? Aut ſi hoc audet, quo iure, aut ſaltem quo iudicio, fidem à nobis poſtulat? Cùm ſi ipſi Angli in re ſibi notiſſima & vernacula errauerunt, multò magis timendum ſit ne homo alienigena, qui fortaſſe nunquam pedem in Angliam intulit, ſimili errore capiatur? Iudicium igitur tuum hîc requirimus, Malè Hermanum Lœmelium ſimulas, teque multo veriùs in hoc ipſo Spongiam præbes. Malè perſonam quam tua tibi ſcena impoſuit, ſuſtines. Malè agis, male loqueris. Quod ſi malus hiſtrio, malus Theologus, & bona tantum Spongia es; quantum malum ipſum tuum bonum eſt? *Ita videlicet mentem impellit feruor, quo non trahit deſiderium,*

S. Greg. paſt. p. 3. c. 1. admon. 10.

rium, & agit commota velut neſciens, vnde pòſt doleat ſciens.

Deinde cauſam non habes cur eos vituperes, & ſtupidos voces, qui non vident quid differat inter *perfectum vndequaque, ſeu ab omni parte;* & *perfectum omnimodo.* Vide ne cui forte tu ſtupidior videaris hoc videndo, quàm alij non videndo. Si qua enim inter hæc differentia eſt, ea tam exigua, tam etiam huic loco aliena eſt, vt vitium quod Græci vocarunt oxymorum, effugere nequeat, qui eam in rem, de qua agimus, accommodare conetur. Nam etſi in propoſitione Danielis nihil iſtorum eſſet, ac ſeu *omnimodo,* ſeu *vndiquaque* pariter ex ea tollerentur, non ideo minus eſſet erronea, & eiuſdem notæ digna, quâ à Cenſoribus inuſta eſt.

Quamobrem Cenſores nullam iſtius particulæ rationem habuerunt, ſed ipſam propoſitionis vim & quaſi ſubſtantiam inſpexerunt; nimirum, eos qui cum vſitatis Eccleſiæ ceremoniis baptizantur, quã-uis confirmati non ſint, perfectos tamen Chriſtianos eſſe ſenſu Patrum. Si enim propoſitionem in eam partem, in eamq; ſententiam cepiſſent, quam Spongia illi particulæ, *omni modo*, attribuit, ita vt ſignificaret eos qui cum Eccleſiæ ceremoniis baptizati fuerunt, perfectos eſſe Chriſtianos modis omnibus, nec eſſe *alium modum vlterioris perfectionis;* eam non vt erroneam, ſed vt hæreticam profligaſſent. Eſt enim ipſiſſimus error Pelagianorum, & multo poſt Beguinarum, & Begardorum, poſſe vi- *Aug. l. 1. de grat. Chriſ. cap. 49. & l. 4. ad Boniſ cap. 12.*

Vid. Clem. ad noſtrum de hæret. Et B. Anton. 3. p. hiſt. tit. 11. c. 3. §. 2.

delicet quempiam in hac vita tantum perfectionis aſſequi, *vt non ſit alius modus vlterioris perfectionis.* Vnde patet hoc reſponſum nihil eſſe niſi tricationem & vitilitigationem meram, ſi quo pacto Cenſuræ procella ſubterfugi, & in interpretes immeritos traijci poſſet.

Poſtremò voces illæ, *omnimodo*, & *vndiquaque*, in hoc negotio idem valent, & idem habentur ex vſitata ſermonis conſuetudine. Nihil enim denotant, niſi perfectũ eſſe omni genere perfectionis: quemadmodum qui baptizati & confirmati fuerunt, plenitudinem gratiæ poſſident, vberrima gratiæ, donorumque omnium Spiritus ſancti largitate. Sic Paulus cùm Corinthijs ſcriberet eos in omni ſcientia, & in omni gratia eſſe perfectos, *ita vt nihil eis deeſſet in vlla gratia*, noluit vſque eò perfectos dicere, vt nulla eorum perfectioni fieri poſſet acceſſio; ſed eos omnis generis gratiarum & munerum Spiritus ſancti abundantiam percepiſſe declarauit. Cæterum de commentitia illa Chriſtianorum perfectione in ſolo corpore exterius ſita, dicemus inferius, & Phariſaïcam, non Chriſtianam eſſe docebimus.

1. Cor. 1. 7.

SPONGIA.

Præter dicta in Apologia, hanc Patrum expoſitionem eſſe germanam duplici argumento efficiam. Primò, cenſeri plenè perfectéque Chriſtianum, & iure meritóque appellari Chriſtianum, apud Patres rem eandem ſignificant, proprium ſcilicet effectum Confirmationis. Sic Cy-

rillus, hoc accepto Chriſmatis dono meritò appellamini Chriſtiani. *Iuſtinus Martyr*, vngimur in baptiſmo, vt Chriſti & vncti dicamur. *Cyprianus:* Neceſſe eſt vngi baptizatum, vt recepto chriſmate eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. *Hinc colligitur plenè perfectéque* cenſeri Chriſtianum, *&* *meritò* appellari Chriſtianum, *rem eandem eſſe apud Patres : ſed qui chriſmatur in baptiſmo presbyterali vnctione in vertice, meritò appellatur Chriſtianus. Huius rei teſtes plurimos citare poſſem, ſed vnius teſtimonio contenti erunt, nimirum Gerſonis Cancellarij ſui. Js tom. 2. Operum quæ ipſimet ediderunt col. 75. ſic ſcribit* : Poſt baptiſmum autem fit vnctio Chriſmatis in vertice, vt appareat mens imputribilis Deo, & vt ſpiritui Chriſti participando merito appellaretur Chriſtianus, hæres iam regni effectus. *Quod ipſum affirmant duo Epiſcopi*, Rabanus Maguntinus, & Iuo Carnotenſis, *totidem penè verbis, à quibus Gerſon ſua ſumpſit. Igitur baptizatus & vnctus in vertice meritò appellatur Chriſtianus, atque adeò in ſenſu* Patrum *eſt plenè perfectéque Chriſtianus*

Catech. 3. *In qq. reſpõſ. q.* 1370. *Ep.* 44.

Responsio.

O inſulſam collectionem! quam tamen Spongia fruſtra prædicat ſe nunc primùm adiicere *præter dicta in Apologia*, cùm & illam, & omnia Patrum teſtimonia, quibus iſtic abutitur, ex Apologia tranſtulerit, iam penitus exhauſta & inops vel in erroribus & commentis effingendis; & fruſtra ad eluendas Cenſuræ maculas ea repetens & incul-

Digitized by Google

cans Cenſoribus, quæ iam in Apologia viderant. Tanta ſuperbia & vanitas fuit, vt cùm nihil quo errores ſuos tueretur, excogitare poſſet amplius, maluerit tamen eadem ipſa quæ iam damnata fuerant in nouum libellum tranſcribendo, aliquid reſpondiſſe videri, quàm vt tacens, cùm nihil noui haberet quod diceret, victa eſſe videretur. Atque in hunc penè modum tota Spongia concinnata eſt: vt vere dicere liceat eam nihil eſſe quàm Apologiæ fruſtula in Spongiam conſarcinata, magiſq; Apologiam præſidio & defenſioni eſſe Spongiæ, quàm Spongiam Apologiæ.

Operæ pretium autem eſt, antequam ſigillatim reſpondere incipiamus, totam Ieſuiticam opinionem, aut potius fabulam, lectoribus enarrare. Sicut enim errorum hæreſumque magiſtris verè olim B. Hieronymus: *Eccleſię victoria eſt, vos aperte dicere quod ſentitis;* ita victoriæ noſtræ pars maxima eſt, inania figmenta quibus ſacramentum Confirmationis interuertitur, ſubmotis ambagibus, reductoque velamine, ob animos oculoſque legentium ſtatuere, vt eos grauiùs percutiant, non ad vulnus, ſed ad vulneris cautionem, & auerſationem. Putat enim Ieſuita, homini iam baptizato nihil deeſſe vt plene perfecteque Chriſtianus efficiatur, niſi externam corporeamque vnctionem; quia Chriſtianus nihil aliud eſt quàm vnctus; Baptizatus autem plene vnctus eſt anima gratia baptiſmali; nec supereſt niſi vngi etiam corpore extrinſecùs, vt plene vnctus, ac per hoc plene per-

Hieron. ep. 66.

Digitized by Google

fectèq; Chriſtianus fiat. Ita vt,[a] perfectionem & cõplementum Chriſtiani nominis ponat in vnctione corporea & externa, quæ vndecumq; adueniat, ſeu à ſacramento Confirmationis, ſeu à chriſmate baptiſmali, per eam homo baptizatus perfectè ac plene Chriſtianus euadat, non ſecùs ac ſi confirmatus[b] fuiſſet. Vnde non eſt mirum ſi vnctio baptiſmalis ſuppleat effectum ſacramenti Confirmationis, qui eſt perfectio Chriſtiani nominis. Cùm enim hæc perfectio ſita ſit in externa vnctione, & ſacramentum Confirmationis perfectum Chriſtianũ eatenus efficiat, quatenus[c] corpus exterius inungit; nihil mirum hanc eandẽ perfectionem, & hũc effectũ Confirmationis, qui nihil eſt niſi corporea vnctio, per chriſma baptiſmale ſuppleri, cũ per illud tã vngatur exteriùs corpꝰ, quã per ſacramentũ Cõfirmationis. Non negat tamen Confirmationi interiorem etiã effectum; neque chriſmationi baptiſmali, cuius etiam interiori effectu ſuppleri vult interiorem effectum Confirmationis. Sed neutri interiorum iſtorum effectuũ tribuit, vt per eos homo baptizatus perfectus Chriſtianus fiat, quia ſine illis iam plenè vnctus erat intrinſecùs plenitudine gratiæ Baptiſmalis, nec aliud ad nominis Chriſtiani perfectionem deſiderabatur, niſi externa corporis vnctio. Quare accurate diſtinxit duos iſtos effectus ſacramenti Confirmationis, quorum altero homines fiant perfecti Chriſtiani, altero robur aſſequantur, vt patet ex prima & ſecunda aſſertione Spongiæ ad Cenſuram propoſitionis, de

[a] Si quis abſque Chriſmate baptizatur, reuera eſſẽtia hominis Chriſtiani nõ caret interna, ſcilicet Sp. ſancti vnctione, &c. Caret tamen externa quadam ceremonia, ſeu complemento, ſine quo Chriſtiani nominis hæreditatem plene perfecteque non adibit. Apol. c. 2. § 3. n 19.

[b] A Presbytero chriſmatus dici poteſt & debet Chriſtianus, non ſecus ac qui eſt ab Epiſcopo cõfirmatus. Spong. p 50.

[c] Sequitur baptizatos in Eccleſia primitiua, ſi forte ab Epiſcopo ſimul confirmati non eſſent, non fuiſſe plenè Chriſtianos, &c.

Digitized by Google

Ratio in promptu eſt, quoniam nemo plenè cẽſetur Chriſtianus qui plene non ſit delibutus Chriſmate, internè externeque, anima & corpore. Nulli autem tunc temporis exterius Chriſmate, à quocumque inungebantur, præterquam ab Epiſcopo, dum Confirmationis conferretur Sacramentum. Apol. cap. 2. §. 3. num. 21.

d *Aug. l.* 6. *de Muſ. c.* 11

qua agimus, & vtroſque ſuppleri docuit ceremonia baptiſmali.

Hæc eſt Ieſuitæ mens de ſacramento Confirmationis, de vnctione baptiſmali, & de perfectione nominis Chriſtiani, ſimpliciſſimè & candidiſſimè ex eius dictis & reſponſionibus, quoad fieri potuit, expreſſa, & quàm breuiſſimè res tam fictitia, & tam inaudita exprimi potuit. Eſt enim doctrina ſomniis & inanitatibus, vt per ſe patet, pleniſſima, merum ludibrium, mera laſciuia impotentis ingenij, phantaſiis & fabulis, quibus hæretici ſumma religionis myſteria inuoluerunt, & quas in Caluini ſcriptis interdum ſtupentes legimus, quàm ſimillima.[d] *Sequuntur enim nonnulli ſua phantaſmata tam præcipites, vt nulla ſit materies omnium falſarum opinionum, quàm habere phantaſias.*

Ex quo facile videas quantopere miſerandos iſtos mortales ſuis ingenijs & affectibus indulgere oporteat intra domeſticos parietes, in ſcholarum puluere, in animis ſuorum ſeorſim gregalium, in latebris regionum hæreticarum; cùm obiecta ſibi ex aduerſa parte Facultatum Theologicarum celeberrima, illuſtriſſimo Antiſtitum Galliæ conſeſſu, toto regno Britanniæ, tota Eccleſia Catholica, in re ad Sacramentorum Dei, & ad ſalutem fidelium grauiſſima, has nugas, hæc delitia, has intemperies æſtuantium animorum, numquam ad hoc æuum in Eccleſia auditas, & myſteriorum Eccleſiæ ſanctiſſimorum impie irriſorias, in medium proferre audeant, inuitis omnibus propu-

Digitized by Google

gnare, pro Catholica etiam doctrina peruicaciter inculcare, quæ *ab omnibus Patribus, & Theologis Doctoribus, nullo diſſentiente aſſeratur.* Sed nolo plura: Ac mihi veniam dabunt, quoſcumque Chriſtianæ religionis, & myſteriorum Chriſti ampliſſimorum tangit honor, ſi tantum eorum contemptum, tantam in ijs ſubuertendis licentiam, æquo animo ferre non poſſim, pro ea quam mihi Deus impertijt rerum ſuarum omnium veneratione, præcipuè his calamitoſiſſimis temporibus, cùm penè adhuc Eccleſiæ penetralia fumant ab inſanis ſtragibus quibus hæreſis myſteria Chriſtiana depopulata eſt. Quod idem languente iam & ſeneſcente hæreſi, à Catholicis ipſis hominibus, ſummiſque, vt gloriari ſolent, Catholicæ Religionis athletis, dum iterum tentari video, *neſcio quid dicam, niſi vt doleam præſumptionem humanam, & mirer patientiam diuinam.* *Aug. ep. 174*

Reſpondendum tamen intentioni aduerſarij, ne epilogo quodam inuidiam quæſtionis declinaſſe videamur. *Ambroſ. l. 4. de fid. c. 4* Quò pernicioſior & craſſior eſt, eo ſtudioſiùs repellenda eſt.

Primò, collectionem eius ex Patribus, Iuſtino, Cyrillo, Cypriano, non ſatis capio, nec poſſum excogitare quam vim aut ſpeciem probabilitatis habeat. Si probare velit eos qui chriſmate baptiſmali inuncti ſunt perfectos eſſe Chriſtianos ſenſu Patrum, quia ſenſu Patrum Chriſtiani ſunt: quæro quæ Logica, quæ ratio iſtud collectionis fulciat: Chriſtiani ſunt, Ergo perfecti Chriſtiani ſunt? Ni-

hilne intereſt inter rem & rei perfectionem? An quoſcumque homines dicimus, homines perfectos dicimus, vt infantes in maternis vteris, in cunis, in puerilibus annis? Adeóne lædi non poteſt fides, quin continuò lædatur ratio & humana mens; quia fides & ratio vnius eiuſdemque diuini luminis expreſſiones, & radij ſunt? *Neceſſe eſt enim, vt aliter quam oportet humana æſtimet, qui diuina contemnit.* Nemo tam tyro eſt quin videat in perfecto Chriſtiano includi Chriſtianum, & aliquid amplius; & ideo illum ex hoc inferri non poſſe. Quamuis ergo conſtaret Patres pro Chriſtianis eos putauiſſe, qui chriſmate in baptiſmo inuncti fuerunt; non ideo ſequeretur eos putaſſe etiam pro perfectis Chriſtianis.

Aug.

Si velit Patres eos omnes quos Chriſtianos, vocarunt etiam perfectos Chriſtianos habuiſſe, & perfectum Chriſtianum à Chriſtiano nihil diſtare putaſſe; colligi poterit iſto modo etiam Cathecumenos nondum baptizatos perfectos eſſe Chriſtianos ſenſu Patrum, quia à S. Auguſtino Chriſtiani vocati fuerunt; multóque antea à Concilio Conſtantinopolitano primo: De qua locutione dicetur alibi. Quare quoquo ſe vertat Spongia, capitur, & vinculis implicatur inenodabilibus: & niſi Cenſuræ laqueos humilitate ſibi aperiat, eos ſuperbia nunquam perfringere poterit.

S. Aug de paſtor. c. 13. Concil. Conſtantinop. 1. can. 7.

Deinde quàm ridiculum probare conari eos qui chriſmate baptiſmi vncti fuerunt Chriſtianos

eſſe

eſſe ſenſu Patrum, quia eos Chriſtianos vocant Gerſon & Rabanus? Quaſi omnia quæ in ſcriptis Gerſonis aut Rabani ſunt, ſint in ſcriptis Patrum, & illi de ſuo ſenſu nihil protulerint quod ante non ſcripſerint Patres? Quomodo enim Cyprianus & Iuſtinus Martyr,, quos citat, ſentire potuerunt homines per vnctionem iſtam Sacerdotalem Chriſtianos fieri, aut perfectè Chriſtianos, cùm Spongia ipſa in Apologia aſſerat vnctionem iſtiuſmodi baptiſmalem eorum ætate nondum inſtitutam fuiſſe, & primùm cœpiſſe ſub Conſtantini tempora; quod ſuo loco quale ſit examinabimus? Quomodo igitur ſeriò dicere poteſt eos ſenſiſſe homines Chriſtianos effici per id genus vnctionis, quod nequidem noſſe poterant, cùm in rerum natura nondum eſſet? Vereor ne tandem iſti homines tantum abſurditatum effundant, vt Moliniſtarum nomen ijs demi oporteat, & aliud irrogari. *Apolog. c. 1. §. 3. n. 20.*

Neque verò Gerſon aut Rabanus dixerunt quemquam per illam vnctionem baptiſmalem Chriſtianum effici, aut Chriſtiani nomen accipere. Cùm enim iſta vnctio mera ceremonia ſit, & iuxta Spongiam ab Eccleſia ſerò admodum inſtituta, quid ineptius dici poteſt quàm nos Chriſtianos effici per meram ceremoniam, & Chriſtianum nomen, atque adeò Chriſtiani nominis perfectionem & complementum nihil niſi ceremoniam eſſe? Rideat tanti portenti inuentores, quo Chriſtiana dignitas dedecoratur, Chriſtiana Eccleſia

Digitized by Google

ſcandalizatur, hæreſi, atque adeò Atheïſmo via ſternitur. Vnctione iſta docet Gerſon non fieri nos, ſed declarari Chriſtianos, baptiſmo videlicet paulò ante factos. Attende verba: *Poſt baptiſmum fit vnctio chriſmatis in vertice, vt appareat mens imputribilis Deo;* Audin' *vt appareat,* non verò *vt fiat? Et vt ſpiritui Chriſti participando meritò appellaretur Chriſtianus, hæres iam regni effectus.* Vides cur meritò appellari dicat Chriſtianos? non quod vnctione iſta vncti ſint, ſed *ſpiritui Chriſti participando*, & *hæreditatem regni acquirendo.* Quod quia iſta chriſmatis vnctione declaratur, nos videlicet *ſpiritui Chriſti participaſſe*, & *hæredes regni factos eſſe,* ideò illa declarari docet nos meritò appellari poſſe Chriſtianos, non per illam ipſam fieri, vt meritò appellemur. Niſi fortè Spongia per illam vnctionem *ſpiritum Chriſti participari*, ſeu Spiritum ſanctum dari velit. Gerſon enim docet nos ſpiritum Chriſti participando meritò Chriſtianos appellari. Vnde patet ipſum hanc Chriſtiani appellationem tribuere baptiſmo, in quo verè *Spiritus* ſanctus *participatur* & infunditur, etſi non plenè perfectéque, vt poſtea in Confirmatione. Ideóque hæc ipſa Chriſtiani appellatio per Baptiſmum datur, etſi ſola Confirmatione plenè perfectéque detur. Nomen enim Chriſtiani vnctionem Spiritus ſancti ſequitur, cum eaque pari paſſu ambulat; non autem ab externa ceremonia pendet, multo minùs in ea ſita eſt.

Vana ſunt igitur, & friuola Spongiæ principia. Nam neque probat eos qui à Preſbytero chriſmate

Digitized by Google

in Baptiſmo inunguntur, fieri per eam vnctionem Chriſtianos ſenſu Patrum, etiamſi Gerſonis aut Rabani ſenſu fierent: quod tamen ſecus eſſe oſtendimus. Neque rurſus probat eos per vnctionem baptiſmalem ſenſu Patrum perfectos Chriſtianos effici, etiamſi ſenſu Patrum per illam Chriſtiani efficerentur. Omnibus enim hominibus naturale lumen priùs eripiat, & lumina Patrum extinguat neceſſe eſt, ſi perſuadere velit *Chriſtianos*, & *perfectos Chriſtianos*, non differre ſenſu Patrum; & eorum ſenſu licere inferri eum perfectum Chriſtianum eſſe, qui modò ſit Chriſtianus.

SPONGIA.

Secundo idem probatur. Nam qui eſt plenè, & vndequaque vnctus, debet Chriſtianus pleno ore, & meritò appellari & cenſeri. Sed baptizati, & chriſmati in vertice ſunt plenè vncti anima, corpore, intùs, exterius. Quod corporaliter & exteriùs ſint ceremonia vnctionis conſecrati, patet ad oculum. *Quod autem etiam interius ſint vncti plenitudine, & perfectione gratiæ ſufficiente, tradit expreſſè S. Thomas:* Eſt, *inquit*, plenitudo gratiæ Chriſtianæ ſufficiens ad ſalutem, & hæc datur in Baptiſmo; & eſt plenitudo gratiæ ad fortiter reſiſtendum, & hæc datur in Confirmatione, & ſine hac poteſt eſſe ſalus. *Et iterùm*, In baptiſmo datur gratia, quæ à peccato mundat, & ad bene operandum perficit, quantum ad ſufficientiam ſalutis. *Igitur cùm baptizati & chriſmati in baptiſmo ſint plenè, perfectéque vndequaque vncti, pleni*

In 4. d. 7. q. 1. a. 1. qu. 2. ad 1.

Ib. ad. 3.

Digitized by Google

& perfecti Chriſtiani, ſeu vncti, cur dici non debent? ſecundum illud Auguſtini: Omnes chriſmate vnctos rectè chriſtos poſſumus dicere.

Lib 17. de Ciuit. c. 4.

RESPONSIO.

Ecce alteram partem reſponſionis ex Apologia repetitæ. Adeò amat Spongia nugari, principium petere, errores damnatos per eoſdem tueri, ſordes ſordibus eluere. Videamus tamen hoc ipſum quale ſit, in quo tantum fiduciæ collocat, vt melius præſidium vel non quærat, vel non habeat.

Nam vtraque pars ſecundæ eius probationis eſt infirmiſſima & futilis. Eſto enim, ſit vnctus, quiſquis baptiſmali chriſmate à Preſbytero delibutus fuit. An ideò, non dico plenè Chriſtianus, ſed omninò Chriſtianus ſenſu Patrum? Iam enim ſupra oſtenſum eſt vnctione iſta baptiſmali neminem Chriſtianum fieri, non tantum ſenſu Patrum, ſed nequidem cuiuſquam aliûs quem Spongia citarit, neque verò vllius omnino Theologi. Nemo enim vnquam docuit nos iſta vnctione Chriſtianos effici, nedum perfectos Chriſtianos. Non refert igitur homines ita vnctos, poſſe dici vnctos exterius & interius, ſeu animo & corpore. Nam neque corpore inuncti ſunt ea vnctione quæ ad Chriſtianos faciendos inſtituta ſit, & qua Chriſtianos fieri docent Patres; vnde iſta vnctione baptiſmali nullo modo dici poſſunt Chriſtiani effici ſenſu Patrum: Neque ſine blaſphemia dici poteſt Chriſtiani nominis perfectionem & plenitu-

Digitized by Google

dinem in ſola vctione corporea, & in externa denominatione conſiſtere, ita vt homini baptizato nihil deſit ad perfectionem, & plenitudinem Chriſtiani nominis, niſi externa vnctio, & quidem ceremonialis. Turpiſſimum eſt ac pene impium aſſerere ſanctos Patres docuiſſe nos per Confirmationem eatenus ſolùm perfectos Chriſtianos reddi, quatenus ab ea exteriorem quemdam effectum percipimus, hoc eſt, externam vnctionem, qua denominamur exteriùs vncti. Hic enim error propè admodum ad Caluini aliorumque hæreticorum errorem accedit, qui reuera Sacramentorum operationes penitùs externas faciunt, nec aliud eſſe putant niſi notas & teſſeras exteriores, & planè ſacramenta Iudaïca. Mutantur in meras ceremonias myſteria Chriſtianæ religionis, ſi nihil in homine baptizato ad Chriſtiani nominis perfectionem deſideretur niſi externa, & corporea vnctio, & hac præcisè vnctione ſacramentum Confirmationis cum perfectum Chriſtianum efficiat. Quod ſi Spongia de alia quadam perfectione corporis quàm Baptiſmus, adeoque Confirmatio præbet, & quam ipſa non noſſe videtur, ageret; alio ei modo reſponderemus. Nunc verò tam imperita eſt, tam non Chriſtiana, tam Chriſtianæ amplitudinis non conſcia, vt illius complementum, & quaſi apicem in corporali effectu, in externa vnctione, in ceremonia conſtituat. Quod flagitium aures Chriſtianæ horrent.

Sequitur altera probationis pars æquè poroſa,

& ſpongioſa. Nullo modo enim probat eum qui baptizatus eſt, perfectè ac planè vnctum eſſe vnctione ſpirituali. Quod enim ex D. Thoma profert, nihil eſt. Primò, quia non quæritur de perfectè vnctis ſenſu D. Thomæ, ſed ſenſu Patrum. Purganda eſt enim Spongiæ ſua propoſitio, qua dicit eos qui ſolo baptiſmali chriſmate verticem illitum habent, perfectos Chriſtianos, & vndiquaque perfectos eſſe ſenſu Patrum. Secundò, quia manifeſtè patet ipſis verbis D. Thomæ hîc allatis à Spongia, quid ille nomine plenitudinis illius intelligat, quam in baptiſmo agnoſcit. *Eſt*, inquit, *plenitudo gratiæ Chriſtianæ ſufficiens ad ſalutem, & hæc datur in baptiſmo*. Quid hoc eſt, *plenitudo ſufficiens?* Quis neſcit aliud eſſe *plenitudinem*, aliud *ſufficientiam?* Catachreſticōs igitur loquitur Diuus Thomas, plenitudinem pro ſufficientia vſurpans, vt oſtendat expreſſiùs gratiæ baptiſmali nihil deeſſe, quominus homines ad ſalutem perducat, & vim ei non inanem & irritam, ſed ſatis plenam, & inſtructam ineſſe ad hunc effectum. Quod planiùs etiam declarat ſecundo loco à Spongia propoſito: *In baptiſmo datur gratia quæ à peccato mundat, & ad bene operandum perficit, quantum ad ſufficientiam ſalutis.* Nota verba, *perficit quantum ad ſufficientiam ſalutis,* vt videas perfectionem iſtam quam baptiſmo tribuere videtur, non procedere vltra ſufficientiam ſalutis. Nihil enim aliud vult quam in gratia baptiſmali omnia reperiri, quæ ad ſalutem exigantur, eamque hoc ſenſu plenam eſſe.

Digitized by Google

Quæ locutio etſi vera ſit, eſt tamen D. Thomæ propria, nec quicquam Spongiæ fauet. Non enim ait D. Thomas plenitudinem iſtam qualemcumque baptiſmalem, ſatis eſſe vt Chriſtianum abſolutè gratia plenum, pleneque ac perfectè gratia vnctum præſtet: Imò contrarium ſignificat, dum addit Confirmatione aliam ei dari plenitudinem, ſine qua per priorem abſolute plenus non eſt. Prima enim plenitudine vitam plenè habet, ſed vim ac fortitudinem perfectam ſine ſecunda plenitudine non habet.

Quod quidem ita verum eſt, & doctrinæ D. Thomæ conſentaneum, vt in ſumma Theologica, vbi accuratius & clarius quam alibi docuit, Sacraméto Confirmationis propriè aſſignet, vt ſit *Sacramentum plenitudinis gratiæ*, quaſi ſine eo abſolutè plenitudo gratiæ haberi nequeat. Atque, quod multo magis notandum eſt, etſi Confirmationem non abſolutè neceſſariam ad ſalutem eſſe fateatur, docet tamen eam *cooperari ad perfectionem ſalutis: & hoc modo eſſe de neceſſitate ſalutis*. Quod is quidem, non quaſi aliud agens, ſed hoc ipſum planiſſimè cogitans, ſcripſit; ideóque id etiam in eadem quæſtione paulò infra iterauit, monens ſacramentum hoc moribundis conferendum eſſe, *vt in reſurrectione perfecti appareant*. Atque id authore Hugone de S. Victore confirmat his verbis: *Omnino periculoſum eſſet ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret: Non quia damnaretur, niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.*

S. Th. 3. p. q. 72. a. 1. ad 2.

Ib. ad 3.

Ib. a. 8. ad 4.

Lib. 2. de Sacr. par. 7. cap. 3.

Digitized by Google

Sic ſemper Spongiæ ſuorum teſtium productiones infeliciter eueniunt. Profectò malæ mentis, mali animi magna nota eſt, declinato ſplendidiſſimo ſummæ Theologiæ lumine, quo omnes Academiæ Catholicæ illuſtrantur & docentur, commentariorum in ſententias ab eo iuniore ſcriptorum obſcuritates rimari, vt mali erroris æquiſſima damnatio in ſumma Theologica toties clariſſimè vibrata, aliquo nubilo obruatur.

Quod ad locum Auguſtini attinet, ſatis manifeſtè agit de ſacramento Confirmationis. Cùm enim notaret fideles omnes *Chriſti* nomine deſignari in loco illo Cantici Annæ, *exaltabit cornu Chri-*
1 *Reg.* 2.10. *ſti ſui*; quærit quonam modo *Chriſtus exaltabit cornu Chriſti ſui*, vt Pſalmi contextus ſignificare videtur? Reſpondet, *omnes quippe vnctos eius chriſmate, rectè Chriſtos poſſumus dicere:* declarans fideles omnes rectè intelligi Chriſti nomine, quia omnes chriſmate Ieſu Chriſti in ſacramento Confirmationis inuncti ſunt, vt erant potiſſimum illo tempore, quo vtraque Baptiſmi & Confirmationis ſacramenta coniunctim inſtar vnius adminiſtrabantur, vt alibi exponemus. Quare ſignanter dicit, *vnctos eius chiſmate*, id eſt, chriſmate Chriſti, ſeu à Chriſto inſtituto, & tradito ad vngendos fideles Spiritu ſancto, quo ipſemet vnctus fuit: Nam chriſma baptiſmale, de quo ferè nuſquam Auguſtinus agit, chriſma eſt ab Eccleſia nempe inſtitutum, non propriè chriſma Chriſti. Nihil ergo hìc eſt quod Spongiæ figmenta adiuuet.

TERTIA

TERTIA PROPOSITIO.
Ex cap. 2. ſect. 3. n. 22.

Chriſmatio in baptiſmo per Sacerdotem inſtituta fuit ab Eccleſia, ad ſupplendum non ſolùm ſignificationem Epiſcopalis chriſmatis, ſed etiam effectum; nempe ad conſeruandos & confirmandos homines in baptiſmali gratia. Hoc docetur à D. Thoma, &c. Et paulò poſt: *Hæc ceremonia facit hominem fortem ad reſiſtendum peccato, ad profitendam fidem in perſecutione, ſuccedens in locum Confirmationis in hoc reſpectu, &c.* Et paulò poſt: *Quæ motiones fortitudinis, & animi dantur per chriſmationem baptiſmalem, ex opere operato, vt multi Theologi docent: ſaltem per preces Eccleſiæ, & applicationem ceremoniæ in eum finem, quæ eſt doctrina multi ſolatij pro Catholicis commodè habere non valentibus Confirmationem: & oſtendit quod poſt inſtitutionem chriſmationis Sacerdotum in baptiſmo, chriſmatio per Epiſcopum non ſit tam neceſſaria, ac ante fuit.*

CENSVRA.

Propoſitio integra falſa eſt, temeraria, imponit S. Thomæ, & hæreſim ſapit.

SPONGIA.

Author nihil hoc loco dicit quod non ſit Catholicum, quod non à Doctoribus Theologis, & ſanctis Patribus, nullo diſſentiente, aſſeratur. Hoc oſtendo particulatim; nam ſeptem continet aſſertiones. Prima eſt; Chriſmatio Presbyteralis in baptiſmo ſupplet effectum Epiſcopalis,

Digitized by Google

quoad ſignificationem nominis Chriſtiani, ſeu vncti, ita vt à Presbytero chriſmatus dici poſsit, & debeat Chriſtianus, non ſecùs, ac qui eſt ab Epiſcopo confirmatus. Hoc iam iam aſſerentem Gerſonem audiuimus.

RESPONSIO.

Nihil imperitis, nihil cœcis audacius eſt, quia nihil vident. Vnde fit vt Spongia fidenter aſſeueret Danièlem, *nihil hoc loco dixiſſe quod non ſit Catholicum, quod non à Doctoribus Theologis & SS. Patribus, nullo diſſentiente, aſſeratur.* Non ſatis habet tueri ſe; hoc enim leuius viſum eſt Ieſuitæ animoſiſſimo: ſed, quod ad defenſionis cumulum valeat, errores ſuos pro doctrina fidei, Catholica, irrefragabili vindicat; Cenſores illius pro hæreticis, & non Catholicis repudiat. Quantæ hoc ſuperbiæ, quantæ pertinaciæ eſt? illic violentius repugnare, vbi ſe infirmiorem ſciat? illic Doctores *Theologos omnes & SS. Patres nullo diſſentiente* iactare, vbi ne vnum quidem, nec veterem, nec nouum, habeat Theologum. cui in mentem venerit inauditæ iſtius peſtiferæque doctrinæ, vt ex ſingulorum capitum diſcuſſione patefiet.

Nam de primo capite, (quod tamen in propoſitione modò damnata non inerat) cùm ea de nomine Chriſtiani nihil haberet: Etſi enim de effectu Confirmationis loquatur, tamen de ſolo illo loquitur, qui pertinet *ad conſeruandos & confirmandos homines in gratia baptiſmali*, vti ipſa ſe explicat. Quare iſta pars ex abundanti ſuperaddita à Spongia

Digitized by Google

eſt, ne iam ante iugulatæ eius blaſphemiæ de nomine Chriſtiano memoriæ lectoris effluant. Sed tamen, vt breuiter ſupra dicta repetamus, ſatis oſtenſum eſt, & impium eſſe dictu Chriſtianum nomen, multo magis Chriſtiani nominis perfectionem, in ſola vnctione corporis ſitam eſſe; & corpoream iſtam vnctionem eſſe illum ipſum effectũ, quo ſacramentum Confirmationis baptizatos perfectos Chriſtianos efficiat. Quod neque à Gerſone, neque ab vllo vnquam Theologo excogitatũ fuiſſe dicimus. Mirandum equidem eſt Spongiam, quæ modò tam exultanter ſeptem iſtas particulas ſuæ propoſitionis ab omnibus Doctoribus Theologis, & SS. Patribus, nullo diſſentiente, aſſeri gloriabatur, ad primum eorum caput neminem niſi Gerſonem vnicum authorem laudare potuiſſe. Malè doctrinã ſuam, ita fundatam ſcilicet, ita propugnatu facilem, tuetur; ſe ipſam deſerit ac prodit; cùm aduerſarios obiecto vel vnius antiqui Patris teſtimonio perſpicuo opprimere potuerit. Infelicior eſt magis illis Ægyptijs, qui mira pollicitis ſaltem in tertio ſigno defecerunt. Ipſa verò poſt montes aureos Theologorum, & ſanctorum Patrum oſtentatos, nequidem efficere potuit, quin in primo ſtatim ſigno defecerit. *Exod. 8.* *Aug. ep. 119*

SPONGIA.

Secunda eſt, Chriſmatio in Baptiſmo præſtat effectum Confirmationis, qui eſt conſeruatio gratiæ baptiſmalis. Hæc ſunt ipſa verba authoris, & quod dicit

Digitized by Google

traditur à S. Thoma conceptis verbis quæ citauit: ſed ea collectores ſubdole tranſiliunt. Nam ſi ea in Facultate publicè lecta fuiſſent, fortaſſis nonnulli S. Thomæ authoritate moti cuculinam ſuam cantilenam falſum, erroneum hæreticum, *non tam facilè ingeminaſſent.* Eorum, *inquit*, quæ aguntur poſt baptiſmum, aliquid eſt quod non ſolum ſignificat, ſed etiam efficit, putà vnctio chriſmatis in vertice, quæ operatur conſeruationem gratiæ Baptiſmalis. Quàm apertè S. Thomas? Hoc enimverò hæreſim ſapit? Sed illis qui ſunt eiuſdem cum Caluino palati, qui diſertè dicit ceremoniam chriſmatis Baptiſmalis, *inſtar ſtercoris ſe habere,*

RESPONSIO.

Omitte, ſi me audis, Caluinos, omitte cuculos, cantilenas, ſtercora, quæ tibi regerere facile eſſet, ſi maledictis tecum certare vellemus. Quid enim dictorum tuorum portenta mereri non videantur, non in maledicti loco, ſed in iuſtiſſimæ increpationis? Rem potius videamus, & tuas hallucinationes, quæ te omni conuitio grauiùs veriuſque infamant.

Quid enim non ſolùm indignius, ſed criminoſius (vt aliquid etiam de authorum teſtimoniis, quibus ſuccinctus in pugnam prodis, generatim dicamus) quàm aduerſus conſtantiſſimam doctrinam Eccleſiæ, quæ ante te à nemine vnquam in controuerſiam deducta fuit, paucula quædam loca, dubia, obſcura, ne aliena & inepta dixerim, ſpar-

gere, nulli rei apta niſi veritati inuoluendæ, & rudiorum mentibus implicandis? Quem aſtum cùm ne in hæreticis quidem, quibus illo nihil crebrius eſt, & à quibus eum hauſiſſe videris, ferre poſſimus; quomodo in Ieſuita feremus? Iacet enim Chriſtiana religio; nihil in ea tutum, nihil ſanctum, ſi pro cuiuſque ſenſu, res exploratiſſimas, intimis fidelium animis infixas, quietas hactenus & tranquillas, conquiſitis authoritatum perplexitatibus, quæ ne aduerſus ſumma quidem myſteria deerunt, ſolicitare atque infringere liceat. Hic in te genium malum, & penitus hæreticum deprehendimus, quem facilè deprehendet quiſquis loca, quæ deinceps profers, cum doctrina contulerit quam laceſſis ac vellicas. Sunt enim pudendum in modum infirma, nihil minus quàm tuum ſcopum cuiuis vel tantulum erudito declarantia, rudibus tantum capiendis idonea, neque ab ipſo te, ſi minimùm ſapis, proferri vnquam potuiſſent, niſi grauis quipiam vehemenſque affectus tuam mentem obſediſſet. Epiſcopum videlicet ex Anglia quacumque ratione pellendum ſuſceperas: cui conſilio ne Sacramentum Confirmationis obſtaret, hoc quoque vnà cum eo expellendum ſtatuiſti, Epiſcopi odio id Sacramentum perſequens, cuius amore, cùm ſit Sacramentum Spiritus ſancti, qui cœleſtis ac diuinus amor eſt, Epiſcopum venerari amplectique debueras, vt tanti muneris largitorem. Atq; vt non ſine ratione ſcelus facere videreris, excuſſiſti anhelo ſpiritu li-

Digitized by Google

brorum aliquot latebras atque indices, vbi in eos ſcrupulos & in ea locorum offendicula, incidiſti, quæ tibi vindice Deo multo antè præparata fuerant, vt errandi cupidus animus, & ſibi errandi materiam reperiret, & alijs præſtrueret. Niſi enim te cœcitas à cœleſti ſole miris ſed iuſtis modis immiſſa obruiſſet; quomodo ad fruſtula ambigua, & tenuia, ſcriptorum aliquot mediæ aut vltimæ ætatis corruiſſes, & à perpetuo ac teſtatiſſimo Eccleſiæ ſenſu excidiſſes, cuius potius lumine illam caliginem diſcutere oportebat? Nihil enim de noua doctrina quam hic tradis, ſæculorum omnium ſuperiorum, & totius Eccleſiæ floreſcentis antiquitas inaudiit, vel illo ſilentio teſte, quo in ſequentibus aſſertionibus perpetuò vteris. Ac ſcriptorum etiam illorum inferiorum, tanta penuria laboras, tanta denique locorum ex illis ipſis ad tuum propoſitum in ſpeciem idoneorum, vt tuas probationes intuentibus illud miſerrimum videatur, te cum errare enixè cupias, tamen ex animo errare non poſſe, & tam infauſto malitiæ genere teneri, vt niſi claram & inconcuſſam Eccleſiæ doctrinam locorum pauculorum minutijs, quaſi tenui puluere, & magica faſcinatione confuderis, ſaluus eſſe non poſſis.

Ecce enim iterum pro Doctoribus omnibus Theologis, & ſanctis Patribus, quorum, nullo diſſentiente, conſenſum vaniſſimè venditaſti, vnum D. Thomam profers ſecundæ tuæ aſſertionis Patronum: qui quamuis tecum faceret, tutamen in-

Digitized by Google

eptiſſimæ iſtius gloriationis crimen Cenſuramque non effugeres. Verumtamen agnoſce quàm in hoc ipſo quo te inuictum ridiculè putas, ſis inops, & arundineo D. Thomæ baculo nitaris. Docet ille quidem *vnctionem Chriſmatis in vertice baptiZati operari conſeruationem gratiæ baptiſmalis*; ſed quid hoc ad errorem tuum? An ideò docet illa vnctione ſuppleri effectum vllum Sacramenti Confirmationis? Hoc enim ſolus tu ais, ille non ait, quamuis tu eadem inſulſitate qua rem tam alienam ei audes affingere, etiam dicere audeas, idem quod tu dicis, *tradi hîc à D. Thoma conceptis verbis*; nimirum tua mente præpoſtera conceptis, non mente ſani lectoris vllius, aut calamo D. Thomæ, qui iam nunc è cœlo tuum errorem, tuam fiduciam, tuam in ſe calumniam auerſatur. Dic enim mihi, ſi ſapis, quæ te ratio argumentari ſinit vnctionem baptiſmalem iuxta D. Thomam ſupplere illum effectum Sacramenti Confirmationis, quia iuxta eum operatur conſeruationem gratiæ baptiſmalis? An dicit S. Thomas eam conſeruationē operari quæ effectus ſit Confirmationis, aut quæ Confirmationis effectū ſupplere poſſit? Non enim etiāſi Sacramentum Confirmationis operetur conſeruationem baptiſmalis gratiæ, ideò quælibet baptiſmalis gratiæ conſeruatio effectus eſt Confirmationis, aut illius effectum ſupplet. Alioquin Sacramentalia omnia hunc etiam effectum præſtabunt, quia gratiam fidelium confirmant & muniunt, & in eum finem inſtituta fuerunt. In primis aqua be-

Digitized by Google

benedicta Confirmationis effectum ſupplere poterit, quia ipſa Eccleſiæ conſecratione deſtinatur, etiam expreſſiùs quam vnctio baptiſmalis, ad protegendum hominem, & aduerſus dæmonem illiuſque tentationes roborandum. Perfricet igitur frontem Spongia, & vnica luſtralis aquæ aſperſione fateatur præberi poſſe, aut ſuppleri, effectum ſacramenti Confirmationis, qui eſt conſeruatio gratiæ baptiſmalis, & corroboratio Chriſtiani hominis aduerſus dæmonem eiuſque impetus; eadem ratione qua id per vnctionem illam baptiſmalem effici vult.

Quid inſcitius quàm ſacramentalia cum Sacramentis miſcere, & horum effectus cum illorum? Quis enim in rebus Theologicis tam peregrinus, & hoſpes eſt, qui neſciat ſacramentalium operationes nihil eſſe niſi pios animi motus, actuales nimirùm & fluxos, qui vi precum Eccleſiæ ijs qui illa vſurpant, impetrantur, vt ipſa Spongia paulò pòſt fateri cogitur? adeóque per eos ſuppleri non poſſe ſacramentorum effectus, qui diuturni & ſtabiles ſunt; nec effectum ſacramenti Confirmationis, quo homo non ad momentum, aut breue tempus aliquod, ſed ſolidè ac perenniter fortis efficitur ad tentationum, & perſecutionum incurſus ſtrenuè tolerandos.

Nam pij illi motus, quos ſacramentalia efficiũt, ſine illis haberi poſſunt per pias quaſlibet affectiones animi, quas probi homines crebras quotidie concipiunt. Quas etiam affectiones verum eſt valere,

lere, & vim habere ad conſeruandam augendámq; gratiam, tum baptiſmalem, tum quamuis aliam in homine præiacentem. Quare dicere effectum ſacramenti Confirmationis ſuppleri poſſe per ſacramentale aliquod, aut per verticalem baptiſmatis vnctionem, quia illa ſacramentalis, & illa vnctio operentur conſeruationem aliquam gratiæ baptiſmalis, quid tandem aliud eſt quàm dicere effectum eundem per bonum quodlibet animi propoſitum, & per vnum quoduis bonum opus ſuppleri poſſe? Quo quid eſſe poteſt à Theologo, à Chriſtiano alienius, & ſeuera Cenſura dignius?

Fruſtra igitur Spongia, vel decipi paſſa eſt, vel decipere parat alios loco iſto D. Thomæ, ad errorem ipſius ſtabiliendum debiliſſimo. Parum enim eſt quod locum citet, vbi vnctio baptiſmalis dicitur à D. Thoma operari conſeruationem gratiæ baptiſmalis, niſi locum etiam proferat, vbi idem D. Thomas dicat per iſtam ipſam, aut per quamlibet generatim gratiæ conſeruationem ſuppleri effectũ Confirmationis. Quod nunquam faciet, nec erroris tam putidi, vel D. Thomam ſcholaſticorũ principem, vel vllum omnino Theologum patronum dabit.

Quod ſi Chriſmatis vnctio baptiſmalis inſtituta eſſet ad ſupplendam vnctionem ſacramenti Cõfirmationis, quo modo ſimul cum ea ſtare poſſet? Fruſtra enim res ſuppletur, cùm præſens adeſt. Et tamen ab Epiſcopis baptiſmum conferentibus, videmus non omitti vnctionẽ verticalem, etiamſi ſa-

cramentum Confirmationis cõtinuo collaturi ſint, vt fieri ſolet in baptiſmis adultorum, vbi tria ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ, ex veteri Eccleſiæ conſuetudine iungi ſolent: De quo ritu alius erit fortaſſe dicendi locus. Et Innocentij I. Papæ epiſtolâ iubentur Preſbyteri, ſeu abſente, ſeu præſente Epiſcopo, baptizatos ſacro chriſmate inungere, de quo plura inferius.

Innoc. 1. ep. 1. ad Decet. cap. 3.

Quamobrem deſerat fictitium dogma fictitius Loëmelius, neque tanto dedecore ſacramenta Chriſti afficiat, vt eorum vicem per meras ceremonias impleri poſſe putet, quarum operatio quæcumque eſt, & longè inferior eſt, aliuſque generis, & breuior, & incertior, & fallibilior, vt vulgò Theologi conſentiunt, quàm vt neglecto ſanctiſſimo & validiſſimo ſacramento Confirmationis, quo totus Spiritus ſanctus cum ſuis donis, & copijs omnibus effunditur, fideles in ea victoriæ, quam de acerrimis quibuſque perſecutionibus parare debent, ſpem defigant. Etſi enim iſta vnctio aliquam vim habeat ad conſeruationem gratiæ baptiſmalis, vt rectè D. Thomas, non tamen eam qua opus eſt ad expugnandas perſecutiones, dæmoniſque frangendos impetus, niſi vis maior accedat.

In quo demum Spongiæ animum ſatis mirari nequeo, quæ ſui erroris oſores accuſat, quaſi Caluino ſtudeant ceremoniarum Baptiſmalium irriſori. Scilicet Baptiſmi ceremoniæ contemnuntur, niſi in locum ſacramenti Confirmationis euehantur; niſi ex ſacramentalibus ſacramenta fiant, niſi in eo

numero habeantur, vt earum fiducia ſacramenta derelicta iaceant, & à Catholicis, vt leuiſſimè dicam, nunquam deſideranda putentur. Hoc ceremonias magni pendere, an ſacramenta deſpicere, an ipſas etiam ceremonias honore contumelioſo afficere eſt? Non enim minor ceremonijs Eccleſiæ iniuria fit, dum extolluntur plus æquo, quàm dum nimis deprimuntur. Tam hominem dedecorat qui honorem ei alienum, & forte ipſius maiorem impendit, quàm qui ſuum & proprium negat. Non minùs matrimonium dehoneſtant noſtrates hæretici, cœlibatui, & virginitati præferentes, quàm Manichæi, Euſtathiani, & illi de quibus Paulus, *prohibentes nubere*, & coniugia quaſi mala execrantes. Sic enim & hæretici, & mendaces, & iniurij quique homines, ſemper in extremis ſunt; Catholici, veraces, iuſti, ſemper in medijs. Vituperandus Caluinus, quod in vno extremo eſt; Spongia, quod in altero. Nos veritatem Eccleſiæ media euntes via ſequimur; & nec ceremonias inanes putamus, nec ſacramentis vllo effectu pares. Viderit Spongia num ipſa Caluino ſit propior, fictitia ceremoniarum exaggeratione ſacramenta extenuans. Non enim tam ceremonias hæreticis venerandas exhibet, quàm ſacramentis contemptum parat, & ab hæreticis, & ab Catholicis, dum eorum operationes quas Eccleſia, fremente hæreſi, deprædicat, tamen ceremonijs repræſentari & ſuppleri poſſe docet. Hac nimirum via ſenſim ad hæreſim pergitur: Hæc iſtorum hominum arcana machina eſt, qua ſenſim in animis

Cõc. Gaugr. can. 1.

1. Tim. 4.

fidelium fidem ſacramenti Confirmationis labefa-ctare ſatagunt. Vt meritiſſimo iure prudentiſſimi iudices propoſitionem iſtam, & imponere S. Thomæ, & hæreſim ſapere cenſuerint.

SPONGIA.

Tertia eſt; Hæc ceremonia cum Baptiſmo coniuncta facit hominem fortem ad reſiſtendum peccato, & profitendum in perſecutionibus fidem. *Hoc tam certum eſt, vt qui Catholici eſſe volunt, id negare non debeant, teſte Illuſtriſsimo Bellarmino. Nam Caluino calumnianti*, Vocem vnctorum eſſe promiſſionem in Baptiſmo ſe percepiſſe nullam, qua in agonibus inſtruantur; *reſpondet:* Atqui hoc nullus Catholicorum docet; Catholica enim doctrina eſt, nos in Baptiſmo robur accipere, in Confirmatione autem roboris augmentum. *In eandem ſententiam Rabanus Epiſcopus Moguntinus lib. 1. de Inſtit. Cleric. c. 28.* Spiritus ſanctus per vnctionem chriſmatis in Baptiſmo confert vigorem cœleſtis gratiæ; *vigor cœleſtis gratiæ, an non fortitudo, vt reſiſtatur peccato? & cap. 27.* A Sacerdote baptizatus inungitur, vt ſacrum Baptiſma cum fide accepta, cuſtodiatur. *Quod Gerſon dicit*, Chriſmatione baptiſmali mentem reddi imputribilem Deo, *quid aliud eſt, quàm dari robur vt à ſe conſtanter reijciat omnem putredinem corruptionemque peccati?*

RESPONSIO.

Piget iſtas quiſquilias excutere, nequidem in-

Digitized by Google

ſpectione dignas. Quas tamen Catholicas, ſi diis placet, Spongia facit; ab iis qui Catholici eſſe velint negandas negat; ſe non ſolùm imperitam, neq; ſolùm imprudentem, ſed impudentem probat, quæ diſtortos mentis ſuæ fœtus Eccleſiæ Catholicæ ſupponere, & adulterinis ſuis ſordibus eius caſtitatem & virginitatem temerare audeat. Sed minime mirum audacem eſſe in Eccleſiam, qui eſt in veritatem, cuius Eccleſia cuſtos, interpres, radius, ipſaque adeò illa eſt, cùm ſit ipſe Chriſtus qui æterna eſt veritas Patris.

At quonammodo iſtum errorem, vt ipſa vult, Catholicum, comprobat? Teſte illuſtriſſimo Bellarmino. Certè Bellarminus, quantus quantus eſt, minor tamen eſt, quàm vt faciendæ Catholicæ veritati ſit ſatis. Nequidem ſi huic Rabanum adiunxeris, neque rursùm ſi eis Gerſonem ſuperadjicias, eam authoritatem conficies, qua dogmata Catholica extruantur. Quid ergo ſibi vult Spongia cum his ineptiis non tam ridendis, quàm miſerandis? Quid ſi horum ipſorum nemo, non modò Catholicum non aſſerat dogma Spongiæ, ſed nec aſſerat omninò, nec de illo verbum faciat?

Quid enim ait in primis Bellarminus? Videlicet, *nos in Baptiſmo robur accipere*. Verùm quid hoc ad Spongiam, cuius propoſitio non de Baptiſmo agit, ſed de *ceremonia*, vt eius verba clariſſima ſunt, in propoſitione cui Cenſura ſubiecta eſt.

Pudet enim non malitiæ, ſed inſulſitatis Spongiæ, quæ ſuo errori diffidens, vt cum aliquo admi-

Digitized by Google

niculo ſuffulciat, propoſitionem damnatam interpolat aſſutis vocibus, *cum Baptiſmo conjuncta:* vt dicere videatur *hanc ceremoniam*, non per ſe, vt eſt in damnata propoſitione, ſed *cum Baptiſmo coniunctam facere hominem fortem, &c.* Iungit eam cum Baptiſmo, vt per ſe debilem Baptiſmi ſocietate communiat, & nihil denique aliud dicere videatur, niſi homines Baptiſmo fortes effici ad reſiſtendum peccato, & perſecutionibus repugnandum. Quam corruptelam exorſa eſt in Apologiæ Latina verſione, ſed timidiùs & verecundiùs, inculcata ſolummodò voce Baptiſmi hoc modo: *Hanc in Baptiſmo chriſmatis ceremoniam, inſtitutam fuiſſe ad ſupplendum, &c.* Poſtmodùm gradatim creſcens audaciâ, & ex Daniele Spongia effecta, humana pudore iam penitùs depoſito, apertè addidit: *Hæc ceremonia cum Baptiſmo coniuncta, &c.* Hæc enim ſunt argumenta quibus Catholica ſua dogmata cudere nouit, vt ea non ſolum ex ipſis per ſe, ſed ex ipſa eorum tractatione & defenſione, qualia ſint appareat. Veritas enim falſitatis auxilium reſpuit; falſitas & mendacium vix conſtanter ſine mendacijs & fraudibus defenditur: quia quidque vnde naſcitur, inde ali ſuſtinerique Philoſophi monuerunt. Non ergo Danielem, ſeu ſe ipſam defendit Spongia, ſed ſuis peccatis noua peccata ſuperfundit, non ſolùm imperitia penè puerili, ſuperbia pluſquam virili, ſed etiam fraudulentia, & impudentia non humana deſperatæ defenſionis.

Apolog. c. 2. aſſer. 3 n. 24

Digitized by Google

Quod ad Rabanum attinet, nihil amplius dicto opus eſt de *vigore* illo *cæleſtis gratiæ*, quem ait, *conferri per vnctionem chriſmatis in baptiſmate*; quia iam ſatis ſupra dictum eſt de vigore, ſeu fortitudine, ſeu conſeruatione gratiæ baptiſmalis quæ chriſmate illo datur, oſtenſumque nihil eſſe ad effectum ſacramenti Confirmationis, nec eum vllo modo ſupplere poſſe, nec ſatis roborare hominem vt par ſit dæmonis perſecutionumque tentationibus inoffenſo pectore ſubeundis. Itaque nihil Spongiam Rabanus adiuuat, imo nocet, quia malè colligendi occaſionem ſuppeditat.

De Gerſone denique falſa rurſus Spongia eſt, vel nimium præceps, & immemor loci eius antè citati. Non enim dixit Gerſon, *Chriſmatione baptiſmali mentem reddi imputribilem Deo*, vt ſine fide refert; ſed *fieri vnctionem chriſmatis in vertice, vt appareat mens imputribilis Deo*. Apparere igitur ait mentem imputribilem, non fieri, aut illa vnctione *reddi imputribilem Deo*; declarari videlicet quid baptiſmus fecerit, non quid ipſa faciat ad eam efficiendam *imputribilem*. Ejiciat tandem aliquando tot ſuas putredines Spongia (quid enim falſitas, niſi putredo & corruptio veritatis?) ſaltem vnctionis iſtius baptiſmalis memor, qua mentem imputribilem reddi putat. Tribuat illi tantum factis, quantum verbis tribuit. Doceat nos ſuo exemplo illius efficacitatem; vel ſignificationem ſaltem illius in ſe falſam ne præbeat, ſicut tot teſtimonia quibus falſam de illa præſum-

Digitized by Google

ptionem ſuam vindicare conata eſt, falſare non erubuit.

SPONGIA.

Quarta aſſertio. Hæ motiones fortitudinis, & vigoris dantur à chriſmate ex opere operato, ſecundùm mentem multorum Theologorum. Hæc aſſertio ſupponit & inſinuat chriſmationem baptiſmalem non eſſe ſacramentum, nec præſtare proprium effectum Confirmationis, qui eſt plenum augmentum gratiæ Sacramentalis; ſed tantum conſeruare, & roborare in gratia accepta per motiones fortitudinis tranſeuntes, hoc eſt, pias cogitationes & affectus. Quod verò hæ, motiones ex opere operato dentur; docet Sotus in 4. d. 15. qu. 2. art. 3. Valent. 3. p. diſp. 7. q. 5. puncto 1. Caiet. in qu. 71. Vnctio, *inquit,* Chriſmatis in vertice operatur quoddam actuale auxilium, faciens ex parte baptizati ad conſeruationem gratiæ baptiſmalis. *Imò Innocentius III. Decretali epiſtola, cùm dicit viſibilem vnctionem chriſmatis operari inuiſibilem effectum, qui per eam ſignificatur, vnctionem verò chriſmatis in vertice ſignificare* gratiam, qua quis redditur paratus omni petenti de fide reddere rationem; *certè ſignificat vnctionem verticis conferre actuale auxilium, ſeu robur ad conſeruandam gratiam, ad reddendam fidei rationem ex opere operato. Quicquid ſit, negari à Catholico non poteſt, ſaltem per preces & inuocationem Eccleſiæ hunc effectum tribui, prout Author affirmauit.*

Extra de ſacra Vnctione §. quia vero.

RESPON-

Digitized by Google

Responsio.

Quid dicam de hac etiam *aſſertione?* Quæ ipſa per ſe, an eius probatio ſit inanior, difficilè dictu eſt. Pudet in iſtis næniis perſequendis moram facere. Nam primò, hîc ſaltem Spongiæ recantare neceſſe eſt ſuum illud carmen magnificum, quod ſeptem iſtis *aſſertionibus* initio præpoſuit, vt ad ſingulas inſtar epodi ſuccineretur: *Author nihil hoc loco dicit quod non ſit Catholicum, quod non à Doctoribus Theologis & ſanctis Patribus, nullo diſſentiente aſſeratur.* Nec enim Catholicum dicet, opinor, fortitudinem à chriſmate baptiſmali dari ex opere operato, ita vt Catholici non ſint qui hoc credere nolint. Neque id ipſum à Doctoribus Theologis, & ſanctis Patribus nullo diſſentiente aſſeri volet, cùm Doctorum Theologorum ſaltem partem multo maximam id negare neſcire non poſſit, & nullos omnino Patrum id dixiſſe, aut dicere potuiſſe.

Deinde excurrit extra orbitam; manum petitur & pedem porrigit, manus enim dare non didicit. Non enim Cenſoribus in animo fuit decernere an Eccleſiæ ceremoniæ quid agant ex opere operato, an operantis; ſed proprium Spongiæ errorem expungere, quo perfectionem Chriſtiani nominis, vim dæmonis inſultus, perſecutionéſque ſuperandi, effectum denique ſacramenti Confirmationis, non ſolùm dari ſtatuit vnctione chriſmatis baptiſmalis, ſed etiam ex opere operato dari. Quod ſine dubio prioris erroris graue incrementum eſt. Nam

Digitized by Google

ſacramentalia cum ſacramentis æquare, non ſolùm quoad effectum aliquem, ſed etiam quoad ipſam illius effectus operandi rationem, ſi non eſt hæreticum, erroneum certè ac temerarium eſt, Chriſtianis auribus inauditum, à nullo vnquam Theologo proditum, quia latam viam patefacit ſacramentalia ad ſacramentorum amplitudinem euehendi, ſacramenta ad ſacramentalium tenuitatem deturbandi, atque adeò vtraque pariter extinguendi.

Illa verò opinio, quam pauculi aliqui ſcholaſtici nuper excogitarunt, non ſolùm præter ſcripturarum, SS. Patrum, & Eccleſiæ authoritatem, ſed etiã contra ſenſum, tum eorum omnium, tum omnis propemodum ipſius ſcholæ Theologorum, ſacramentalia effectus ad quos ab Eccleſia inſtituta ſunt, operari ex opere operato; etſi ad Spongiam non propriè pertineat, neque verò ad Cenſuram; tamen explodenda & longè amandanda eſt ex animis Catholicorum; eorum præcipuè qui ſolam ſcripturæ & traditionis Eccleſiaſticæ normam, non humani ſenſus arbitrium, ad res Theologicas diiudicandas adhibent. Eſt enim opinio merè voluntaria, nuper inuenta, nullo fundamento Theologico nixa, omnis authoritatis ac teſtimonij expers, ſine quo tamen res facti ac voluntatis diuinæ, qualis iſta eſt, ſine temeritate proferri non potuit. Nam Caietanus ipſe, quem doctrinæ iſtius authorem volunt, nuſquam tradit eam, neque operis operati mentionem vnquam facit, vbi de ſacramentalium operatione diſputat. Mitto cætera loca, quia nunc alia res

agitur : Illum ſolum excutio, quem Spongia delegit. Quid ille aliud habet, niſi *vnctionem chriſmatis in vertice operari quoddam actuale auxilium?* Audio *operari; ex opere operato operari*, non audio. Si quis operari negauerit, rectè iſto loco premes. At qui operari agnoſcit, modum tantùm operandi, quem tu fingis, repudiat; quonam pacto eo loco cõſtringitur vbi de operatione ſermo, de operandi modo ſilentium? Alius tibi locus Caietani conquirendus fuit, quem non noſſe videris; quemq́; ſi quando ab alio monitus repereris, pari facilitate tibi ereptum videbis.

Eadem leuitate obijcitur Epiſtola Innocentij III. Nam ex eo quod doceat *viſibilem vnctionem chriſmatis operari inuiſibilem effectum*, quis tanta perſpicacia colligat dici ab eo illum effectum operari ex opere operato? Cœcam profectò Spongiam fuiſſe oportet dum iſta ſcriberet, ſi tamen Spongiæ cœcæ ſint; aut impotenti quodam ſua propugnandi ſtudio, ad hæc præſidia miſerrima fuiſſe compulſam, quibus hoc vnum aſſequitur ne ſiluiſſe videatur. Quanquam tam friuola reſponſio tum iſtam ipſam eius inopiam, & imperitiam quam tegere voluit, tum præterea ſuperbiam & inuerecundiam multo maximam, qua eam tegere voluit, teſtatiſſimam cuiuis efficit. Nam in Innocentij loco etiam plura peccauit. Non enim vſquam eſt in illa epiſtola Innocentij, *viſibilem vnctionem chriſmatis operari inuiſibilem effectum.* Verba iſta Spongiæ ſunt, non Innocentij, qui hoc non de *viſibili* vnctione,

ſed de inuiſibili ſcripſit his verbis: *Vnctio verò inuiſibilis & interior non ſolùm eſt ſignum, ſed etiam ſacramentum: quia ſi dignè ſumitur, vel agit, vel auget abſq; dubio quod deſignat.* Nec refert quod rem interiorem ſignum vocet; cùm & D. Thomas, & omnes cum eo ſcholaſtici ſignum vocent characterem ſacramentalem, etſi ſpiritualem & internum, eumque rem ſimul & ſacramentum appellent. Quinam autem ſit verus ſenſus vocum iſtarum Innocentij, Spongiæ penſitandum relinquimus. Hîc enim de ipſis vocibus agitur; quas probandum ſuſcepimus ab ea fœdè confictas. De ſententia, alibi fortaſſis, aptiore loco dicetur.

Præterea Innocentius de vnctione loquitur quæ Sacramentum eſt, nec ſignum tantum. Vnctio autem baptiſmalis, neque Sacramentum, neque inuiſibilis eſt.

Deinde Innocentius apertè agit de vnctionibus ſacramenti extremæ vnctionis, & ſacramenti Ordinis, vt diſertè ſub initium capitis profitetur. Vnde & vnctionem hanc ipſam, de qua agimus, diſertè *Sacramentum* vocat.

Denique Ieſuita duo Innocentij capita, vel potius duorum capitum duo loca in vnum conflat. Quod enim de vnctionis efficacitate Innocentius ſcripſerat priori capite, cùm de vnctionibus duorum ſacramentorum, Ordinis & Extremæ-vnctionis diſſereret; hoc Ieſuita copulat cum ijs quæ ſcripta ſunt poſteriori capite de vnctionibus ceremonialibus Baptiſmi, vbi nihil de operatione ea-

Digitized by Google

rum, ſed de ſignificatione tantûm.

Ego verò tot prauitatibus attonitus, nec verba habeo quibus tantam hominis Ieſuitæ fallaciam tot dedecora eloquar, nec mentem qua concipiam; eaque ad Deum vindicem referre cogor, quandoquidem iſti tam pudenda non peccarent, ſi pudore vllo; aut vlla hominum conſcientiâ, aut vllis denique mortalium iudiciis mouerentur.

Quod ſi ex eo quod Innocentius dicat, *in vertice baptizatum inungi, vt ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem;* efficitur vnctione iſta dari robur, ex opere operato; atque id robur, quo effectus ſacramenti Confirmationis ſuppleatur; argumentari licebit ſimiliter, vnctione olei quo ante Baptiſmũ pectus vngitur, Spiritum ſanctum dari, & effectum Baptiſmi ſuppleri, quia Innocentius ibidem ſimiliter ait, *In pectore baptizandus inungitur, vt per Spiritus ſancti donum abijciat errorem & ignorãtiam, & ſuſcipiat fidem rectam, quia iuſtus ex fide viuit.* Fateri igitur oportebit Spiritum ſanctum ac fidem viuam iſta vnctione donari, & quidem ex opere operato, & quidem authore Innocentio III. Pontifice; atque adeò Baptiſmi neceſſitas in graue diſcrimen ibit. Multæ ſunt iſtiuſmodi locutiones Patrum, etiam multo in ſpeciem liberaliores erga ceremonias Eccleſiæ. Quas tamen nihil ſacramentis derogare, nec eorum vllam efficacitatem cum ceremonijs communem facere, alibi perfacilè docebimus.

Quare tollantur è medio Spongiacæ tricæ. Sint ceremoniæ Eccleſiæ quod ſunt. Ne Sacramento-

Digitized by Google

rum ſines inuadant; ne inuita Eccleſia in Sacramentorum perniciem contemptumque inuitæ trahantur, quibus potiùs decorandis, & in noſtram venerationem adducendis inuentæ fuerunt. Malè Spongia naturam earum peruertere ſtudet, præcipuè argumentis tam leuibus, imò tam grauibus, & pernicioſis, vt non minùs communem hominum rationem quàm fidem euertant.

SPONGIA.

Quinta Aſſertio. Cerimonia chriſmatis in Baptiſmo fuit inſtituta, vt suppleret defectum Confirmationis. Hoc [b] Bellarminus, *& ex antiquis* [c] *Rabanus, Hugo* [d] *Victorinus, Amalarius,* alijque Patres *directè tradunt. Ruperti* [e] *Tuitienſis verba apponam de diuinis officijs l.5. c.16.* Legitur in actis Pontificalibus, quod Syluester Papa conſtituit, vt baptizatum linat Preſbyter chriſmate leuatum de aqua, propter occaſiones tranſitus mortis, ne propter abſentiam Epiſcopi, & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizati migrent.

b *Lib.1. de Bapt.c.27.*
c *Lib.1. de inſt.Cler. c.28.*
d *De ſacr. l.2 p.3. c.7.*
e *L. de off. Eccl.c.27.*

RESPONSIO.

Qui temerè promittunt, difficilè fidem liberant, multò magis qui temerè gloriantur. Promiſit Spongia oſtenſuram ſe nihil ſua propoſitione dixiſſe, *quod non ſit Catholicum, quod non à Doctoribus Theologis & ſanctis Patribus, nullo diſſentiente aſſeratur.* Nunc cùm Thraſonica iſta verba ad rem conferenda ſunt, Bellarminum ſolùm ex recentio-

Digitized by Google

ribus citat, qui tamen hoc non aſſerit, multo minus Catholicum dicit; ex antiquis Rabanum, Hugonem, Amalarium, & Rupertum, qui nec iſtud docent, & quamuis docerent, non ſunt tamen omnes Patres, nec ſatis authoritatis afferunt ad quippiam pro Catholico prædicandum. Verùm ſit hoc ſtuporis illius perpetui, & iactationis improuidæ, qua Spongia feruet tumetque tota.

Rupertus cum alijs, quorum verba proferre neglexit, nihil ait niſi locum nudè profert ex Damaſi Pontificali, cuius authoritas exigua eſt, vt Catholici ſcriptores conſentiunt, nominatim Cardinalis Baronius, à quo paſſim in Annalibus vapulat, & grauis ἀνιϛορησίας conuincitur. Bellarminus à Damaſo ſcriptum negat, ab Anaſtaſio Bibliothecario aſſerit, qui quadringẽtis amplius annis ætate Damaſi minor eſt. *lib. 16 de ſcr. Eccleſ. in Anaſt. Bibl.* Cæterùm neq; hoc ipſum Pontificale, neque Rabanus, Hugo, vel Amalarius, quicquam habent de ſupplemento ſacramenti Confirmationis, ſeu effectus eius, nec ſi quid vel tenuiſſimum haberent, Spongia tacere potuiſſet, quam inopia eò adegit vt verba Pontificalis à Ruperto ſimpliciter memorata, ipſius Ruperti nomine ventilaret.

Quo ſenſu autem dicant vnctionem iſtam Baptiſmalem inſtitutam eſſe, quia non ſemper adeſt Epiſcopus, & ne baptizati ſine manus impoſitione diſcedant, paulò poſt in loci Hugonis expoſitione dicetur.

De qua ipſa re Bellarminus inconſtanter ac timide loquitur, *videri* ſcribens, non aſſerens. Ac iure quidem. E tribus enim teſtimonijs quibus nititur, primum ipſi manifeſtè reclamat, alia nihil fauent. Primum eſt Innocentij I. Pontificis, qui in epiſtola quadam, ait: *Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptiZant, chriſmate baptiZatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum.* Quibus verbis, tam Bellarmini coniectura reuincitur, vnctionem iſtam *introductam videri, quia non ſemper adeſt Epiſcopus qui poſſit continuò dare poſt Baptiſmum ſacramentum Confirmationis*; quàm Pontificale illud, ſeu Anaſtaſij, ſeu veriùs incerti authoris ac fidei: *Baptizatum linat Presbyter chriſmate leuatum de aqua propter occaſiones tranſitus mortis, ne propter abſentiam Epiſcopi, & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptiZati migrent.* Nam ſi baptizati chriſmate linendi ſunt à Preſbytero, ſeu abſente, ſeu præſente Epiſcopo, vt docet Innocentius; patet vnctionem hanc non ideò inſtitutam eſſe vt Epiſcopi abſentiam ſuppleat, cùm tam illo præſente, quàm abſente peragatur.

Innoc. I. ep. 1. c. 3.

Locus verò Hugonis Spongiam potius redarguit quàm iuuat. Nam primò falsò citat eum, quia exſcripſit ex Apologia, vbi error idem eſt, quia & in Apologiam ex alius cuiuſpiam citatione tranſcriptus eſt. Sic enim ruunt qui alienis oculis vident, & teſtimonia proferunt quæ numquam legerunt, præcipiti ſtudio, & inani libidi-

ne

Digitized by Google

ne librorum pariendorum prurientes. Citandus fuit Hugonis lib. 2. de Sacram. part. 6. cap. 3. vbi tamen non ſcribit Hugo effectum Confirmationis hac ceremonia ſuppleri, ſed ita loquitur, *Propter eos qui articulo temporis præueniuntur, inſtituta eſt illa, qua Sacerdos baptizatum ſtatim in vertice linit, ſacri Chriſmatis vnctio: vt in hoc ipſo oſtendatur quantum Sacramentum iſtud neceſſarium ſit ad ſalutem, cùm tam ſolicitè vniuerſis cauetur ne fortè ſine ipſo ab hac vita ſubtrahantur.* Non ait eam ſupplere effectum Confirmationis, ſed inſtitutam eſſe vt oſtendatur quanta ſit Sacramenti huius neceſſitas ad ſalutem. Quia videlicet ij quibus imminente obitu aduentum Epiſcopi expectare non licet, neque ſacramentum Confirmationis ſimul cum Baptiſmo ſuſcipere, hac ceremonia ſuſcepta à Preſbytero ex præcepto Eccleſiæ profitentur ſe neceſſitatem ſacramenti Confirmationis agnoſcere, dolereque ſi per mortis anguſtias eo potiri non poſſint. Vnde tantum abeſt vt hæc ceremonia ex Hugonis ſententia neceſſitatem ſacramenti Confirmationis imminuat, vt ad eam expreſſiùs declarandam & teſtificandam inſtituta fuerit. Quod dictum quale ſit, alibi latius differetur. Hic enim de ſententia Hugonis agimus: Quam prorſus eandem eſſe patet cum ſententia Pontificalis, aliorúmque ſupra citatorum qui eandem ex eo ſumpſerunt, & omnes ab Hugone clariùs exponuntur.

Quem tamen Hugonem facere non poſſum, quin vindicem à graui criminatione quam ei Ha-

M

drianus poſtea Pontifex iuſſit in 4. ſent. ſcribens Hugonem errore lapſum vnctionem iſtam baptiſmalem pro ſacramento ipſo Confirmationis habuiſſe. Quod ſanè non ita videtur, neque vnquam Hugoni obiectum eſt, nec ex eius verbis elicitur.

Hadr. in 4. diſt. 7.

Hugo enim ſacramenti vocem hoc loco non addit, neque refert ad iſtam vnctionem, quam tam rudis non fuit, vt ab Eccleſia ad parem cum ſacramentis Chriſti dignitatem euehi poſſe; aut eos qui illa ſemel inuncti fuerint, poſtmodum frontes Epiſcopis conſignandas offerre ſine ſacrilegio nō poſſe, ne ſcilicet ſacramentum Confirmationis iteretur, putauerit. Nomine igitur ſacramenti Confirmationis, ſola frontis conſignatio Epiſcopalis ab Hugone intelligitur, cuius ad ſalutem neceſſitatem baptiſmali vnctione declarari cenſuit, quemadmodum expoſuimus. Tantum verò abeſt, vt Hugo vnctionem baptiſmalem pro ſacramento Confirmationis acceperit, vt contra docuerit ſacramentū Confirmationis Preſbyteris committi non poſſe, vt infra iterum dicetur, & iam antè dictum eſt.

Hug. in Sum ſent. tract. 6. c. 1.

Nihil ergo habet ex hiſce teſtimonijs Spongia, quo Cenſuræ ictum effugiat: ſed quo magis torquet ſe, ac verſat inaniter, hoc ei altiùs ille mucro infigitur, ſemper nouam vim aliquam ab irritis eius conatibus trahens.

SPONGIA.

Sexta propoſitio. Confirmatio Epiſcopalis poſt inſtitutam Presbyteralem chriſmationem baptiſmi non eſt tam

neceſſaria, quàm fuit antea. Hoc tradunt Patres Arauſicani, Canone primo, vt habetur cap. nullus *de conſecrat. diſtinct.4. vbi conceptis verbis dicunt*, neceſſariam quidem eſſe chriſmationem, tamen ſatis eſſe ſemel in baptiſmate chriſmari. *Si verò in baptiſmate chriſmatus quis non fuerit, admoneatur, inquiunt, Epiſcopus:* nam ſufficit vna benedictio.

RESPONSIO.

Hoc nimirum erit illud dogma, *Catholicum à Doctoribus Theologis, & ſanctis Patribus nullo diſſentiente aſſertum*; vno videlicet vnius Synodi particularis canone, eoque corrupto per ſe, & à Ieſuitæ manu iam multo corruptiore, ſuffultum. Eſt enim canonis huius editio, ita obſcura & deprauata, vt ad diſputationem dogmaticam adhiberi ſine temeritate non poſſit. Referuntur à variis auctoribus verba eius planè inter ſeſe pugnantia, quibus deinde proprias labes Spongia ſuperfundit, nunc primum apud eam, & ab ea natas. Editio Binij poſterior ſic habet: *Nullus miniſtrorum qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate vſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemel in baptiſmate chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente, non chriſmatus fuerit; in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chriſmatis ipſius, non niſi vna benedictio eſt. Non præiudicans quicquam dico, ſed vt neceſſaria habeatur chriſmatio repetita.* Legitur iiſdem penè verbis apud Gratianum, quem Spongia citat, niſi quod vltima illa vocula *repetita* omittitur.

Tomo 1. Conc. part. 2.

De conſid. diſt. 4 cap 125.

Digitized by Google

Anton. Aug. lib. 22. tit. 17. c. 10. Item apud Antonium Auguſtinum Archiepiſcopum Tarraconenſem, iuris Canonici peritiſſimum; niſi quod pro illis vocibus *chriſmatio repetita*, legit *rechriſmatio.* Alij eadem penè omnia retinent, niſi quod poſtremam clauſulam addita negatione ita legunt, *ſed vt non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Sic antiqua editio Colonienſis: quam neſcio cur P. Sirmondus ſine cauſa ſequi maluerit contra Patrem Frontonem Ducæum, qui exploratis diligenter vetuſtiſſ. mſ. vltimæ illi parti negationem non adiicit, ſed ſolùm pro, *in confirmatione Sacerdos commonebitur*, reponit *in chriſmatione.* *Tom 1. Cõcil. Gal.* *In Not. ad hoc Conc.*

Quæ ideo Lectori exponere viſum eſt, vt planiùs intelligat, primò Spongiæ nullam fidem eſſe, quæ canones ſuo arbitratu effictos obtrudat longè aliter quàm extent in Conciliis, vt patet verba quæ protulit cum integro canone à nobis exſcripto cõferenti: ex quo perfidiam eius, & væcordem audaciam mirabitur. Deinde nequidem ei eſſe iudicium, aut lucem mentis, quæ fundamento tam fluxo, & ancipiti doctrinam tanti momenti ſuperſtruere velit, Confirmationem Epiſcopalem minus neceſſariam eſſe cœpiſſe, ex quo chriſmatis vnctiò baptiſmalis inſtituta fuit. Atque vt multo magis probationis iſtius infelicitas eluceat, Bellarminus hunc canonem ipſum de ſacramento Confirmationis ſimplicibus Preſbyteris commiſſo expoſuit. *Bellarm. de ſacr. Confir. l. 2. c. 12.*

Mitto accuratioem loci huius diſſenſionem, quæ alterius loci eſt. Interim ſatis eſto Spongiæ le-

Digitized by Google

uitatem demonſtrare, quæ obſcuriſſimos errores ſuos argumentis obſcurioribus probat; noctem nocte illuſtrat; ſtultiùs quàm vllæ ſepiæ, atramentum fundit vbi captorem timet. Nec enim iſta offuſione id aſſequitur quod ſepiæ ſolent, vt lateat, & effugiat; ſed contrà multo magis ſe indicat, & clariùs deprehenditur; vt Spongias ſepijs ſtolidiores eſſe iam dubitari non poſſit.

SPONGIA.

Septima Propoſitio. Hanc veritatem de efficacia eius ceremoniæ, Catholicis magni ſolatij eſſe debere, præſertim ijs quibus habendi confirmationem facultas non ſuppetit. Hæc propoſitio tam clara eſt vt probatione non indigeat. Quis enim non nomine tantùm, ſed verè Catholicus qui ſit, non gaudeat ceremonijs ab Eccleſia inſtitutis, quas hæretici irrident, tantam diuinæ gratiæ vim & vigorem ineſſe, & hoc Patrum teſtimonio probari poſſe? Ariſtoteles adoleſcentes audaces eſſe ſcribit, ſenes timidos, cuius vna cauſa eſt, quod illi experientia careant, qua hi abundant. Si Richeriſtæ in Patribus & Theologis verſati eſſent, non ita iuuenili audacia in Cenſuras ruerent: certè nihil hac propoſitione continetur, quod non Geneuæ diſpliceat, non minùs quàm Sorbonæ.

RESPONSIO.

Non ſolùm intemperanter, ſed etiam intempeſtiuè inſultas, adeóque impudenter. Tu poſt tam inaudita commenta & deliria, quibus modò

Eccleſiæ doctrinam ſenſumque ſubuertere auſus es, audaciam eis improperes, qui tantam inſolentiam, non apophthegmatibus Ariſtotelis, ſed Eccleſiæ conſenſu, & grauiſſimi iudicij authoritate fregerunt? Poſt puerilem & pudendam non Patrum ſolùm, quorum non magis libros quàm facies noſſe te prodis, ſed etiam Theologiæ, doctrinæque Chriſtianæ fundamentorum inſcitiam, cuius manifeſtè vel cum legentium rubore conuictus es, Facultatem Pariſienſem, imperitiæ iſtius caſtigatricem, in Patribus verſatam neges? Errorum ſtolidorum quibus Sacramenta ſanctiſſima violantur, dejiciuntur, abiguntur, vindicem, Geneuæ compares? Quàm hoc Moliniſticum! Quàm illi proteruiæ indomitæque ſuperbiæ aptum quæ Ieſuitis à pleriſque hominibus poſt longæ experientiæ documenta vnâ voce tribuitur! Ita-ne decet pudendam rerum, quam hactenùs mirabundi vidimus, infirmitatem, multo magis pudenda verborum vehementia contegere, quæ tanto infirmior, quanto vehementior & vanior eſt? Scilicet tu Geneuæ, aut hæreſi diſplices, dum ceremoniam cum ſanctiſſimo ſacramento Confirmationis, quod hæretici omnes peius quam vllas ceremonias oderunt, parem effectu facis; parem inquam, quicquid tu veteratorijs tuis cauſationibus oggannias. Hoc enim præter dicta ſuperius, certè Catholicis Angliæ vaſtè innuis, quia apertè loqui non audes, dum ſcribis eos à ceremonia baptiſmali robur profitendæ conſtanter fidei coram tyranno ita abun-

Digitized by Google

dâter conſequi poſſe, vt ſacramento Confirmatiō-nis non egeant. Quod quid tandem aliud eſt apud populum, quàm ceremoniam baptiſmalem idem habere efficaciæ ad roborandos fideles, ac ſacramentum Confirmationis? Quod enim de effectu *actuali & habituali* diſtinguis, ridiculum eſt, nugatorium eſt; & ad populum, qui talia non capit, prorſus inutile. Valet hoc tantum, & à te ſpargitur, ad placandos doctiores & ludificandos, ne malam mentem tuam penitùs aduertant, & perfidiam execrentur. Populus intereà verbis tuis illaqueatur, & venena combibit: Quem quia diſcriminis iſtius *actualium & habitualium* effectum rudem & incapacem noras, eo genere orationis affatus es, vnde nihil aliud percepturum eſſe vidiſti, niſi ceremoniam Sacramento eſſe parem, vt tanto facilius & potentius ſacramentum Confirmationis & Epiſcopum ex Anglia depelleres. Quid magis Caluiniſticum? Geneuæ & Lemani vernaculum? *operariorum ſubdolorum* proprium? quorum nomine quoſnam Apoſtolus intelligat, ſatis noſti. 2. *Cor.* 11.13. Quod clarius faciunt illæ illecebræ, quibus viroſum poculum condijſti, quò ſuauius & penitius influeret; Agi communes omnium fortunas, libertatem, vitam denique, ſi ſacramentum Confirmationis ab Epiſcopo ſuſcipiatur; non poſſe tam graue iugum vlla authoritate imponi; adeſſe ceremoniam qua perfectio Chriſtiani nominis, & robur ad ſuperandas perſecutiones ſufficiens, atque adeò effectus ſacramenti Confirmationis ſup- *In falſa declar. nom. Cathol laic. Ang. & tota Apol. paſſim.*

pleatur. Ex quibus omnibus nemo facinus tuum non horret, Eccleſiæque animaduertendum videt, ne perincioſiſſimis tuis captionibus inſciæ Catholici populi animæ in hæreſim implicentur. Hæc enim conſolatio eſt qua miſerorum Angliæ Catholicorum corda mulces; hoc barathrum quò imprudentes trahis.

Nam non ſolùm omnem eius Sacramenti operationem ac neceſſitatem vnius ceremoniæ ope excludere vis ab Eccleſia, ſed etiam omnem à fidelium animis dolorem, quem è tanti Sacramenti penuria capere poſſent ac debent. Vis enim eos non modò longum vale dicere præcipuo pene religionis Chriſtianæ ſacramento, ſed etiam ſecuriſſimis animis, & ſine vllo doloris ſenſu vale dicere. Quod vide quonammodo Geneuæ diſpliceat, cùm quo tu iſtis dogmatibus in Anglia moliris, hoc illa in Gallia & alibi iampridem, quamuis infauſto ſydere, moliatur. Emendum illa ſibi tuum iſtum animum, non dolendum putabit: & cum omni cohorte gregibuſque ſuis libens tecum fatebitur, & ſi voles obſignabit, ſacramentum Confirmationis nullo modo neceſſarium, meris ceremonijs, atque adeò quibuſlibet bonis operibus ſuppleri poſſe; fideles etiam ſolabitur, ne illo per omnem vitam ſe ſpoliari lugeant. Hoc vno, niſi fallor, à te diſſentiet, quod Chriſtiani nominis perfectionem in denominatione, aut vnctione exteriori, ſitam eſſe nunquam volet, & hanc tuam blaſphemiam nobiſcum pariter, & vnà cum omnibus

nibus

Digitized by Google

nibus qui vel nomen Chriſtianum gerunt, execrabitur.

Fugiant igitur Catholici Anglicani conſolationes tuas quouis morbo deteriores. Imò eo fallaciores, & perfidiores agnoſcant, quod non ad tollendam radicem ægritudinis, quam ex ſacramenti Cōfirmationis orbitate meritò Chriſtiani quiuis percipiant, ſed ad eam alendam potius, & fouendam conferantur. Hoc enim vnum agunt conſolatores optimi, vt eos iſtiuſmodi lenociniis à ſacramento Confirmationis requirendo auocent, & illud ijs diutius ſuffurentur; ſicut ſteriles infidæque nutrices, pueros quibus alendis lactis copiam ſuppeditare nō poſſunt, conquiſitis crepundiis & ludibriis à fletu quem fames ciet, & ab alimenti neceſſarij recordatione ſtudioſè auertere ſolent, ne meliores nutrices requirantur, & ipſis fraudulentæ nutricationis merces & fructus pereat. Satis enim conſtat quænam iſti compendia, quas commoditates, tum ſibi quiſque priuatim, tum ſuæ generatim ſocietati venentur. Meminerint, ſi ſapiunt, grauiſſimæ vocis Pauli, quam omnes qui paſtorum munere funguntur, animo inſculptam habere oporteret, vt *abdicent occulta dedecoris, neque adulterent verbum Dei; ſed in manifeſtatione veritatis ſe ipſos commendent.* Nam 2. Cor. 4. 2. *occulta dedecoris*, quæ abdicare iubentur, ſunt abſtruſæ cupidines, & obliquæ voluntatis motus intimis animæ receſſibus adhærentes, quibus non minùs, imò magis adulteratur verbum Dei, quàm vitiis perſpicuis, & erroribus palam expreſſis. Odio-

ſior enim eſt Ieſuita fictè aliis conſulens, vt ſibi verè conſulat, quàm ſi eos palam proderet; ceremoniarum Eccleſiæ honorem prætexens, vt errorem ſuum tueatur, & ſacramentum Confirmationis ex Anglia eliminet, quàm ſi id quod verbis tegit, factis prodit, verbis factiſque proderet. *Simulata innocentia, non eſt innocentia; ſimulata æquitas, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas.* Nulli enim errores peſtilentiores ſunt, quàm qui ſub ipſo veritatis inuolucro, & quaſi præſidio latent. Vnde rectiſſimè à Tertulliano ſcriptum eſt, non minus obſtrepere veritati ſenſum adulterum, quàm ſtylum corruptorem. Eccleſiæ ceremoniæ honorem non quærunt, qui ad Sacramentorum abiectionem, ad errorum defenſionem, ad cupiditatum variarum tutelam, conuertatur. Vero animo, non falſo coli volunt; ſimplicitate, non verſutia; fidelitate non hypocriſi. Catholici quoque populi ſolatiis inanibus lactari non debent, nec vacua fiducia confirmari. Id eſt, dicere pacem vbi non eſt pax; miſcere *ſermones adulationis*, ſpreto Paulo, veritate contempta; Animum eis ἀδιάφορον, & languentem immittere erga diuiniſſimum Sacramentum, quo Spiritus ſancti plenitudo infunditur. Quo enim in illud ſtudio eſſe velint, aut poſſint, ſi perſuaſum habeant, quicquid ipſis ab eo neceſſe ſit, ſimplici ceremonia abunde præſtari poſſe, & iampridem fuiſſe præſtitum in ipſo baptiſmo infantibus? Hoc ſcilicet compendium eſt, quo citò Geneuam perueniant, & ſacramenta noſtra, non iam ſacramenta, ſed ceremo-

Auguſt. in Pſal. 63.

Tertul. de præſcr. c. 17.

Iſa. 8. 11.

1. Theſſ. 2. 5.

Digitized by Google

nias exiſtiment. Luctuoſum eſt conſolationis hoc genus, perniciosum, nouum, Eccleſiæ inauditum. Qua enim facilitate fideles Angli ſuprà confutatum viderunt quantulum è Patribus aut Theologis, ad errorum iſtorum commenta probanda Spongia miſerè corraſit; eadem facilitate videre poſſunt, repudiandam ſibi & quàm longiſſimè auerſandam, quæ ab errorum iſtorum fontibus promitur conſolationem, vtpote Eccleſiæ ſenſui, & ſpiritui conſolationis, ſpiritui paracleto, Spiritui ſancto aduerſam; nec vllum ſolatium admittere debent, quo à ſacramento conſolationis, & ſpiritus paracleti excludantur. Si conſolationis egent ad tanti Sacramenti diuturnam illam penuriam, quam tanto tempore pertulerunt: perpendant potius animis quàm ſibi damnoſa fuerit communis patriæ ſuæ calamitas, qua tamdiu ſacramento Confirmationis orbati fuerunt, tanto ſubſidio, tanto ſolatio, ſimili gratiæ dono ei quod Apoſtoli fideléſque omnes die Pentecoſtes diuinitùs acceperunt. Iudiciorum diuinorum inſcrutabilem altitudinem mirentur ac ſuſpiciant. Culpas patriæ ſuæ ac ſuas gemant. Parent cogitatione iſta & colligant eſuriem, *Matt. 5. 6.* ſitimque iuſtitiæ, vt ſaturari mereantur. Diſcant quanti diuinæ gratiæ munera facere, quanta cura tueri debeant. Conentur, ac ſtudeant, ſumma apud Deum humilitate proſtrati ea ſibi elicere, & quam celerrimè maturare cœlitùs, tantóque ardentiùs & cupidiùs ad ea excipienda ſe accingant, dum ſibi à cœleſti miſericordia per Eccleſiam offerun-

Digitized by Google

tur. Hæc ſunt ſolatia, quibus hoc tempore Anglorum fidelium animos ſuſtentare oportuit. Verùm Moliniſtæ, non minus gratiæ Dei, quàm ſacramentis gratiæ fontibus, deprimendis aſſueti, vix idonei ſunt, vt rerum quas parui faciunt exiſtimationem aliis maiorem ingenerent, quàm ipſi habent.

QVARTA PROPOSITIO.

Ex cap. 2. §. 4. n. 23.

Fortè vereri poterant (ſummi Pontifices) *ne confidentia huius Sacramenti cauſans remiſſionem in vſu aliorum, illis* (Catholicis Anglis) *noceret.*

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt ſummis Pontificibus iniurioſa, & piarum aurium offenſiua.

SPONGIA.

Bene Ariſtoteles: Ad pauca reſpicientes facilè pronunciant, ſed ſi quis reſpiciat ſtatum Catholicorum Angliæ, tam laicorum quàm Sacerdotum, diſpiciet cauſas non defuiſſe, cur Pontifices prudenter timere potuerint. Ex parte Sacerdotum norant, quod eorum aliqui ſtudio habendi Epiſcopos, Confirmationi neceſſitatem & vires ſupra Catholicum ius & fas extollerent, nimirum quod iam ſcripto prodiderunt, [a] hoc Sacramentum eſſe neceſſarium ad ſalutem, [b] infallibiter conferre robur inuictum, quo quis fidem confiteatur, [c] ſine Confirmatione gratiam quidem ſufficientem haberi poſſe; gratia tamen, quæ dat efficaciam

a *Inqui. pag.* 10.
b *Hierarc. pref. n.* 18.
c *Replica pag.* 94.

profitendi fidem noſtram coram tyranno, non debetur niſi ijs, qui confirmati ſunt, quibus debetur ex vi Sacramenti & characteris. *Ex parte Laicorum compertum habebant, quod ipſis frequentare Sacramenta difficillimum eſſet, capitale in Anglia eſſe Sacerdotem domo excipere, ſatellites interdiu noctúque diſcurrere, in domos irrumpere, vt Sacerdotes comprehendant, Sacramentorumque adminiſtrationem impediant. Si quis his Catholicis offerret Sacramentum, quod diceret ſemel acceptum conferre gratiæ plenitudinem, ita vt deinceps certi futuri eſſent de ſua perſeuerantia & conſtantia; quis non prudenter crederet, ex ipſis plurimos illud Sacramentum ita amplexaturos, vt ab alijs quibus iam non indigerent, nec ſine periculo ingenti haberent, frequentandis deſiſterent? Igitur cùm conſtet ſummos Pontifices Sacramentum confirmationis Catholicis Angliæ per quinquaginta annos non præſtitiſſe, quid obſtet cogitare fortè hac inter alias cogitatione moueri potuiſſe. Neque hoc pias aures offendit, ſi verba adiungantur quibus Author vtitur, ſed Collector ſupprimit, torporem in frequentandis alijs Sacramentis, ex Confirmatione oriri non illius culpa, ſed noſtra.*

RESPONSIO.

Tuo te laqueo induis, tuo te gladio feris. Si enim verè, vt ais, Catholicis ſuggeſtum fuit ſacramentum Confirmationis ſemel acceptum conferre gratiæ plenitudinem, *ita vt deinceps certi futuri eſſent de ſua perſeuerantia & conſt[illegible]*, & *ita vt alijs*

Sacramentis iam non indigerent; nefarie dubitas Pontificem maximum hanc ijs perſuaſionem *fortè* detrahere voluiſſe. Aſſerere id ſeriò debuiſti, neque ſine graui Pontificis contumelia dubitare potuiſti. Certiſſimum enim eſt, nec vllo modo dubium, perſuaſionem iſtam eſſe impiam & hæreticam, nec à Pontifice in vllo homine Catholico tolerari potuiſſe, ſi de ea quicquam cogniti habuit. Ita calumnia Presbyteris Anglis impoſita, ſua ſponte corruit, inuitâ verò Spongiâ eorum innocentiam adſtruit. Et verò tam fœda eſt, vt nihil adhuc tam fœdum in hoc genere hæretici ipſi Catholicis exprobrauerint. Eſt enim ipſa eorum hæreſis ab orbe Catholico iampridem exploſa, fidem & iuſtitiam amitti non poſſe, & cuique fideli de perſeuerantia & permanſione in fide poſſe conſtare. Quam illi tamen perſeuerantiam & certitudinem ſtare poſſe non docent ſine bonis operibus, & Sacramentorum vſu, alijſque ad rem adiumentis à Deo conſtitutis, quoquo modo ea intelligant. At Spongia aſſeuerare audet Catholicos Anglicanos à Preſbyteris doceri, eos *accepto ſemel* ſacramento Confirmationis, *deinceps certos fore de ſua perſeuerantia & conſtantia*; ita vt alijs Sacramentis *iam non indigeant.* Peiores igitur & damnabiliores hæreticis cùm eos faciat, dubitat an tanti erroris metus, ſi quis ſuberat, Pontificum animos commouerit? Nec pudet Preſbyteros Catholicos turpiſſimæ hæreſeos reos agere; Pontifices maximos turpiſſimæ incuriæ, vel imprudentiæ; vt vel

à Spongia illi fide, hi diligentia, aut prouidentia ſuperentur?

Longè ab hac differt illa iniuria qua ſe affectam ſimulat, querimoniæ cauſam quæritans, vt querimoniam, cuius cauſam dedit, eripiat. Queritur ſuppreſſa fuiſſe à Collectore verba Danielis, quibus declaratur, *torporem in frequentandis alijs Sacramentis, ex Confirmatione oriri, non illius culpa, ſed noſtra.* Quaſi cuiquam obſcurum ſit aut dubium, ſi quid incommodi ex rerum ſacrarum vſu oriatur, in hominum peruerſitate, non in earum ſanctitate hærere culpam. Homines enim Dei bona in mala transferunt, vt Deus mala hominum in bona. *Sicut illorum nequitiæ eſt malè vti bonis operibus eius, ſic illius ſapientiæ eſt benè vti malis operibus eorum.* Quod ſi Cenſores hoc aliter intellexiſſent, *torporemque* illum *in frequentandis alijs Sacramentis*, Sacramento ipſi confirmationis vt cauſæ propriæ à Daniele aſſignari putaſſent, propoſitionem damnaſſent, non vt *piarum aurium offenſiuam*; ſed vt hæreticam & blaſphemam, blaſphemiæque ſtolidiſſimæ plenam. Quare non eſt quod Spongia conqueratur, eam de ſe ſuſpicionem habuiſſe Cenſores, quam, niſi eam non Spongiam, ſed dæmonem putauerunt, habere non potuerunt. Tam ridiculè ſe læſam ſimulat, quàm verè læſit, à quibus ſe læſam ſimulauit.

Auguſt. epiſt. 59.

Cæterùm etſi demus ei periculum fuiſſe non leue, ne fideles Angli, aut eorum Presbyteri ſacramento Confirmationis abuterentur; quid effi-

ciet? Malè omnino agetur cum religione Catholica, ſi pro abuſu rei cuiuſque, res quæ abuſum patitur, tollenda eſt. Auferenda erunt fidelibus, non vnum, ſed prorſus omnia Sacramenta & myſteria, quorum maxima pars abuſui magis hominum, quàm vſui obnoxia eſt. Ipſi Ieſuitæ Moliniſtici, dum mentium quas regendas ſuſcipiunt, pietatem Sacramentis & præſidijs exterioribus agglutinant, de affectionibus interim & præparationibus interioribus, ſine quibus illa non modò non proficiunt, ſed etiam [a] officiunt, non perinde laborantes; mirum quantum in eis ruditatis & incuriæ fouent ſe intrinſecùs ad diuinæ mentis diſciplinam componendi; ad diuinæ gratiæ magnitudinem, & potentiam ſubſternendi. Quo fit vt Sacramenta Dei ſæpiſſime profanentur & vulgò vileſcant, vt ex plerorumque hominum moribus, qui in his frequentandis hærent, perfacilè deprehenditur. Numquam enim in tanto Sacramentorum vſu, quantus pluribus iam ſæculis non fuerat minus veræ Chriſtianæque pietatis animaduerſum eſt. Vt numquam verior fuerit metuenda illa ſancti Pauli comminatio: *Omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt, &c. ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo.* Hæc enim *in figura facta ſunt noſtri.*

[a] *Quid ſacramẽtis acceptius? Vſurpata tamen ab indignis, indignè-ue tractata, minime acceptantur. Magis habẽt damnationẽ, quia debitã venerationẽ non habent.* S. Bernar ad Eug. lib. 3. cap. 5.

1. Cor. 10.

Quare faceſſat carnalis & præpoſtera hic quoque, vt ferè alibi, Ieſuitica prudentia. Nihil abſurdius quàm res ſacras quas malè homines abutendo

tendo dedecorant, multo magis dedecorare tollendo. Hic mos, hoc conſilium hæreticorum eſt, qui deletis Eccleſiæ diſciplinis, ceremoniis, myſteriis, non aliam facti rationem dare ſolent, niſi abuſus hominum, ſuperſtitiones, imperitias. Vnde, ſicut eos iure repellimus & execramur, quaſi medicos imperitos, qui quod ſanare neſciunt, ſecant, & pro *reformatorum* nomine quod ſibi malè aſſumunt, *deſtructorum* eis nomen meliori iure inurimus; Ita Moliniſtas perniciosâ iſtâ ratione ſacramentũ Confirmationis, ex Angliâ pulſum olim à Pontificibus dictitantes, potiuſque in poſterum pelli ſuadentes, eodem cuneo retundimus. Alieniſſimum eſt, Eccleſiam id ab iis conſilij capere, quod ab hæreticis tanto antè oblatum repudiauit & auerſata eſt, quaſi funeſtum omen, ſtygiamque flammam, qua breui tempore tota religio peſſum eat.

QVINTA PROPOSITIO. Ibidem.

Patet quod confidentia in Confirmationis virtute importare poſſit magnum periculum animabus.

CENSVRA.

Iſta propoſitio abſolutè prolata falſa eſt, piarum aurium offenſiua, blaſphema, ſacramento & prouidentiæ Chriſti maximè contumelioſa.

SPONGIA.

Iſta propoſitio abſolutè prolata. Quaſi verò Author

Digitized by Google

eam abſolutè protuliſſet, quam ſic diſtinxit veris limitationibus, vt non potuerint Cenſores ei ſpeciem imponere erroris, niſi verba textus abijciendo, & ſua loco illorum intrudendo. Non enim dixit Author, patet quod confidentia, *ſed retulit ex Euſebio hiſtoriam Epiſcopi Aſiani; qui cùm adoleſcentem, cuius eximiam curam geſſerat, ſigillo Dominico, hoc eſt, Confirmatione, muniſſet, attentam illam vigilantiam ſolicitudinemque, quam de illo prius habuerat, depoſuit, quo factum vt adoleſcens in grauiſsima ſcelera non ita multò poſt prolapſus ſit; hac facta narratione ſubiungit Author:* Hoc exemplum oſtendit & confidentiam in robore Confirmationis poſſe importare periculum animabus, & nos poſt ſuſceptam Confirmationem non debere alia ſubſidia conſtantiæ negligere, alioqui tuti haudquaquam erimus. *Hæc eſt ſententia Authoris, monitum ſalutare continens, aptè, prudenter, piè ex illo exemplo conſequens. Addo hanc propoſitionem abſolutè prolatam, confidentia in robore Confirmationis poteſt eſſe nimia, & importare periculum animabus, adeò non eſſe blaſphemam, vt ſit de fide, & traditur Prouerb. 14. v. 16.* ſtultus tranſilit & confidit, *hoc eſt, tranſgreditur legem Dei, & confidit de eius miſericordia, quod veniam conſequetur, vt ibi Gloſſa exponit. Igitur de fide eſt confidentiam in Dei miſericordia poſſe eſſe nimiam & periculoſam, quanto magis nimia & nociua eſſe poteſt confidentia in virtute Confirmationis?*

RESPONSIO.

Nihil attinet qua occaſione Daniel propoſitio-

Digitized by Google

nem iſtam ſcripſerit, cùm eam ſcripſerit ſicut Cenſores referunt. Nam concluſiones quas quis aliunde ſuopte ingenio colligit, tam eius ſunt, quàm ſi illud ipſum vnde colligit, eius eſſet. Siue legas, *Hoc exemplum oſtendit*, vt vertit Daniel; ſiue *hinc patet*, vt habet Cenſura; propoſitio eadem eſt. Ac iure ſane prudentiſſimeque Cenſores non omnia verba Danielis quæ Spongia vellet expreſſerunt, in hunc modum: *Hoc exemplum oſtendit & confidentiam in robore Confirmationis, &c.* Rectè enim duas partes iſtius propoſitionis ſeiunxerunt, quia priorem falſam, poſteriorem veram agnorunt. Si eas copulaſſent, veritas vnà cum falſitate condemnata videretur. Hoc ergo vt effugerent, falſam à vera, quaſi vlcus à ſanitate præciderunt. Spongia contrà eos rurſum copulat, velut membra dirupta coluber; & quo magis copulet, coniunctionem &, quæ ante aberat, interiicit; vt priorem partem poſteriore approbet, errorem veritate tegat, nempe arte ac fallacia illa hæreticis vſitatiſſima, quam Tertullianus multò antè Philoſophis, *hæreticorum*, vt ait, *Patriarchis*, imputauit, cùm eos *caupones, miſcentes aquam vino*, ſuis paſſim tractatibus denotauit. *Adu. Herm. c.8. Tertull. de An.c.3. Et alibi.*

Deinde, quamuis nihil ad Cenſuram, tamen ad Ieſuitam vſquequaque conuincendũ, nego ex latronis iſtius hiſtoria *aptè, prudenter, piè* colligi, *confidentiã in robore confirmationis poſſe importare periculũ animabus*. Vbi primò notandum hiſtoriam hanc à Ieſuita in Apologia tribui Clementi Alexandrino, in Spon-

gia Euſebio, nullibi citato loco, ne quis eum aut vllâ fide præditum, aut *in Patribus*, vt paulò antè gloriatus eſt, *verſatum*, ſed mendiciſſimum fruſtulorum ex ijs collectorum alienâ fide corrogatorem exiſtimet. 2. Iuuenis ille de quo Euſebius, non dicitur lapſus quòd ſacramento Confirmationis confideret, aut quòd eius fiduciâ alia Sacramenta negligeret. Vnde hoc exemplum nihil ad Catholicos Angliæ. 3. Quòd Epiſcopus Aſianus, cui adoleſcens ille commiſſus fuerat, dicitur priorem de eo curam remiſiſſe, imperitè & inuidiosè trahitur in odium ſacramenti Confirmationis. Nam primùm ſi de Confirmatione omninò ſermonem

a Euſeb. l. 2. hiſt. c. 22. eſſe negem, quo pacto probabit Spongia? Euſebius [a] enim tantùm ait Epiſcopum illum remiſiſſe aliquantùm de priore ſolicitudine, τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσαντα τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου.: Hoc eſt, *cùm ei perfectum præſidium impoſuiſſet, ſignaculum Domini.* Quòd æquè de Baptiſmo intelligi

b Aug. ep. 50. ad Boniſ. & lib. 2. con. ep. Parm. c. 13. Ambroſ. in Pſal. 50. poſſe fatebuntur, quicumque illum etiam *ſignaculum* ſeu *characterem* Chriſti vocari [b] à Patribus, & verè eſſe meminerint. Præcipuè cùm Euſebius verbis præcedentibus, quid Epiſcopus feciſſet exponens, nihil dicat niſi τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, i. *denique eum illuminauit*, ſeu baptizauit. Fateor tamen ſimul agi de Confirmatione, quia tum temporis Sacramenta iſta ſimul conferri ſolebant. Quod & innuit vox *perfectum præſidium*, quæ Patrum ſtylo Confirmationem ſæpius denotat, quamuis ex Spongiæ doctrinâ æquè Baptiſmo quadret. Si ergo quic-

Digitized by Google

quam aduerſus ſacramentum Confirmationis inferre velit Spongia ex hoc exemplo, idem valebit in ſacramentum Baptiſmi, de quo ſimul Euſebius loquitur: Idem etiam in ſacramentum Euchariſtiæ, quod vnà cum Baptiſmo & Confirmatione eo tempore adminiſtrabatur. Itaq; omnia religionis Chriſtianæ myſteria, totáque religio hoc exemplo infamari poterit, & fiduciam quæ de ea habeatur, animabus magnopere periculoſam dicere licebit. Denique ne quidem ille Epiſcopus dicitur ob nimiam de vllo Sacramento fiduciam negligentior circa adoleſcentem illum effectus, nec ab Euſebio iſtius culpæ argui putandus eſt. Solùm enim patet eum adoleſcenti ſtudioſiùs operam dediſſe quamdiu Catechumenus fuit, & quaſi nouitius Chriſtianæ religionis: Vbi verò eum ad Baptiſmum, & ad plenam fidelium communionem perfectionemq;, vt Patres [c] & Concilia loquuntur, perductum vidit, non tam anxie de eo fuiſſe ſolicitum, quàm cùm adhuc Catechumenus faciliùs à Chriſtiana religione, & à via ſalutis retrahi poſſe videbatur. Sic regulares omnes accuratiùs nouitijs ſuis aduigilant, quàm profeſſis, & religioni iam immobiliter alligatis. Nec tamen ſi qui profeſſi deficiant, qui nouitiatum egregiè decurrerant, Ieſuitam iccircò conceſſurum eſſe arbitror vt ſimiliter inferatur, confidentiam in perfectione religioſi ſtatus poſſe importare magnum periculum animabus; ſed ſolùm nullum eſſe tantum in religione Chriſtiana, aut in ſtatu religioſo ſub-

c *Concil. Ancyr. can. 4 5. &c. S. Dion. de Eccl. Hier. c 3.*

Digitized by Google

ſidium, quod non peruerſitas ſeu infirmitas humani generis peruertere ac perumpere poſſit. Quare Ieſuita ineptè omnimodis argumentatus eſt hoc exemplo, nec eius collectio *apta*, neque *prudens*, neque *pia*, neque *conſequens* dici poteſt, ſed contraria omnia nomina meretur.

Quòd autem fiducia mirabili eò deinde proruit vt aſſerat *propoſitionem hanc abſolutè prolatam*; *Confidentia in robore Confirmationis poteſt eſſe nimia, & importare periculum animabus, eſſe de fide*; Primùm damnatam propoſitionem adulterat adiecta vocula *nimia*, atque ita non ſoluit quæſtionem, ſed falſitate quærit exitum.

Deinde imperitè probat propoſitionem illam eſſe de fide loco iſto Prouerbiorum, vbi de Confirmatione nihil eſt. Nequidem de miſericordia Dei loquitur ille locus, quicquid velit Gloſſa, cui nunc authoritas perexigua ſupereſt, neque vnquam tanta fuit, vt fidei ſanciendæ ſufficeret. Quare inepte admodum tantum ei iuris, nunc potiſſimùm, tribuit Spongia, cùm antiqua ipſa eius exiſtimatio apud Theologos propemodum euanuit, quantum nunquam habuit. Nihil ergo vult ſcriptura niſi ſtultum mandata Dei temerè perrumpere, quaſi præcipiti ſaltu tranſuolantem, ſine vllo conſcientiæ morſu, ſine vlla cura vel cogitatione quid poſteà ſit futurum. Quare ſtultum vocat, quia ſtultitiæ proprium eſt non prouidere futura; contrà quàm prudentiæ eſt longè in poſterum proſpicere. Quo ipſo ſapienti eum oppo-

Digitized by Google

nit, qui, vt alibi ſcriptum eſt, *Initium ſapientię à timore Domini* auſpicatur. Pſal. 110.

Quamuis autem iſto loco de miſericordia Dei ageretur, Ieſuitæ tamen concludere non liceret ex eo quod nimia fiducia de Dei miſericordia concipi poſſit, nimiam etiam de ſacramento Confirmationis concipi poſſe, ita vt concluſionem iſtiuſmodi articulum fidei faceret. Ad ſummum eſſet concluſio Theologica. Notum enim eſt quàm facilè errori pateant in rebus diuinis argumentationes humanæ. Eæ præſertim quas à *maiori*, aut *à ſimili* vocant, ſæpiſſime omnium fallunt, quia in fidei iudiciis veritas non tam ex naturali habitudine aut proportione rerum, quàm ex reuelatione ac Dei conſtitutione ſpectatur. Non enim ratione ſtat fides, ſed authoritate ſuprema.

Poſtremò ad vltimam illationem Ieſuitæ reſpondeo perperam ab eo comparationem inſtitui. Etſi enim fas eſſet dicere, hominis nimia fiducia de miſericordia Dei eſſe efferri poſſe; non ideò ſequeretur rectè dici palámque promulgari eòs fiduciam nimiam in ſacramento Confirmationis collocare. Conſtat enim humanæ rationis genium eò per ſe fluere, nimio etiam impetu, vt magna ſibi de diuina miſericordia ſpondeat, in eamque ſuæ ſalutis curas nimia ſupinitate reijciat, præcipuè ex doctrina Moliniſtarum, qui diuinæ miſericordiæ altitudinem non ſatis demiſſis animis adorantes, eam humanæ voluntati ad nutum obuiam,

expoſitam, ſubiectamque efficiunt. Contrà verò renuit ſponte ſua & recuſat humana mens fiduciam Sacramentorum Dei, Sacramentique in primis Confirmationis, quo difficulter credit includi Spiritum ſanctum cum eâdem donorum munerumque ſuorum vbertate, quibus initio Eccleſiæ in fideles defluebat; idque vt credat ac fidat, intellectum in obſequium fidei captiuum redigat neceſſe eſt. Sicut enim Deus cùm rerum omnium abundantiam, vitamque feliciſſimam tribuiſſet Adamo, omnia deinde in pomum vnum concluſit, à quo tota illa magnificentia felicitaſque penderet, vt humilitas fideſque primi hominis, in illâ rerum profluentiâ, probaretur: ſic cùm gratiarum redundantiam copioſamque redemptionem nobis ſuâ morte profudiſſet, eas gratias, eamque redemptionem in res per ſe minimas, & naturâ ſuâ deſpicabiles recondidit, vt eam ab illarum paruitate, deiectâ mentium noſtrarum altitudine, petere ac mendicare cogamur, naturæ noſtræ repugnantiam fidei obeditione domantes. Præterea huius temporis hæretici docent non fidendum ſacramento Confirmationis, eorumque iſtius generis ſermonibus, non ſolùm infidelium, ſed etiam fidelium aures circumſonant. Eſt igitur ſummi periculi res, tùm peruerſæ propenſioni hominum, tùm impijs ſermonibus hæreticorum, in media hæreticorum regione blandiri; multò magis aſſerere, ideo ſacramentum Confirmationis Catholicis Angliæ fuiſſe ademptum, quia metus erat ne in

eo

eo nimiam ſpem, aut nimiam fiduciam reponerent. Iſto enim modo non ſolùm hæreticis applauditur, ſed etiam Catholicis offenſio, & ſcandalum graue paratur. Nec dubium eſt quin iſtâ machinâ hæretici innumera myſteria, & maximam partem religionis euerterint; nominatim imagines, quas non negant aliquid commodi ad populum habere poſſe; ſed hoc ſolo tollendas vrgent, quod periculum abuſionis, fiduciámque nimiam quæ in in eis ſtatuatur, metuere ſe ſimulent. Quare ratiocinatio iſta & malè cohæret, & prudentiam carnis olet, & in religionis negotio, in regione hæretica, inſidiante vndique hæreſi, diſcriminis pleniſſima eſt, meritóque notari debuit acriore cauterio, ne cui perniciem ſtrueret, cùm non ſolùm ad hæreſim, ſed etiam ad Atheiſmum pleno gradu feratur.

SEXTA PROPOSITIO.
Ex cap. 2. §. 4. n. 18.

Cùm D. Doctor dicit quod Confirmatio ſit ordinarium medium inſtitutum ad dandum robur, ad profitendam fidem ante perſecutorem; ſi intelligat quod ſit vnum ordinarium medium; verum dicit, &c. Si intelligat eſſe ordinarium medium, id eſt, ſolum & vnicum ordinarium medium, ad faciendos Chriſtianos perfectos & fortes, dictum eius non eſt conſonum veritati, cùm alia media inſtituta ſint à Chriſto ad faciendos nos fortes.

Digitized by Google

CENSVRA.

Iſta propoſitio quatenus videtur negare, Confirmationem eſſe vnicum, & ſolum ordinariũ medium ſpecialiter inſtitutum à Chriſto ad faciendos Chriſtianos perfectos & fortes, vtique ad profitendam fidem ante perſecutorem, eſt falſa, temeraria, ſacramenti Cõfirmationis imminutiua, & erronea.

SPONGIA.

Author non negauit Confirmationem eſſe vnicum, & ſolum ordinarium medium ſpecialiter inſtitutum ad faciendos nos fortes, &c. quicquid ſit de veritate illius propoſitionis. Quod affirmat, hoc eſt: Confirmationem non eſſe ita vnicum, & ſolum ordinarium medium, vt robur quod ſufficiat abundanter, vt fidem coram Tyranno profiteamur, alijs mediis non poſsit acquiri, ſiue ea ſint, ſiue non ſint ad hoc ſpecialiter inſtituta. Hinc enim contra D. Kelliſonium laqueos conſcientiis temerariè iniĳcientem, rectè concludit; Catholicos Angliæ non obligari cum perſecutionis augmento quærere Epiſcopũ, qui Sacramentum hoc ipſis adminiſtret, nec peccaſſe ſummos Pontifices, qui Catholicos ſine hoc Sacramento vno prope ſæculo reliquerunt. Nam ſi ſine medio ſpecialiter inſtituto poſſunt Catholici per media generaliter inſtituta habere conſtantiam in fidei profeſsione quæ ſufficiat, immò abundet, cur teneantur ſpecialiter inſtitutum perquirere cum tanto perſecutionis incremento, & fortunarum ſuarum detrimento? Nugantur igitur Cenſores, & extra chorum ſaltitant.

RESPONSIO.

Redi ergo tu in chorum, vt videamus meliuſne in choro ſaltites, quàm Cenſores extra chorum putas. Videamus, inquam, an tu potius non ſolùm à Cenſorum choro, ſed etiam à tuo ipſo, non tam ſaltites, quàm planiſſimè fugias, non ſolùm Cenſorij illius chori firmitatem, ſed etiam erroris tui debilitatem & deformitatem exhorreſcens. Imitaris enim matres adulteras, quas ſpurios fœtus agnoſcere pudet, vt honori ſuo per impudentiam & inhumanitatem conſulant, cui per modeſtiam & caſtimoniam conſulere noluerunt. Fruſtra quippe negas dictum à te in Apologia, *Confirmationem eſſe vnicum & ſolum ordinarium medium ſpecialiter inſtitutum ad faciendos Chriſtianos perfectos & fortes*, cùm id ipſa per ſe propoſitio tua ſatis apertè clamet. Et quamuis id apertè non diceres, nihil expoſtulandum haberes in Cenſores, qui tuam *iſtam propoſitionem id videri negare* cenſuerunt, ſenſum videlicet tuum magis quàm verba ſpectantes. Hanc autem fuiſſe ſententiam, & mentem tuam negare non potes, cùm eam paulò pòſt quantum potes tuearis. Nam quis non videt te cum Confirmationem medium ordinarium, non vnicum, ſed promiſcuum, & vnum è multis facis, ad faciendos perfectos Chriſtianos & fortes, te nihil ei præcipuum quoad vim & inſtitutionem ad hunc effectum relinquere, ſed eandem ſimiliter, & iiſdem penè verbis in pluribus aliis mediis agnoſcere, quæ ſi-

Digitized by Google

delibus ex æquo proponis, vt eorum vnum quoduis eligant, à quo effectum illum percipiant? Nimis clara ſunt hæc, quàm vt ſimulatis negationum & ludificationum tuarum inuolucris obſcurentur; quamuis tu ipſe paulò pòſt, laruâ depoſitâ, Cenſorum exiſtimationi, quam de tua propoſitione conceperant, fidem non faceres, enixè aſſerens & probans, id quod à te & dictum & intellectum, bene diſſimulare non potes.

Ac profectò adeò neceſſe eſt hoc ſenſu propoſitionem tuam intellexeris, vt ſi ſpectaris alium, eum præcipuè quem hac tua Spongia prædicas, prorſus nullum ſenſum habuiſſe videaris, ſed ſtolidiſſimè blateraſſe. Hûc enim infelicitatis te mala cauſa, malus error impulit, & vt verè dicam, ingenij & prudentiæ inopia, qua Deus improbos ſemper afficere ſolet, ne ſint ad nocendum inuictiores; vt dum vnum ſcopulum fugis, in alium velut cœcus ruas, & errores tuos atramento eluere videaris. Quid enim ſtolidius quàm effectum & neceſſitatem ſacramenti Confirmationis ſuppleri poſſe ordinariè, per media generalia ad eius effectum generatim ſolum inſtituta? Quaſi dicas, cauſarum particularium effectus, ſola efficientia Solis ſuppleri ac produci poſſe, ita vt fructus pullulent ſine vllis arboribus, è ſolis radiis Solis. Profectò nemo ita cœcus eſt quin videat cauſas generales nihil agere poſſe circà effectus cauſarum particularium, ſi cauſas particulares ſubtraxeris; ideóque ſtultiſſimè dici particularem ſacramenti Confirmatio-

Digitized by Google

nis effectum à mediis ſolùm generalibus ſuppleri poſſe ; vt magnoperè mirandum ſit Ieſuitam ad tam miſeram & perditam cauillationem confugiſſe. Æquiores in eum Cenſores fuerunt quàm ipſemet, dum propoſitionem ipſius plura media ordinaria ſtatuentem , à quibus effectus Confirmationis produci poſſit, intellexerunt de pluribus mediis ſpecialibus , non generalibus tantùm ; nolentes, præter errorem Theologicum , etiam errorem humanum, à communi ſenſu alieniſſimum, ei adſcribere.

Cæterum vt non negemus interdum fieri poſſe, vt etiam per media generalia effectus particulares Confirmationis, aut alius Sacramenti, ſingulari aliqua & extraordinaria Dei benignitate acquirantur ; aut etiam ſine vllo prorſus medio, ſola Dei miſericordia quadam eximia, quemadmodum & in natura rerum effectus aliquos particulares ſine particularibus cauſis, ſolo cauſæ primæ influxu aliquando ſuppleri, multi Philoſophi docent: Hoc tamen ordinarie ac vulgò fieri poſſe, falſum & ineptiſſimum dictu eſt, vt in natura, ita & in gratia. Ridiculus enim eſſet, qui effectus præter conſuetum ordinem à Deo interdum altiſſima ſua bonitate indultos, ſibi, aut cuiuis alij ad libitum polliceretur neglectis viis & rationibus ordinariis quas Deus ad eorum conſecutionem inſtituit. Vnde quamuis daretur Ieſuitæ, per ſola media generalia, ſine ipſa ſacramenti Confirmationis ſuſceptione, poſſe Confirmationis effectum ali-

Digitized by Google

quando comparari; non tamen concedi poſſet ſine ſumma abſurditate, media illa generalia, ſeiunctа à ſacramento Confirmationis, eſſe aut dici poſſe media ordinaria talis effectus, quaſi per illa ſola, reiectâ Confirmatione, eum obtinere, cuius in promptu eſſet: Non magis quàm quia interdum in natura effectus aliqui præter communem cauſarum naturalium conſtitutionem oriuntur, quæ Philoſophi naturæ miracula vocant, liceat ſine magna væcordia, pares quotidie effectus à cauſis alijs ſimilibus expectare.

Quamquam ſi D. Thomam audimus, nequidem extraordinarie (de abſoluta omnipotentia Dei non loquimur, *quam philoſophicum magis eſt quàm Apoſtolicum inueſtigare;* Metaphyſicum, quàm Theologicum, excutere) per vlla media generalia, ſine ipſo ſacramento Confirmationis, eius effectus ſperari poteſt. Docet enim Doctor Angelicus verbis clariſſimis effectum Confirmationis non magis ſine ſacramento Confirmationis in re aut voto, haberi poſſe, quàm effectum Baptiſmi ſine Baptiſmo in re aut voto: *Sicut nullus*, inquit, *conſequitur effectum Baptiſmi ſine Baptiſmi voto, ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius.* Idem longè antè docuerant veteres, quibus authoribus D. Thomas id didicit: vt cùm D. Cornelius Pontifex Nouatianum reprehendens apud Euſebium, quòd chriſmate ab Epiſcopo non conſecratus fuiſſet, quærit quonam modo ſine impoſitione manuum Epiſcopi Spiritum ſanctum accepiſſet? Quæ

S. Bern. l. 2. ad Eugen. c. 3.

D. Thom. 3. p. q. 72. a. 6. ad 1.

Digitized by Google

quæſtio facilè ex Spongiæ doctrina ſolui potuit, ſi effectus Confirmationis alijs medijs quàm ipſa ſacramenti Confirmationis ſuſceptione percipitur. Mitto alia loca non pauca, quia hîc non propriè quæritur an effectus Confirmationis aliis vllis medijs poſſit obtineri, qua de re infrà agetur; ſed ſolùm an mediis generalibus, nec ad hoc ſpeciatim inſtitutis eum quiuis aſſequi poſſit. Quod quæſtionis genus ita obtuſum & inauditum eſt, vt non ſanctorum Patrum, hoc eſt, doctiſſimorum & ſanctiſſimorum hominum, authoritatibus frangi, ſed vel tyronum, & hominum quorumlibet ſibilo explodi debeat.

Euſeb. Eccleſ. hiſt. l. 6. c. 33. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε;

Sicut autem generalium mediorum ſpe Catholicos Anglos neceſſitate admittendi Epiſcopum, à quo ſacramentum Confirmationis accipiant, liberare non potuit; ita nec perſecutionis ex eo naſcituræ metu. Vtrumque enim æquè falſo comminiſcitur, æquè malignè ſimulat, vt liquet ex totius penè Angliæ Catholicorum declaratione, quam edere coacti fuerunt, vt ſpuriam declarationem abolerent, cui aduerſus Epiſcopum Chalcedonenſem ipſorum omnium nomina Ieſuitæ inſcribere auſi ſunt. Non enim horrent verſare ac fingere quidlibet, modò in rem ſuam, etiam Catholici populi falſas aduerſus Epiſcopum, aduerſus Regem querimonias; cùm tamen Eccleſia Anglicana nullam hoc tempore perſecutionis procellam ſentiat, niſi quam ipſi cient, facti ex defenſoribus perſecutores, ex remigibus, aut, ſi malint,

gubernatoribus, turbines ac tempeſtates ærumnoſiſſimæ Eccleſiæ, quæ ipſorum ſpiritus, & impotentiſſimas de primatu & dominatu contentiones, & tumultuationes, iampridem ægrè capit.

Friuola igitur vndiquaque tergiuerſatione vſus eſt; friuola & fallaci oppugnati à ſe, & à ſodalibus ſuis Epiſcopi, & reiecti ſacramenti Confirmationis excuſatione. Qua eadem nihilo melius purgare aggreditur Pontifices maximos, quos ait *vno propè ſæculo* ſacramentum Confirmationis, & Epiſcopum Catholicis Angliæ non dediſſe. Paulo antè dixit *annis* 50. nunc media parte tempus auget, vt tanto maius faciat crimen Pontificum, quanto ineptiorem eis defenſionem parat, vbique fallax, vbique fucus, vbique labes & adulter veritatis, & ſuorum ipſius mendaciorum maſtix. Ita circumforanei fictitijs vulneribus ad ſpeciem immanibus certos homines coram plebe mirabunda ſauciant, vt falſa medicaminum atque induſtriæ opinione imperitæ multitudinis animos & nummulos aucupentur. Pontifices enim vt malè vulnerat, ita malè curat, tam in vulnerando falſus, quàm curandi rudis. Aliæ ſunt Pontificum maximorum ab ipſius, & ſociorum criminationibus veriores defenſiones. Nam Pontifices nunquam à dando Angliæ Epiſcopo abhorruerunt. Sanctiſſimus enim ipſe Pontifex Vrbanus VIII. ſuo Breui ad Epiſcopum Chalcedonenſem dato profitetur *ſe non ſine viſcerum ſuorum commotione conſideraſſe*

In Breui ad ep. Chalced.

raſſe Catholicos regnorum Angliæ & Scotiæ hæreſis violentia oppreſſos, vtilitatibus ijs deſtitui, quas cæteri Eccleſiæ filij ab Epiſcoporum miniſterio percipiunt; Ideóque Epiſcopi ſolatio, quantum cum Domino poſſet, eos ſubleuare decreuiſſe. Quod tamdiu non ſubleuauerint, non penes ipſos culpa eſt, ſed penes eos qui temporum, locorum, rerum, ſtatum talem perpetuò adumbrarunt, eamque opinionem ita ſolicitè, partim ſolitis artibus, partim diffuſa illa ſuorum factione aluerunt, vt ſummi Pontifices Eccleſiam Anglicanam tanto Sacramento, & Epiſcopo non iniuriâ cogerentur orbare. His ergo ſuccenſeant Pontifices, ſuccenſeant fideles Angli, quorum verſutiis, & cupiditatibus, illi tandiu eluſi ſunt, hi tantis diuinæ gratiæ præſidiis caruerunt. Iis gratiam habeant qui ſalutis ipſorum cupidiores, diſpulſis figmentis & nebulis, quibus iſti ſedem Apoſtolicam circumfuderant, & rerum veritate ac magnitudine fideliter expoſita, diuiniſſima illa munera, Anglis potiſſimùm neceſſaria, in Angliam, vt in cæteras Chriſtiani orbis oras, ſine mora deſtinari à ſummis Pontificibus impetrauerunt.

SPONGIA.

Deinde, quamuis hoc ad rem non pertineat, tamen falſum eſt non eſſe alia media ad dandum robur in perſecutione ſpecialiter inſtituta. Nam feruens oratio, propriè, directè, nominatim ad hunc finem præcepta eſt, vt hoc negare ſit contra expreſſum Dei verbum; Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, *cui*

præceptioni diuinæ, quia non paruerunt Apoſtoli, coram perſecutore fugerunt, Petrus autem etiam fidem negauit. Item Marc. 13. Luc. 19. cùm Dominus grauiſſimas perſecutiones, quæ contra fideles excitandæ eſſent, præſertim tempore Antichriſti prædixiſſet, hoc remedium ſalutis, ac conſtantiæ nominatim præſtituit, Vigilate itaque orantes omni tempore, vt digni habeamini fugere omnia iſta, quæ futura ſunt. *En quod medium effugiendi lapſum in perſecutione Chriſtus inſtituit. Præterea adoranda Euchariſtia inſtituta eſt per ſe directè, ſpecialiter, nominatim, ad faciendos nos fortes in perſecutione, quod Pariſienſes cùm negent contradicunt non ſolùm Cypriano, qui dicit,* ad hoc fieri Euchariſtiam vt poſſit pugnantibus eſſe tutela, *ſed etiam ipſi Chriſto Domino, qui huius Sacramenti effectum facit,* vt maneamus in ipſo, & ipſe in nobis, *hoc eſt, vt Chriſtiani à Chriſto nullis tentationibus, nec perſecutione, nec gladio ſeparemur. Quod ſi loquantur de Sacramento ad dandum robur profitendæ fidei, inſtituto ad hoc tanquam ad proprium & principalem fructum, verum fortaſſe eſt, quod dicunt, ſed hinc dicere debuiſſent,* ſi loquantur de medio quod ſit Sacramentum ad hoc inſtitutum, tanquam ad proprium & principalem ſuum effectum, *quanquam authori tam longas lacinias adſuere, vt habeant quo ſuæ Cenſuræ ſpinis eum implicent, non modò maleuolum, ſed & ridiculum. Quis enim non implicetur, ſi cui hic modus Cenſuræ placeat?*

Lib. 1. ep. 2.

Ioan. 6. v. 45.

Responsio.

Quæſtio hæc de generalibus aut ſpecialibus mediis, quibus homines ad certamen inſtruantur, non eſt aliena à re, vt Spongia vult; imò eſt cardo ipſe controuerſiæ, vt antea demonſtratum eſt, & vel ipſa damnata propoſitione per ſe patet. Quicquid autem mediorum nunc Spongia enumerat, nihil ſunt niſi media generalia. Nam primò dubium non eſt quin oratio ſit generale medium aſſequendi à Deo quod cuique opus eſt, ac proinde gratiam perſecutiones ſuperandi, vt planiſſimum eſt ex oratione Dominica, qua omnibus generatim humanis anguſtiis, & neceſſitatibus ſubſidium petitur; ac vel ex generalibus Chriſti vocibus, *Petite & dabitur vobis*, &c. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, &c. Et verò oratio ita generale medium eſt, vt nihil in Eccleſia ſine ea perficiatur: Vſque adeò vt SS. Patres Sacramenta ipſa paſſim orationes ac preces vocent, imò & ipſæ ſcripturæ. Quod ſi quia Chriſtus orare iuſſit Apoſtolos *ne intrarent in tentationem*, ideo colligere fas eſt, orationem eſſe medium ſpecialiter inſtitutum ad tentationes & perſecutiones ſubeundas; idem colligi poterit de fide, qua Paulus docet ſanctos homines *viciſſe regna, obturaſſe ora leonum, extinxiſſe impetum ignis, effugiſſe aciem gladij, conualuiſſe de infirmitate, ludibria & verbera expertos, inſuper & vincula, & carceres, lapidatos eſſe, ſectos, tentatos, in occiſione gladij mortuos, &c.* Idem colligi poterit de charitate quæ,

Matt. 7. 7.
Ioan. 16. 23.
Vid. Iuſtin. Apol. 2.
Ambr. l. 4. de fid. c. 5. & l. de init. c. 5. & l. de ſacr. 2. c. 5.
Iacob. 5. 3.
Heb. 11.

Digitized by Google

1. *Cor.* 13. 4. 7. eodem Paulo teſte, *patiens eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Neque tamen Spongiam ita leuem fore puto, vt velit omnes virtutes, omnia penè præſidia Chriſtianæ religionis, eo quod ſuperandarum tentationum & perſecutionum vim habeant, ideo ad hunc finem *ſpecialiter inſtituta eſſe*, ſeu ſpecialem ad eum vim habere. Neque porrò Chriſtus quando monuit Apoſtolos, *vigilare & orare*, ſacramentum Confirmationis adhuc inſtituerat, aut id tempus ei conferendo decreuerat. Quare hoc quoque nomine locus iſte fruſtra eſt.

Euchariſtiam quoque (excepto proprio eius effectu) medium generale dicimus omnium omnino gratiarum. Eſt enim alimentum, quo roboramur, refrigeramur, exhilaramur, alioſque omnes vſus percipimus, quos è cibo naturali corpus habet. Ideoque à S. Dionyſio, & aliis Patribus, dicitur *Sacramentum Sacramentorum*, perfectio & conſummatio omnium Sacramentorum. Quo ipſo imago eſt & ſpecies egregia mortis Chriſti, ex qua vt generali fonte omnia in gratiarum genera defluunt. Quare ſcholaſtici fatentur ſacrificij effectum eſſe generatim, omnia quæcumque ad gloriam Dei pertineant, & illud cauſæ cuidam vniuerſali comparant. Eis quos ad pugnam validos præſtare volumus, cibos quidem quibus curent ac firment corpora, ſufficimus. Non tamen hinc niſi ineptè colligas cibum ſpeciatim inſtitutum & comparatum eſſe vt homines ad certamen roborentur.

S. Dion. de Eccl. Hier. c. 3. initio: τελετῶν τελετή. *Et infra:* τοῖς τῶν ἄλλων ἱεραρχικῶν συμβόλων μεθέξεσιν ἡ τελείωσις ἐκ τῆς ταύτης θεαρχικῶν, καὶ τελειωτικῶν τῶν δωρεῶν. *Vid. S. Th. 3. p. q. 63. a. 6. in corp.*

Quæret fortaſſe Ieſuita deuium tramitem quò ſe proripiat, & elabatur, mediaque iſta omnia quæ protulit, quæque nos excuſſimus, hoc ſenſu dicet *ſpecialiter inſtituta eſſe ad dandum robur in perſecutione*, quia *directò* & *nominatim* ad hunc finem inſtituta fuerunt à Chriſto. Nam vt hanc latebram ſibi præſtrueret, conſultò, & quaſi furtim, voculam *ſpecialiter*, qua Cenſores vſi fuerunt, aliquoties mutaſſe videtur in *directò* & *nominatim*, turpiſſima æquiuocatione rem obturbans, quam expedire & clariorem facere debuerat Nam quod res aliqua ad effectum aliquem directè inſtituta ſit, cumque directè reſpiciat, non impedit quominus ſit cauſa illius generalis tantùm, & nullo modo ſpecialis. Alioquin nulla erit cauſa generalis & vniuerſalis, quia omnis cauſa directè ſuum effectum intuetur, etiã quàm maximè generalis. Cauſa enim ſine effectu nequidem concipi poteſt, vt Philoſophi norunt. Aliud ergo eſt *directò & nominatim* ſpectare aut inſtitutum eſſe ad aliquem effectum; aliud eſſe cauſam aut medium illius *ſpeciale*; niſi notiones vocum, quibus homines imbuti ſunt, euellimus. Sol directè à Deo conditus fuit ad animalium, & frugum propagationem; hoc enim directè ſpectauit, ſolem creans Deus. Ex quo ridiculè efficias, ſolem eſſe medium, aut principium ſpeciale frugum aut animalium propagandorum. Speciale enim principium aut medium alicuius rei illud dicimus, quod ad eam rem aut parandam, aut efficiendam particularem & determinatam vim

Digitized by Google

accepit, non indeterminatam tantùm. Neque ad hunc ſenſum innuendum neceſſe fuit Cenſoribus vllas lacinias Cenſuræ ſuæ aſſuere, cùm eum vox ipſa qua vſi ſunt apertè præ ſe ferat, eumque putida æquiuocatione Spongia fruſtra obruere conata ſit; vt damnationis æquitate minus pateſcente, defenſiunculæ alicuius tenuem anſulam, quam ægrè reperire poterat, ſibi ipſa confingeret.

Imò inepta rurſus, aliena, & imperita eſt iſta lacinia, *Si loquantur de Sacramento ad dandum robur profitendæ fidei inſtituto tanquam ad proprium, & principalem effectum.* Aliud enim eſt eſſe cauſam ſpecialem, ſeu ſpecialiter inſtitutam ad aliquem effectum, vt eſt in Cenſura; aliud eſſe cauſam illius vt principalis effectus. Baptiſmus delet peccata venialia quæ in baptizando præiacent, eorumque deletionis propria & particularis cauſa eſt; neque tamen peccatorum venialium deletio Baptiſmi eſt *principalis* effectus. Rurſus mors & ſatiſfactio Chriſti Domini remiſſionem peccatorum noſtrorum, vt principalem ſuum effectum, operatur. Cùm tamen Eccleſia contra huius temporis hæreticos iampridem tueatur ſatisfactionem Chriſti eſſe cauſam generalem remiſſionis noſtræ, eamque non niſi per cauſarum ſpecialium & determinatarum admotionem operari. Prætereo ſimilia exempla plurima, vt de prædicatione verbi diuini, quo Chriſtus futuri ſæculi Pater effectus, Filios generat, eo modo quo ipſe à Patre æterno generatus eſt; eorumque conuerſionem non per

Digitized by Google

illud proximè, ſed per cauſas intermedias perficit. Turbat igitur perpetuò, & rem implicat Spongia æquiuocationibus imperitiſſimis. Cenſores confirmationem dixerunt ſpeciale medium roboris ad profitendam fidem, quia medium eſt vim habens ad hunc effectum ex diuina inſtitutione, non generalem & indeterminatam, eo modo quo arbor ad ſuæ ſpeciei fructus producendos. Qui ideo effectus ſine ſacramento Confirmationis obtineri non poſſit per media generalia, vt orationem, Euchariſtiam, &c. vt iſti volunt contra perpetuum Eccleſiæ ſenſum.

Qua de re iam ſuprà dictum eſt, oſtenſumque ſine cauſa media generalia iactitari, vt ſpecialia deleantur, aut amoueantur. Nam ſicut ſpecialia media non efficiunt, quin etiam generalibus opus ſit, velut plantæ virtus ac bonitas non impedit ne ſolis motus, & efficientia neceſſaria ſit frugibus procreandis: ſic neque generalium mediorũ neceſſitas, ſpecialium mediorũ neceſſitatem tollit. Neq; ſolem lucere ſatis eſt, niſi ſint arbores & arborũ cultus; neq; orare ſatis eſt, niſi cætera media ſpecialia vſurpentur, quæ Deus ad quamque rem inſtituit. Alioquin quantumuis ores, nihil vnquam aſſequeris. Nam nullum ſæpiùs impedimentum obeſt quominus quæ volumus à Deo feramus, quàm quòd generalia media quædam adhibuiſſe contenti, cætera vel omittimus, vel negligimus, quæ ad eum finem aſſequendum ſpecialiùs à Deo inſtituta fuerunt. Quo fit vt vno pede recti, altero claudican-

tes, quò tendimus peruenire non poſſimus, quod optamus non impetremus. Hinc tot orationes, tot communiones, tot eleemoſynæ, tot ieiunia irrita & incaſſum effuſa, vt veriſſima fiat illa Apoſtoli

Iac. 4. 3. vox, *Non habetis propter quod non poſtulatis: petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.*

Quare puerilis & tyrunculo digna argumentatio eſt, non opus eſſe Confirmatione ad conciliandum robur neceſſarium aduerſus perſecutionum inſultus, quia oratio etiam ad hoc robur impetrandum à Deo inſtituta eſt. Nam generalia media non ſufficiunt, niſi particularia eis adiungas; particulare autem ac proprium medium obtinendæ gratiæ qua tentationibus, & perſecutionibus occurratur, eſſe ſacramentum Confirmationis, neſcio quis negare poſſit, niſi Spongia neget, quæ omnia poteſt, non potentia, ſed impotentia, & infirmitate. Enimuero eſt hæreticorum noſtratium iſte mos argumentandi, quo inferre contendunt, fidem eſſe medium ad omnia ſufficiens, quia vnum ex medijs generalibus eſt, quibus omnia obtinentur. Imò nullam ſalutis noſtræ cauſam particularem neceſſariam putant, ſolam Chriſti paſſionem cauſam eius agnoſcentes, quia eam generalem cauſam eſſe, qua omnes ſalui ſimus, in ſcriptura legũt. Quod perinde eſt, quaſi dixeris nõ opus eſſe ſeminibus, ſtirpibus, plantis, quia Sol omnia generat. Hoc tantum diſcriminis eſt, quod hæretici argumentatione iſta cauſas ſeu media ſpecialia penitus delent; Moliniſtæ ipſa quidem delere non

audent,

audent, ſed eorum neceſſitatem iam audacter tollunt, breui etiam illa ipſa ſublaturi, poſtquam audaciam audendo corroborarint. Iam enim iſti argumentationi, qua ſacramentum Confirmationis pellunt ex Anglia, eius verò neceſſitatem ex vniuerſa Eccleſia pellere volunt, natura, ratio, fides refragatur, ſola hæreticorum principia ſuffragantur.

SEPTIMA PROPOSITIO.
Ex cap. 3. n. 10.

Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, niſi cùm commodè haberi poteſt, vel vt alij dicunt, quando commodiſsimè, quando ſine vllo, vel minimo prorſus incommodo.

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum ſacramenti Confirmationis contemptum, maligno animo propoſita, & in errorem poteſt inducere.

SPONGIA.

Romani Augures, qui aues obſeruabant, lanternas ſemper habere debebant apertas, nec vllo operimento tectas. Quo inſtituto ſignificatur eorum qui de rebus publicis conſulunt, mentem, quæ eſt in corpore, tanquam in lanterna, lumen, nullis debere perturbationibus obduci; Alioquin grauiſsimè errabunt, quodque ſalutare eſt, ſiniſtrum vel (vt ſcripturā loquitur) lucem tenebras,

Digitized by Google

bonum malum *dicent; hoc noſtris Cenſoribus accidit obductâ lanternâ, mente in Regulares perturbatâ, Cenſuram de libro ferentibus, vix enim credi poteſt quàm fœdè errent. Attendite. Author aſſerit omnes Theologos ſecum ſentire, ſacramentum Confirmationis vel non præcipi, vel præcipi tantùm, cùm commodè haberi poteſt, vel vt alij dicunt, cùm commodiſsimè. Cenſores hoc ita eſſe non negant, nec dicunt Authorem Theologis imponere, ſed ſententiam, quam negare non poſſunt, & tacitè concedunt eſſe omnium Theologorum, & Catholicæ Eccleſiæ, damnant vt ſcandaloſam, & erroris inductiuam, & in maximum ſacramenti Confirmationis contemptũ. Hoc ſcilicet ſapere eſt, apud Richeriſtas. Sed apud Auguſtinum inſolentiſsimè inſanire, contra totius Eccleſiæ placitum diſputare: ſentire autem omnes Theologos, quod Author dixit, niſi craſſa laborent ignorantiâ, negare ſi iam velint non poſſunt.*

Responsio.

Non craſſa laboras ignorantia tu quidem, ſed craſſa laboras malitia, & craſſa laboras impudentia. Quamuis enim ignara ſis, & imperitiam vbique ſpires, te tamen tam ignaram eſſe vix credere poſſum, vt ex animo aſſeueres, *Cenſores negare non poſſe eſſe ſententiam omnium Theologorum, & Catholicæ Eccleſiæ, Confirmationem non præcipi, niſi cùm commodè haberi poteſt, vel etiam cùm commodiſsimè.* Quod ita perſpicuè falſum eſt, vt nec antiquorum quemquam dare poſſis iſtius opinionis authorem, & recentiorum non pauci ſint, qui eius ne quidem me-

Digitized by Google

minerint, & præceptum ac neceſſitatem Confirmationis ſine vlla adiunctione ſimpliciter fateantur & probent, vt infra magis patebit eorum ipſorum teſtimoniis, quos tute tibi patronos aduocaſti. Quo igitur ore præſtigias facere audes hominum oculis, ne quod manifeſtè vident, ſe videre putent? Qua fronte Cenſoribus inſultas quaſi victrix in re, in qua fœdè victa & rea es, omnium non penitus imperitorum conſcientia conſtringeris ne vſquam effugias? Manus Domini ſuper te; das pœnas temeritatis, ac ſuperbiæ incredibilis, malarumque cupiditatum, quibus hoc ſcriptionis portentum concepiſti, quod nos ſtupemus ac horremus ab homine religioſo, & eius ordinis in quo eruditio ſedem fixiſſe dicitur, aut ſcribi, aut edi potuiſſe. Tibi omnis ira Dei ad ſtuporem mentis cõuerſa eſt, qui te ita vrget, vt perpetuò & de induſtria in fœdos lapſus, & in hominum odia irruere videaris. Habe tibi *lanternas* tuas, quibus tantopere indiges, & quas cum toties verſes ac repetas in hoc opere, (mirum enim quàm tibi ſæpiùs iam *lanternæ* placeant, homini videlicet politulo, cui *laternæ* præ *lanternæ* eleganti faſtidio ſordent) ita tamen cæcas habes, vt illo Philoſopho ſtultior, qui hominem laterna in pleniſſimo foro meridie quæritabat, tu in tanto Theologorum antiquorum & recentium numero, qui tuam propoſitionem reuincunt, & tuam audaciam coarguunt, nullum tua iſta *lanterna* videas, vel videre te ſimules. Ex quo fit vt non tam tibi laterna quàm lumen deſit; & exte-

Digitized by Google

rioribus ſimul atque interioribus tenebris ſuffuſa oberres, tam manu cæca, quàm mente. *Inſolentiſſimæ inſaniæ* veriùs hoc dicerem cum Auguſtino, niſi tu verbum iſtud occupaſſes, quod tibi non inuiti relinquimus. Nam ſi qua inſania eſt Eccleſiæ vniuerſæ placita conuellere, non minor eſt ſua ipſius placita, ſua ſomnia, certè adhuc inaudita, pro totius Eccleſiæ doctrina, & pro Theologorum omnium placitis ſpargere; & inſolentiſſimæ inſaniæ arguere, qui tam ſplendida mendacia aſpernari, aut etiam compeſcere auſint.

Quamquam eſt cur Spongiæ modeſtiam mirari poſſimus: nec enim ſatis acriter videntur ei Cenſores propoſitionem eius contriuiſſe, *ſcandaloſam* cenſendo, ſacramenti Confirmationis contemptui, & errori obnoxiam. Hæc ei elogia non ſatisfaciũt, inſigniora & expreſſiora poſtulat. Sibi iure poſtulat, acriora enim meruit, & vbique meretur. Cæterùm dum in omnes Theologos ea coniecta putat, quaſi Cenſores propoſitionem quam fateantur eſſe omnium Theologorum, tamen errori proximam, ſcandaloſam, & ſacramenti Confirmationis contemptricem, notauerint; vt leuiſſimè dicam, non ſatis ſapit, & vanitati ſuæ inaniſſimis cogitationibus ſolatia quærit, vt non ſola iure proſcripta, ſed cum omnibus omnium ſæculorum Theologis male circumſcripta videatur. Quaſi verò Cenſores non ſatis negauerint propoſitionem illam eſſe omnium Theologorum, hoc ipſo quo eam ſtigmatis cenſoriis inuſſerunt? *Iam nemo doctus riſum tene-*

Aug. lib. 2. de ord.

bit, nemo non ſuccenſebit indoctus. Docti enim animum Spongiæ ipſa iracundia ieiunum vident & rident, indocti temeritati ſtolidiſſimæ non ſuccenſere non poſſunt, dum pronunciantem audiunt, omnium ætatum Theologos, Eccleſiam omnem Catholicam à Facultate Pariſienſi conſultò eſſe damnatam, vt haberet videlicet in quo ſuo erga Spongiam & Regulares, hoc eſt Ieſuitas, odio, obſequeretur. Quaſi Spongia parca eſſet in erroribus & ineptiis omne genus euomendis, quibus odium quantumnis acre infeſtiſſimi maſtigis expleat: Aut non in pleroſque eius errores paſſim leuior appareat Cenſura Sorbonæ, quàm eorum informitas ſummo iure mereatur. Finge æquiora, ſi fidem quæris. Nunc enim tot menda ſuperiora, tot mendacia, tot pudendæ fraudes, quas hactenus ad oculum pandimus, veriſimilius cuiuis faciunt te impudentiſſimæ accuſationis ream eſſe, quam Facultatem Pariſienſem *inſolentiſſimæ inſaniæ.*

Nam & accuſatio iſta adeò miſera, malè contexta, vndique fluxa eſt, vt quamuis tibi donetur quod fruſtra ſumis, non tamen appareat quid velis, aut quid efficere valeas. Eſto enim, verè ſcripſeris: *Omnes Theologos dicere Confirmationem non præcipi, niſi cum commodè haberi poteſt, vel, vt alij dicunt, quando commodiſſimè, quando ſine vllo, vel minimo prorſus incommodo.* Expoſueris quàm veriſſimè Theologorũ omnium ſententiam. Quomodo efficies propoſitionem tuam non eſſe ſcandaloſam, maligno animo propoſitam, vt ſacramenti Con-

Digitized by Google

firmationis contemptum, & errorem legentibus inijceres? Non enim ſolùm ſaniſſimis ſententijs homines non ſaniſſimi eo modo abutuntur, ſed ipſis etiam ſcripturæ oraculis, ipſis fidei ſanctiſſimis dogmatibus, quibus non minus ad ſcandala, & fidei ipſius labefactationem malæ mentes, quàm ipſo Chriſti corpore ad veneficia vti ſolent. Ac ſane nemo eſt quin ſatis aduertat, opiniones iſtas Theologorum, ſeu falſas ſeu veras (de quo tantiſper nihil dicimus) à te in tuam propoſitionem vndique collectas fuiſſe, vt ſacramentum Confirmationis pro re leuiſſima, de qua nihil laborandum ſit, penè inutili, traduceres. Hoc ipſa propoſitio, quicquid tu de tuo animo cauilleris, per ſe clamat; Hoc legentium animis inſinuat, præcipuè rudiorum, & talium qualibus tu Apologiam linguâ patriâ concinnaſti. Quamobrem ſit inſons animus tuus; propoſitio tua nocens eſt, & malum animum præ ſe fert, neque recuſare potes quin ex
Matt.7.16 lege Chriſti iudiceris, *à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Sint etiam veræ ſententiæ quas profers, ſint verè authorum quos affers; propoſitio tamen ſcandalum, contemptum, errorem ſonat, vt verè Cenſura monet. Eſt quædam falſitas, cuius partes omnes veræ ſunt; Sicut eſt quædam deformitas, cuius partes omnes formoſæ, & irreprehenſibiles iudicantur. Ac veriſſimè Auguſtinus admonuit,
Lib. 2. de doct. Chriſt. c. 33. *Sicut in falſis ſententijs veras, ſic in veris ſententijs falſas concluſiones eſſe poſſe.* Imò nunquam tam periculosè fallacia conſtruitur, quàm cùm

in ipſa veritate implicatur. Quare ſtolide omninò inferre conaris, Facultatem Pariſienſem Theologis omnibus, & toti Eccleſiæ Catholicæ mucronem Cenſorium intentaſſe. Sicut iaculator neſcio quis anguem qui filium eius ſpiris circumcinxerat, ita peritè traiecit, vt iaculum transfixa fera puerum incolumem explicaret; ita tu quamuis Theologorum ſententias malignè complecti ſtudueris, vt eorum reſpectu Cenſorios ſtylos morareris, tamen ita compuncta iaces, vt illi non plagam à Cenſoribus referant, ſed eorum beneficio à tui veneni contage liberentur.

Verſa te igitur quam in partem voles; vbique Spongia probaberis. Malè Romanos augures in tuum ſubſidium euocas, ipſum Acheronta mouens, cùm ſuperos flectere nequeas. Si enim iſti augures verè quicquam nuntiare aut conſulere nouiſſent, primùm omnium monuiſſent ne Spongiam faceres, quæ mox tam facili negotio diſpungeretur, tot maculis compuncta demonſtraretur, vt ipſi iam alia Spongia quæri debeat, qua eam, ſi ſapies, vel tu ipſe diſpungas.

Sed audi hoc etiam, antequam dimittam te, tranſiturus ad alia. Putaſne ſeriò plures Theologos, etiam celebres, damnari non poſſe à Facultate aliqua Theologica, ſi conſenſus eorum, à traditionis Eccleſiaſticæ ſanctorumque Patrum conſenſu diſcrepet? (Qua de re aliquid iam ſuperiùs diximus: Sed errorem quem Spongia ſæpiùs obtrudit, ſæpiùs retundi neceſſe eſt.) Si fateris, dam-

Digitized by Google

na iam querelas tuas. Si negas, vide ne tuo ipſe indicio fateri cogaris. Nam Sotus & Ledeſma, citati à te in Apologia, notare non dubitant tanquam *errorem in fide*, opinionem eorum qui negant ſacramentum Confirmationis ſimplici Preſbytero committi poſſe. Suarez à te ibidem citatus, eam *ſaltem temerariam* pronunciat; Cuius iudicio tu ita ſuffragaris, vt ſcribas, *Suario accedit Catholicæ ſcholæ Senatus vniuerſus, qui doctrinam hanc vt certam minimeque dubiam iamdudum communi ſuffragio comprobat.* Contraria tamen ſententia tum ſuperioribus ſæculis, tum noſtro, placuit, & placet etiam nunc, Theologis grauiſſimis, ſummi in Eccleſia nominis vel ab eruditione vel à virtute maxima, Adriano VI. Pontifici, S. Bonauenturæ Cardinali, Durando Meldenſi Epiſcopo; quibus adjicere licèt Hugonem S. Victoris Lutetiæ Abbatem; Gerſonem Vniuerſitatis eiuſdem Pariſienſis Cancellarium; Eſtium Cancellarinm item Vniuerſitatis Duacenæ; Ioannem Maiorem Pariſienſis Facultatis Theologum; qui omnes eam cum pluribus aliis aut aſſeueranter, aut dubitanter probant, neque iſtum quem tu narras *Catholicæ ſcholæ Senatum vniuerſum* morantur. An ideò apud te *inſolentiſſimæ inſaniæ* rei ſunt? *Contra totius Eccleſiæ placitum diſſputant?* An tu potius ſtolidiſſimæ inſolentiæ reus, qui tot illuſtria nomina è *Catholicę ſcholæ Senatu* ineptiſſimus Cenſor tradas? Quòd ſi tantis authoritatibus poſtpoſitis, quantas ſi tu haberes, nos triumphis, & inſultationibus obtunderemur, illi quos

Apol. c. 2. aſſ. 4. §. 4.

Adrian. in 4. d. 7. S. Bon. ib. Durãd. ib. Hug. in ſum. ſent. tract. 6. c. 1. Gerſ. t. 2. col. 80. Eſt. in 4. d. 7. § 21. Ioan. Maior in 4. d. 7. q. vn.

Digitized by Google

quos prædicas doctrinam iſtam *temerariam*, & *in fide erroneam*, dicere auſi fuerunt; illi verò quos Pſeudo-Nicolaus Smithæus profert, *nullo modo* Diſc. q. 4.
probabilem; quo iure queri potes damnari à Facul- §. 8.
tate Pariſienſi propoſitionem tuam, etiamſi Theologorum aliquot recentiorum teſtimonio vel authoritate nitatur? Conciliare primò, & placare ipſe tibi: tum Cenſoribus facilius placaberis; ſedatoque iam pectore agnoſcere incipies, fas eſſe notari erroris propoſitionem, quæ Theologis nouis, etiam multis placeat, ſi modò antiquitati & traditioni Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum ſenſui, multò magis ſi ſcripturis ſacris, non conſona videatur. Quamquam hæc nihil ad te, qui nec approbatores niſi vnum aut alterum habes, & errores profers quos illæſa vllius maioris Theologi authoritate facilè reſpuere & profligare poſſimus.

Hoc tantum adieci, ne vlla cauſa ſuperſit, cur te Cenſuræ æquiſſimæ pœniteat, in quam ſtomacharis & ebullis tanto impetu, vt neque te, neque Cenſores, neque errores tuos, neque Cenſuram eorum noſſe videaris.

SPONGIA.

Omnes enim ſententiæ de hac quęſtione ad tres claſſes reduci poſſunt. Prima eorum qui dicunt Confirmationem non pręcipi, neque lege diuina, neque Eccleſiaſtica, atque adeò cum commodiſſime haberi poteſt, illud omittere nullum eſſe peccatum per ſe loquendo, etiam cùm inſtat articulus profitendi fidem. Jn hac ſunt lon-

gè maxima pars & nobiliſſima Theologorum, ex quibus 15. *citat & ſequitur Bonacina, vt eſt apud Authorem, Henriques l.3. de Sacramento Confirmationis c. 1. littera N. & littera P.* Quidam, *inquit*, opinantur præceptum de ſuſcipienda Confirmatione obligare vrgente neceſſitate proteſtandi fidem coram Tyranno, & ideò vocari à Patribus complementum Baptiſmi, & contra rationem videri ſine armis ad pugnam accedere: at ſubſunt alia arma Epheſ. 6. vt orationis, confeſſionis, & communionis, quibus miles ſatis munitur ad pugnam. Ergo ſecluſo contemptu nullum per ſe eſt peccatum omittere Confirmationem. *Secunda eorum, qui dicunt Confirmationem præcipi diuina lege vel Eccleſiaſtica; ſed cùm non ſit Sacramentum neceſſitatis, non obligari homines vt illud recipiant, niſi cùm commodè haberi poteſt. Ita ſentit Bellarminus, Philippus Gaumaſcius Doctor Pariſienſis, & alij quos refert Henriques. Imò Doctor ipſe Kelliſſonus & Eſtius, qui ſunt rigidiſſimi, addunt* cùm commodè haberi poteſt. *Tertia claſſis eorum qui mediæ ſunt ſententiæ, qui dicunt Confirmationem abſolutè non præcipi, ſed hactenus tantùm vt non contemnatur; contemni autem cenſetur, ſi non accipitur quando adeſt omnimoda opportunitas. Ita Scotus & illius ſectatores; & inter hos illuſtriſſimus Archiepiſcopus Armacanus, frater Hugo Cauallı in Scholio ſuper Scotum in 4. d. 7. qui vtitur hac ipſa voce* commodiſſimè.

Digitized by Google

Responsio.

Hîc iam audaciæ & infidelitatis quam tibi ſuperiori reſponſione infligere cœpimus, perſpicua indicia patebunt, tuis ipſis ex verbis expreſſa, ne confutationem qua in te vtimur longè repetitam putes. Nego te ex omnibus opinionum claſſibus, quas magnus ſcilicet Theologicæ rei præfectus, conficis, vel vnicam ex fide conſcripſiſſe; ſed more ducum inertium qui militum ſemiplenos ordines diu languere ſiuerunt, ingruente certamine tumultuarias & imaginarias claſſes, non verè militaribus, ſed Paganis & vmbratilibus copiis confertas, collegiſſe. Quod ſi tu ac tui tali fide vtimini in rebus Theologicis, quid agatis in ciuilibus, vbi veritas faciliùs obruitur, mala fides difficiliùs proditur?

Ante omnia damnatam propoſitionem mutas, aliâ fide ſuppoſita: quaſi ſolùm dixeris, *Omnes Theologos ſentire ſacramentum Confirmationis vel non pręcipi, vel præcipi tantum cùm commodè haberi poteſt, vel vt alij dicunt, cùm commodiſſimè.* Illa enim pars, *vel non pręcipi*, abeſt non ſolùm à propoſitione quam Cenſura notat, ſed etiam à verſione Latina Apologiæ, quæ ſic habet: *Theologi conſentiunt Confirmationem non eſſe in præcepto niſi cum commodè haberi poteſt, aut vt affirmant alij, quando commodiſſime.* Hæ autem propoſitiones cùm ſignificent omnes Theologos docere ſacramentum Confirmationis præcipi, ſed ita demum ſi commodè haberi poſ-

ſit,&c. tua Spongia, nunc primum adjiciente non omnes Theologos dicere ſacramentum Confirmationis præcipi, falſi arguuntur. Atque ita damnata propoſitio quam fidenter aſſeueraſti non poſſe à Cenſoribus niſi craſſa laborent ignorantia negari, tua craſſa ſcientia à te ipſo negatur & confutatur. Deinde quo tandem abiit peſſima illa clauſula, *Confirmationem non præcipi niſi quando commodiſſime haberi poteſt, quando ſine vllo, vel minimò prorſus incommodo?* Quæ ab interpretibus illis quos tu velut perfidos execrari ſoles, fideliter ex Anglico verſa fuit, te ipſo nec contradicente. Et tamen adeò cœcus & turbidi animi es, vt cùm in ea propoſitionis tuæ vitium vel maximum, cuius potiſſimùm nomine Cenſores eam horruerint, lateat; eam tamen tum in Spongiæ, tum in Apologiæ verſione, tum in omni tua defenſione, quaſi rem leuiſſimi ponderis, aut non tuam, neque ad te pertinentem, prætereas. Profectò ſi vllos habes oculos, fide cares; ſi fidem habes, oculis careas neceſſe eſt, qui damnationis tuæ tam graue, & tam notabile caput toties tranſilire potueris. Senſiſti nimirum hanc eſſe erroris tui maculam adeò improbam, in ſacramentum Confirmationis contumelioſam, inauditam denique & inſolentem, vt nulli anteà Theologo nec in os venerit, nec in mentem, & nullo defenſionis genere niſi ſilentij & palinodiæ purgari queat. Sit hæc prima fraudulentia in te ipſum erroreſque tuos. Alias deinceps in aliorum opiniones videamus.

Digitized by Google

In primam claſſem eos coniicis, qui doceant, *Confirmationem non præcipi ulla lege, atque adeò cum commodiſsime haberi poteſt, illud omittere nullum eſſe peccatum per ſe loquendo, etiam cùm inſtat articulus profitendi fidem.* Reſpondeo, non eſſe Theologum vel vnum qui propoſitionem iſtam, vt à te ponitur, tueatur, & dicat *Sacramentum Confirmationis omittere, cùm commodiſsime haberi poteſt, nullum eſſe peccatum; etiam cùm inſtat articulus profitendi fidem.* Eorum ipſorum quos profers nemo iſtud habet. Nam neque Bonacina, neque Henriques illam particulam, *cùm commodiſsime*, exprimunt: Nec eum qui ſacramentum Confirmationis omittat, *cùm commodiſsime haberi poteſt, maximè cùm inſtat articulus profitendi fidem;* nullum peccatum admittere docent. Huius opinionis Spongia parens eſt: Prima omnium, reuulſis ſuperioris Theologiæ terminis, huc vſque progredi auſa fuit. Primò enim conſtat, vt ſanct. Patres omittam, de quibus alius erit dicendi locus, nullum eſſe ſcholaſticorum antiquorum, qui dixerit nullum eſſe peccatum non ſuſcipere ſacramentum Confirmationis, inſtante fidei profitendæ articulo. Omnes qui hoc docere cœperunt, recentiores ſunt, noſtra penè memoria vixerunt, & neſcio quo pacto, relicta anteceſſorum omnium ſemita, in hoc ingenij atque arbitrij humani diuerticulum abierunt. Quod magnopere notandum, & ſeriò obſeruandum eſt in cauſa Catholicorum Angliæ, cuius gratia controuerſia hæc omnis erupit; vt videant fideles Angli

Digitized by Google

quid ſibi obligationis inter hæreſeos pericula commorantibus, Theologorum omnium qui ante hoc æuum vixere conſenſu, nemine penitus diſcrepante, incumbat.

Quare audacia Ieſuitæ, vel *craſſa ignorantia* potiùs, vt verbis eius vtamur, immenſa eſt, qua ſcribere ſuſtinet, in ſua ſententia eſſe *longè maximam partem, & nobiliſsimam Theologorum.* Quod adeò falſum eſt, vt ille ipſe Henriquez, quem citauit, cùm Theologos contrariæ ſententiæ plures viginti laudaſſet, ſic ab iis diſcedat, ſuopte arbitrio abreptus, vt neminem eis niſi ſe vnum opponat. Quos autem Bonacina profert, vel non docuerunt ſacramentum Confirmationis inſtante fidei profitendæ periculo ſine peccato omitti poſſe, vt de D. Thoma & Toleto certum eſt, apud quos nihil eiuſmodi reperiri conſtat; vel ſunt recentiores, & hoc penè ſæculo nati, & alter alterum mero ratiocinationis ductu ſequentes. Quamquam neque præcipui, imò pauci admodum, huius ætatis Theologi iſtam opinionem probarunt, vt patet ex ipſis Societatis Ieſu Cardinalibus Toleto & Bellarmino, qui ab ea longè abſunt, vt omittam cæteros, de quibus alibi mentio habebitur.

Deinde, vt articulum profitendæ fidei miſſum faciamus, de quo vſque ad noſtram ætatem nulla inter Theologos controuerſia fuerat; nequidem extra illum docet vllus Theologus nullum eſſe peccatum prætermittere Confirmationem *cùm commodiſsime haberi poteſt.* Imò illi ipſi qui eam

Digitized by Google

nulla lege præceptam exiſtimant, tamen notabilem in ea ſuſcipienda negligentiam, mortalem eſſe fatentur, vt patet ex Emmanuele Sa Ieſuita: *Non ſolùm*, inquit, *contemptus* (Confirmationis) *ſed etiam notabilis negligentia mortalis eſt.* In quam ſententiam citat Sotum, Toletum, Suarem. Alij negligentiam, etiam non notabilem, ſaltem veniale peccatum faciunt, vt Nauarrus, & alij. Ac Ægidius Conink, aliàs Regius, libri Nicolai Smithæi, non tamen Danielis, approbator, tametſi nullum de Confirmatione præceptum agnoſcat; *Vix vnquam tamen*, inquit, *ſine iuſta cauſa hoc Sacramentum omittitur ſine peccato veniali: quia per illam omiſſionem priuamus nos magnis bonis & auxilijs ſpiritualibus, quod per ſe continet quandam prodigalitatem atque indecentiam: & hac ratione efficimur minus idonei ad reſiſtendum peccatis.* Fatetur voluntariam & non neceſſariam Confirmationis omiſſionem eſſe ſaltem veniale peccatum, eſſe magnorum bonorum, & auxiliorum ſpiritualium prodigalitatem. Itaque nihil obſtat quin iſta ratione etiam mortalis efficiatur. Si enim omiſſio iſta eſt prodigalitatis peccatum, profectò ea prodigalitas non poteſt non eſſe notabilis, cùm verſetur in re notabili, nempè in *magnis bonis & auxilijs ſpiritualibus*, vt loquitur, & in plenitudine Spiritus ſancti. Cùm autem temporalium bonorum ingentium, verbi gratia, quinque aut ſex millium aureorum, diſſoluta profuſio, peccatum mortale haud dubie cenſeri debeat, quamuis hominem non ideò enectura fames, ſed

Em. Sa ver. Confirmatio.

Nauar. in Man. c. 22. n. 9.

De Sacr. q. 72. a. 8. dub. vn. con. 3.

Digitized by Google

aliqua ſolummodò rei familiaris anguſtia conſtri-ctura videatur: Qua ratione tantorum bonorum ſpiritualium, & plenitudinis Spiritus ſancti, prodigalitas, peccatum dumtaxat veniale dici poterit? Videtur igitur Ægidij opinio ſecum ipſa confli-ctari; niſi fortè pluris bona temporalia, quàm ſpiritualia faciat. Proferendum tamen putaui, quia & approbator Nicolai, & Ieſuita, & teſtis proinde idoneus eſt, cuius ore Spongiæ quoad primam partem temeraria falſitas propaletur.

Secunda Claſſis, non ſolùm ex parte, vt prior, ſed etiam omnimode falſa & ſubdititia eſt. Nam neque Bellarminus, neque Philippus Gamachæus, quos Spongia nominat, dum Confirmationem fidelibus præcipi docent, illam appendiculam adjiciunt, *cùm commodè haberi poteſt.* Bellarminus ait, peccare qui negligit accipere, *niſi ex legitima cauſa non accipiat;* de *commoditate* verò verbum non facit. Gamachæus peccare qui *poteſt* ſuſcipere, nec tamen vnquam ſuſcipit. Quod longè aliud eſt quam non obligari niſi non ſolùm *poſſis*, ſed etiam *commode poſſis*, vt per ſe patet, præcipuè ad mentem Spongiæ, quæ commoditatem eò facilè redigeret, vt omnis Sacramenti neceſſitas, quàm iſti Doctores ſtatuunt, è manibus elaberetur. Eſtius verò & Kelliſonus ſi addunt, *cùm commodè haberi poteſt,* certè immeritò à Spongia tanquam rigidiſſimi numerantur. Kelliſonum adhuc non vidi. At Eſtius cùm huius Sacramenti omiſſionem mortalem non faciat niſi vbi profitendæ fidei pericu-

lum

lum imminet, extra hoc verò periculum ſolummodò venialem iudicet; imperite & inique vocatur rigidiſſimus, cùm rigidiores ſint ij de quibus modò diximus, Bellarminus & Gamachæus, præter alios plurimos, qui obligationem ſub mortali non ad ſolum tempus profitendæ fidei adſtringunt.

Tertia denique claſſis nihilo fideliùs, quàm ſuperiores, recenſetur. Nec enim omnes qui ſacramentum Confirmationis hactenus tantùm præcipi docent, vt non contemnatur, tunc ſolùm contemni aiunt, cùm *commodiſſimè* ſuſcipi poteſt. Vnus Frater Hugo Caualli ea voce vſus reperitur, quæ ideò à Spongia omnium quodammodo Theologorum nomine promulgari non debuit. Cæterùm potuit ſic locutus eſſe, vt ſolũ declararet Sacramenti huius omiſſionem tunc tantùm eſſe mortalem, cùm commodiſſime ſuſcipi poteſt, quaſi tunc tantùm contemni videatur; Non autem quin ſaltem venialiter peccet, qui illud dum commodè ſuſcipere poteſt, negligit; ſicut plures ſentientes ſuprà audiuimus. Alij verò Sacramentum contemni, eiuſque proinde omiſſionem ſemper eſſe mortalem docent, cùm data *ſufficienti opportunitate* omittitur. Sic Paludanus, Syluester, & alij. Imò ipſe Henriquez, qui meliori iure omnium laxiſſimus in hac materia dicendus eſt, quàm Eſtius omnium rigidiſſimus, fatetur tamen eum qui ſacramentum Confirmationis ſine vlla cauſa omittit, *in foro exteriori præſumi id facere ex contemptu*. Et quamuis

Palud. in 4. d. 7. q. 1. Syluest. v. Cõfirmatio. Henriq. l. 1. de Sacr. c. 4. l. 8.

Digitized by Google

ipſi videatur non ideò ſemper reuera contemni Sacramentum, tamen alios citat quibus etiam tum reuera contemni videatur, in ijſque Paludanum, Nauarrum, Caietanum.

Cæterùm non ita reſtricti ſumus, vt Confirmationis præceptum, citra vllius neceſſitatis excuſationem, cuiuis imponamus. Nouimus modos & fines rerum: ſed eos dumtaxat in hac, & in omnibus rebus Theologicis nouimus, quos perpetua Eccleſiæ traditio, & ſanctorum Patrum ſenſus præſtituit; non quos humana ratio, nullum niſi arbitrij ſui, & exiſtimationis volaticæ ductum ſequens, commenta eſt. Tenendos enim putamus fines antiquos, quos conſtituerunt Patres noſtri: & quod hæreticis perpetuò occinimus, vt eorum nouitates & temeritates refringamus, hoc nobis ipſis multo magis obſeruandum putamus, ne quam Eccleſiæ poſſeſſionem ab aliis diſſipari prohibemus, eam ipſi diſſipemus, hoc criminoſiores, quod maternæ hæreditati manus noſtras quàm alienas inferri malumus. Sed hæc ſunt alius loci, vbi fauente Deo planum faciemus quatenus Confirmationis præceptum, & vera neceſſitas ex antiqua, & perenni Eccleſiæ doctrina protendenda videatur.

Prou. 22.

Nunc habemus ſatis Spongiæ reſponſiunculas confregiſſe, earúmque leuitatem, & leuitati coniunctam audaciam patefeciſſe. Si quis nunc animo repetat eius illam magniloquentiam, *Richeriſtas inſolentiſſimè inſanire; contra totius Eccleſiæ placi-*

Digitized by Google

tum diſputare : Ac rurſum illam; *ſentire omnes Theologos quod author dixit, niſi craſſa laborent ignorantia, negare ſi iam velint non poſſunt;* quibus auditis nihil ab ea leuius quàm ſplendidiſſima ipſius Euangelij oracula expectabamus; non poterit non ſtomachari, ex iſta Societate quæ ſe literarum & doctrinarum principem quoquo iure facit, & credit, tales athletas in primariam & celeberrimam Eccleſiæ Catholicæ Facultatem immitti; eoſque non tam in vitio eſſe, quod omnibus ad hanc palæſtram præſidiis imparatiſſimi ſint, quàm quod cùm tales ſint, ſe continere non poſſint, ſed fiducia & impotentia incredibili, & religioſis hominibus criminoſiſſima, latrent debilitate catuli, mordacitate *moloſſi,* quod ſibi ipſi nomen ſupra induerunt, vt rectiſſimè in eos valeat, quod Propheta in gentem ſuperbam, & in ſummis ſceleribus inſolentem olim exclamauit, *Confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt.* *Hierem. 8.*

SPONGIA.

His addo Gerſonem Cancellarium, qui ſæpiſsimè hoc ipſum tradit [a] *tom. 1. col. 527.* [b] *dicit:* Confirmationem cadere in præcepto, dum eius ſumptio non contemnitur & Theologos communiter dicere eſſe Sacramentum non neceſſitatis. *Et tom. 2. col. 30.* [c] tenetur Chriſtianus illud non contemnere, præſertim imminente periculo confeſſionis Chriſti coram infidelibus. *Et eodem tom. col. 634.* [d] Sacramentum ſalubre eſt, nec contemnendum, dum opportunitas

a *Pariſ. edit.*
b *Tract. de com. ſub vtraq ſpec.*
c *Tract. qui dicitur Regul. moral.*
d *Tract. de viſit. Prælat.*

Digitized by Google

ſe ingerit. *Quid eſt*, quando opportunitas ſe ingerit, *niſi quando commodè haberi poteſt, ſeu potius quando commodiſsimè? Nam opportunitas ſponte ſe ingerens eſt omnimoda opportunitas. Iam non ſolùm in omnes Theologos, ſed in ſuum Cancellarium inſurgant Pariſienſes, dicantque ſcandaloſum, Magiſtrum erroris, & Sacramenti contemptorem.*

RESPONSIO.

Non meruit Gerſon tractari à Spongia fideliore manu, quàm tot omnium ordinum Theologi, quos ab ea malè multatos, contortos, falſatos iam vidimus. Imò verò, pro illo erga immerentiſſimum hominem, & vniuerſam Facultatem Pariſienſem, eiuſque alumnos odio, quod toto libro feruet, eximium ei aliquod animi Ieſuitici ſpecimen præſtari debuit. Nec ſanè potuit vllum eſſe inſignius ludibrium, quàm eum teſtem aduerſus doctrinam ab ipſomet ſæpius diſertè traditam, expoſitam, confirmatamque produci. Nam vt clarè liqueat quid Gerſon de neceſſitate ſacramenti Confirmationis ſenſerit, & quàm longè ab errore Moliniſtico abhorruerit, audiantur eius voces: *Dici poteſt*, inquit, *quod vno modo loquendi Confirmatio neceſſaria eſt, alio modo non. Neceſſitas enim duplex inuenitur, quædam abſoluta, & quædam conditionata, &c. Dicitur neceſſitas conditionata, id eſt, ſecundum quid, vt ſi homo non debeat debilitari, neceſſe eſt bene comedere. Et iſto modo dici poteſt, quod Confirmatio ad ſalutem eſt neceſſaria. Nam ad hoc quod debeat vita ſpiritualis & ſalus in*

Gerſon to. 2 in comp. de 7. Sacr. col. 78.

baptiſmo adepta, robuſtè contra hoſtes ſpirituales cuſtodiri, neceſſe habet hoc ſacramento confirmari & confortari. Vnde dicit Hugo de S. Victore, quid prodeſt ſi per baptiſmum à lapſu erigeris, niſi etiam per Confirmationem ad ſtandum confirmeris? Non quia ſine Confirmatione non valet baptiſmus ad ſalutem, quia hoc falſum eſt, ſed quia frequenter in pugna ſpirituali ex debilitate virtutis ſpiritualis accideret etiam facilitas cadendi, & proinde damnatio, niſi eſſet Confirmatio. Et alibi: *Sicut dicunt Theologi quod ſacramentum Confirmationis eſt ſacramentum neceſſitatis, non quidem ſimpliciter (cum ſine illo ſtaret ſalus) ſed ſic quod obligatur quilibet ad non contemnendum ſuſceptionem huius ſacramenti pro tempore & loco opportunis: Ita proportionaliter de vnione vel adhæſione ad vnicum Papam poteſt intelligi: ſicut etiam dici ſolet apud Theologos, quod præceptum affirmatiuum (quale eſt de habendo Papam) obligat ad ſemper, non pro ſemper.* Hæc clariora ſunt, quàm vt à Ieſuita obumbrentur; tam illuſtri loco, tam aperto, & obuio propoſita ſunt, vbi tota Gerſonis oratio in ſacramento Confirmationis explanando conſumitur, vt nihil ſit quod Ieſuitam calumniæ, & malæ mentis notæ eximat, dum occluſis ad hanc lucem oculis Gerſonis angulos ſcrutatur & ventilat, ſi quâ ſeorſum voculâ velut in tranſcurſu lapſa, cùm alia de re ſermo eſſet, doctrinam eius quaſi ex inſidiis premere, & ſuam ei ſententiam ſuis ipſius verbis, vel inuito eripere poſſit. Qui mos hæreticorum perpetuus, omnibus Catholicis, omnibus veri amantibus, ac

Idem to. 1. in art. con. Pet. de luna col. 438.

vel ipſa naturali fide prædictis inuiſiſſimus eſt. Docet enim Gerſon manifeſtè vtroque loco ſacramentum Confirmationis eſſe neceſſarium ad ſalutem: non neceſſarium neceſſitate abſoluta, ita vt ſine eo non ſit ſalus; ſed neceſſarium *neceſſitate conditionata*, hoc eſt, *ſi vita ſpiritualis & ſalus in Baptiſmo adepta, robuſtè contra hoſtes ſpirituales cuſtodiri debeat*, quod fieri debet ab omnibus baptizatis qui adultam ætatem attigerunt. Nam ſi quem ſuſcepto Baptiſmo ſtatim obire contigerit, nemo dubitat quin ei pateat cœlum, etiam ſine ſacramento Confirmationis; atque adeò quin ſacramentum Confirmationis abſoluta neceſſitate non ſit neceſſarium ad ſalutem. Si quis autem in vita maneat, in qua perpetuum cum ſpiritualibus hoſtibus Chriſtiano cuique certamen propoſitum eſt; docet Gerſon neceſſariam opem ſacramenti Confirmationis, *quia frequenter in pugna ſpirituali ex debilitate virtutis ſpiritualis accideret etiam facilitas cadendi, & proinde damnatio, niſi eſſet Confirmatio*. Et Confirmationem ita neceſſariam eſſe ad ſpirituale robur, ſicut homini *ſi non debeat debilitari, neceſſe eſt benè comedere*, (quæ quāta ſit neceſſitas per ſe intelligitur) Ita vt non confirmatus homo Gerſoni perinde ſit quaſi homo malè paſtus, cui ob alimenti exilitatem artus vireſque langueant, nihil minus quàm periculoſo & infeſtiſſimo certamini pares, vbi de cœleſti gloria, & ſempiterna ſalute decernitur. Denique eo modo docet neceſſarium eſſe cuique fideli ſacramentum Confirmationis,

Digitized by Google

quo perſona Pontificis Maximi Eccleſiæ neceſſaria eſt; & quo neceſſarium dicimus quicquid præcepto affirmatiuo imperatur, quod vulgò dici ſolet *ſemper obligare, non ad ſemper*, hoc eſt, quatenus obtemperatio in noſtra poteſtate ſita eſt.

Quæ omnia ita refellunt & reſpuunt Spongiæ fabulam, Gerſonem tradere ſacramentum Confirmationis non præcipi niſi *quando adeſt omnimoda opportunitas, quando commodiſſime ſuſcipi poteſt;* vt nihil mirum ſit audere quidlibet, & certiſſimas vbique veritatis luces extinguere ſine religione conari, qui hoc aſſeuerare, & aduerſus perſpicuam Gerſonis doctrinam ambiguas in ſpeciem locorum Gerſonis particulas indigno & infauſto more prætendere audeat. Quæ tamen quàm Ieſuitæ inutiles ſint, quàm nihil repugnans, imò quàm omnia doctrinæ Gerſonis iam traditæ conſona habeant, faxo ipſemet, vel quiuis alius, celeriter intelligat.

Primo loco non agitur de Confirmatione, vt Ieſuita malè ſimulat, ſed de manducatione Euchariſtiæ ſacramentali, quam Gerſon neceſſariam & præceptam eſſe ait ſicut Confirmationem; Quam eandem Cardinalis Bellarmini, Philippi Gamachæi, aliorúmque ſententiam eſſe iam ſupra vidimus. *Vna* (manducatio) inquit, *eſt ſpiritualis, alia eſt Sacramentalis: quæ ſi ſit ſine ſpirituali, nedum non proficit, ſed officit. Cadit tamen in præcepto dum eius ſumptio nequaquam contemnitur, prout de Confirmatione, & extrema Vnctione dicitur à Do-*

Digitized by Google

ctoribus, quæ dicuntur eſſe Sacramenta non neceſsitatis. Quod vocem *non neceſſitatis* audis, quam Ieſuita perperam aucupatus eſt ad ſui erroris patrocinium, ea quid valeat facile iam intellectu eſt ex ſupra expoſita doctrina Gerſonis. Bis enim vidimus ſacramentum Confimationis ab eo dictum eſſe *neceſſarium ad ſalutem*, & *Sacramentum neceſsitatis*; vt ſi verba verbis opponantur, plus valere debeat id quod bis ab eo iteratum de induſtria, ſuo loco, in proprio rei de qua agimus ſermone, quàm quod ſemel obiter dictum eſt; & repugnantia iſta voce tenus, qua Ieſuita negotium faceſſere molitur veritati, more omnium qui veritatem conſultò oppugnant, vehementius in eius errorem, quam in veriſſimam & clare ſolideque traditam Gerſonis doctrinam, reuoluatur. Quod enim modò *neceſsitatis*, modò *non neceſsitatis* ſacramentum Confirmationis vocat Gerſon, nulla pugna eſt, ſed variarum neceſſitatum ſignificatio. Iam enim ipſum audiuimus profitentem, *dici poſſe quod vno modo loquendi Confirmatio neceſſaria eſt, alio modo non. Neceſſitas enim duplex inuenitur, &c.* Neceſſitate ergo abſoluta fatetur non neceſſariam; neceſſitate conditionata neceſſariam aſſerit, vt cibus ad debilitatem corporis auertendam neceſſarius eſt; vt perſona Papæ neceſſaria eſt Eccleſiæ; vt omnia denique neceſſaria ſunt, quæ præcepto affirmante imponuntur, quæ facere quatenus vllo modo poſſumus, iubemur. Similiter Confirmationem neceſſariò ſuſcipiendam ait, ſicut Euchariſtiam,

ſtiam, hoc eſt, quoad eius fieri poſſit. Ita enim præcepta affirmatiua, quale Euchariſtiæ, obligant: Adeò vt ſi quando poſſunt, non impleantur, contemni cenſeantur; velut qui Euchariſtiam, ſeu, per omnem vitam, ſeu, per longinquum ſpatium, ſi poſſet, ſuſcipere nollet, eam contempſiſſe cenſeretur. Atque hic ſenſus eſt vocum illarum, *Euchariſtia, ſeu Confirmatio cadit ſub præcepto dum eius ſumptio non contemnitur;* quarum alioquin nullus ſenſus eſt. Quod enim generatim Euchariſtia & Confirmatio contemni non debeant, id nihil eximium eſt, neque ipſis proprium, neque de ipſis vllum ſubeſſe præceptum, vt Gerſon loquitur, ſignificat. Hoc enim idem verè dici poteſt de martyrio, de conſiliis Euangelicis, de quibuſvis operibus bonis, quæ tam certum eſt non debere contemni, quàm certum eſt non præcipi. Quare non contemni Confirmationem, Euchariſtiam, aut generatim præcepta affirmatiua, Gerſoni nihil aliud eſt, quàm ea impleri debere quantum poteſt, ne ſi ſponte omiſſa fuerint, ſpreta eſſe cenſeantur.

Atque eadem prorſus ratio eſt ſecundi loci. Alioquin enim nihil eſſet cur Gerſon diceret, *Sacramentum Confirmationis tenetur quilibet Chriſtianus habens vſum rationis non contemnere, præſertim imminente periculo confeſſionis Chriſti faciendæ coram infidelibus*, quandoquidem æque ſit impium quocumque tempore ſacramentum illud contemnere, quàm cùm fides confitenda eſt. Sed, vti iam di-

Digitized by Google

ximus, *teneri non contemnere Sacramentum*, Gerſoni eſt, *teneri ſuſcipere quando haberi poteſt.* Tenetur enim ad hoc quiſque tunc potiſſimum, cùm fidei profitendæ periculum imminet. Qui idem Scoti ſermo eſſe ſolet, ac diſcipulorum eius, cum de hoc Sacramento diſputant: valetque in præceptis omnibus affirmatiuis, quorum etiam exemplo ad huius rei explanationem Gerſon vtitur, quæ qui non exequitur, ſi poteſt, contemnit.

Quod ipſum amplius etiam clareſcit ex tertio ac poſtremo loco, vbi Ieſuita pueriliter ac ſophiſticè inſtat, ex vocibus, *dum opportunitas ſe ingerit*, vt per eas ſenſum totius propoſitionis euertat, propriiſque verbis Gerſonem illaqueet. Quod vt faciliùs videatur, proferendus eſt locus integer, quem mutilauit. Nam Gerſon de viſitatione diœceſeos diſſerens: *Si viſitator*, inquit, *ſit Prælatus, indicetur eis* (parochianis) *vltra hoc, quod ad ſacramentum Confirmationis dignè ſuſcipiendum ſe præparent, & illud recipiant. Qui ſi non ſit Prælatus, indicetur adire eum quamprimum commodè poterunt. Eſt enim Sacramentum ſalubre, nec contemnendum dum opportunitas ſe ingerit.* Quis non videt ſi poſtremæ particulæ ſenſus rectè à Ieſuita fingatur, Gerſonem pugnantia loqui, totamque propoſitionem partium conflictu diſſilire? Si enim authore Gerſone, Parochiani admonendi ſunt à viſitatore non Prælato, vt quamprimum commodè poterunt, Prælatum adeant, à quo ſacramento Confirmationis imbuantur; non vtique cenſet

tunc demum ſuſcipiendum eſſe, cùm *opportunitas ſe ingerit*, hoc eſt, Ieſuita interprete, cùm *commodiſſimè poteſt*, cùm *adeſt omnimoda opportûnitas.* Nec opportunitatem præſtolandam putat, dum ſeſe ingerat, inuocata & inexpectata quodammodo, ſed eam vltrò quæri iubet, & Epiſcopum primo quoque tempore conueniendum monet, plurium dierum itinere interdum remotum, vt in diœceſibus paulò maioribus facilè accidit. Quam opportunitatem Ieſuita proculdubio nunquam probauerit eſſe *omnimodam*, nec ſolùm *commodam*, ſed etiam *commodiſſimam.* Fatendum igitur eſt eum in apertam lucem fruſtra niti, & Gerſonis voces, non tam ex literarum apicibus, nec ex Grammaticorũ moroſitatibus, quàm ex mente ipſius, quæ tota propoſitione emicat, intellectas, ſignificare tum *opportunitatem ingerere* ſe ſuſcipiendi ſacramenti Confirmationis, cùm præſto eſt Epiſcopus à quo ſuſcipiatur, quique illud omnibus ad ſe adeuntibus, & poſtulantibus offerat, quamuis non ſine labore & moleſtia poſtulantium.

Ita omnia teſtimonia, quæ Ieſuita ſtudioſè conquiſiit ad ſui erroris præſidium, ad ſuæ, ſocietatiſque ſuæ famæ ſubſidium, corruunt; nec ſolùm nihil ei adſtipulantur, ſed etiam nouum pondus, nouamq; lucem afferunt ad eius damnationis æquitatem, & ad eius peſtilentis doctrinæ execrationem, quæ tot fraudibus, mendaciis, adulterationibus, & artibus Moliniſticis à Spongia concinnata & contorta non fuiſſet, vt ſuæ fœditati mendacem vul-

tum aliquem fingeret, niſi cauſæ iſtius ea ratio eſſet, vt & ipſa deſperatiſſima ſit, & non niſi à patrono deſperatiſſimo defendi poſſit. Nam qui iſtiuſmodi defenſionem obtrudere audent, non iam aduerſus inſtructam totius antiquitatis aciem, & doctrinam diſciplinamque Eccleſiæ perpetuam, (de qua tantiſper nihil dico) ſed aduerſus Facultatum Theologicarum primariam, aduerſus cœtum Illuſtriſſimorum Antiſtitum nobiliſſimæ propemodum Eccleſiæ regionis, in toto denique eruditorum omnium & Eccleſiæ Catholicæ quaſi theatro, eos neceſſe eſt non modò cauſæ, ſed etiam famæ ſuæ incolumitatem deſperaſſe, & tanquam victos iam penituſque perditos pugnatores, in ſupremo audaciæ impetu ſuum omne præſidium collocaſſe.

Qui ſuperiorum diſputationum meminerint, quàm verè iſta dicantur, & quàm quæ in alium hyperbolica & acerbiora viderentur, in Spongiam ſimplicia, & ingenuæ ſinceritatis pleniſſima habenda ſint, nec ex alio motu animi quam è ſolo enormitatum ipſius horrore manantia, perfacile intelligent. Quod ipſum ex oppoſitis tantæ errorum moli teſtimoniis doctriniſque veterum, & grauiſſimis Eccleſiæ Catholicæ authoritatibus continuò demonſtraretur, niſi omnem hanc partem in alium locum conferendam putauiſſemus, Spongiæ purulentiam nunc expreſſiſſe contenti.

Digitized by Google

TITVLVS III. DE EPISCOPIS ET CVRATIS.

PROPOSITIO PRIMA Ex Præfatione n. 5.

VT præferat (*D. Doctor*) *Epiſcopos Angelis quoad functionem, dicit c. 17. n. 2.* Cui Angelorum dictum eſt, Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, *ſicut Epiſcopis dictum eſt? Cui quæſtioni ſtatim ſatisfacere poteſt quis è verbo Dei, illis Angelis de quibus Pſalmiſta dicit, Pſalm. 90. v. 12.* Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. *Nam quid eſt aliud Angelos habere curam cuſtodiendarum ouium Dei, quàm Paſtores earum eſſe?*

CENSVRA.

In iſta propoſitione Author verbum Dei temerè detorquet, vt oſtendat Angelis tributum eſſe munus Paſtorum, ſicut Epiſcopis; quæ doctrina falſa eſt, temeraria, & hæretica.

SPONGIA.

Mirum quàm ridiculè collector Cenſoribus abutatur, quos ſuas fulminare Cenſuras facit aduerſus lanam caprinam, *in ipſius cerebro natam, non in aliquam propoſitionem Authoris. Nunquam dixit Author Angelis tributum eſſe munus Paſtorum, ſicut Epiſcopis, nedum hoc ſibi probandum ſumpſit. Libri ſingulas percurrant paginas, periodos, lineas, literas, hoc nuſquam*

Digitized by Google

inuenient, nec hoc D. Kelliſonum inter & authorem vertebatur in quæſtionem. Cur igitur placet calumniari, Authorique imponere, quod ipſi neque perſomnium quidem venit in mentem? Loco præfationis, qui citatur, Author ſtudet oſtendere D. Kelliſonum non eſſe accuratum hoc ſuo Hierarchico tractatu, quippe ipſum vera & Catholica dogmata probare tenuibus, & exilibus argumentis. Inter alia notat hoc eius argumentum, quo probare nititur Epiſcopos præſtare officio Angelis ex hoc ſolo quod dicatur ipſis, Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei. *Certè enim nemo Catholicus negare audebit Angelos hominibus, ſeu ouibus Dei preſidere, eaſque curare, cuſtodire, paſcere, regere; vnde ex ſolo titulo Paſtoris ſatis conuinci non poteſt Epiſcopos Angelis eſſe officio ſuperiores.*

RESPONSIO.

Fruſtra fugis, cùm non ſolùm tuus error, ſed etiam tua defenſio ipſa te premat, & effugium tibi omne interſecet. Fateris te negaſſe rectè à Kelliſono probari officium paſcendi gregem Dei, Epiſcopis præ Angelis, proprium, ex illo loco, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Hoc ſolo teneris. Quæro enim an hic locus, ſeu paſtorale officium hoc loco denotatum, ſolis Epiſcopis conueniat, an etiam Angelis? Si ſolis Epiſcopis dixeris; Rectè igitur Kelliſonus officium paſtorale Epiſcopis proprium, nec Angelis commune, ex eo loco adſtruit; veriſſimeque ait, nemini Angelorum dictum eſſe, ſicut Epiſcopis dictum eſt, *Paſcite qui*

in vobis eſt gregem Dei. Si etiam Angelis conuenire aſſeras, iam fateris Angelis tributum eſſe munus Paſtorum ſicut Epiſcopis, cùm vtrorumque officium vno eodemque ſcripturæ oraculo ſignificetur. Niſi fortè *paſcendi* vocem eo loci æquiuocè poſitam Ieſuitico acumine reſpondeas, & Spiritum ſanctum, perinde vt Moliniſtas, æquiuocis ludere tuearis.

Deinde, ne id à te vel inuito exorqueri conquerare quod non præuideris conſequi ex ipſo ſermone tuo; Non opus eſt *ſingulas libri tui percurrere paginas, periodos, lineas, literas*; vt à te inhumanius, & importunius, & ſine cauſa iubemur; ſed in ipſa propoſitione quam Cenſores damnauerunt, id quod tu à te dictum fallaciter abnuis, manifeſtè deprehendimus. Quærit Doctor Kelliſonus, *cui Angelorum dictum ſit,* Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, *ſicut Epiſcopis dictum eſt?* Reſpondes, *Illis Angelis, de quibus Pſalmiſta dicit, &c.* Quis non audit te dicentem, Angelis dictum eſſe vt paſcant gregem Dei, ſicut Epiſcopis dictum eſt; adeóque iis tributum eſſe munus paſtorum, ſicut Epiſcopis tributum eſt? Negas enim verum eſſe quod à Doctore ſcribitur nulli Angelorum *dictum eſſe ſicut Epiſcopis, Paſcite gregem Dei.* Ac per hoc aſſeris, munus paſcendi gregem Dei, Angelis, ſicut Epiſcopis, datum eſſe. Profectò niſi lectoribus humanæ naturæ ſenſum, & communem vocum intelligentiam eripere ſtatueris, nihil manifeſtius dici potuit. Iſtam enim orationis tuæ euidentiam

Digitized by Google

ipſe perſpiciens; ne ea coargui poſſes, voculam *ſicut*, eraſiſti ex tua interpretatione Latina, atque ita vertiſti: *Cui Angelorum dictum eſt, Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei? Quòd tamen Epiſcopis dicitur, &c.* Tanta apud te argumentorum inopia eſt ad innocentiam tibi vindicandam, ad errores tuos tergiuerſandos, ad aduerſariorum, quam toties ingeminas, comprobandam calumniam, vt ſine perſpicuis & putidiſſimis fraudibus, nihil iſtorum vel conari valeas. Nam Cenſorum interpretes fideliter ex Anglico tranſtuliſſe, hoc ipſo fateris, quo non negas, nec eos ſuper iſto negotio criminaris: Eademque opera perfidiam tuam certiſſimè indicas.

Nequiter igitur in Cenſores, in collectores, eiulas; quaſi te *lana caprina*, molli ſanè telo, violarint. Dignior *Cenſuræ* alicuius *fulminibus* error tuus fuit, nunc præcipuè cùm ei peruicaciam, falſo ſimulationis & fraudulentiæ vmbraculo malè tectam addidiſti; quo errorem eundem illum non tollis, ſed iteras; non minuis, ſed adauges. Et tamen indigniſſima vafritie quaſi dolo circumuenta quiritaris; cùm non ſolùm menda tua veriſſima falſo Spongiæ liquamine diluas, ſed etiam veros accuſatores tuos falſa vltrò criminatione aſpergas, tanto odioſior, quantò in aduerſariis arguendis, hoc ipſum imprudenter peccas, quod arguis.

Equidem Angelos paſtores noſtros non eſſe, nihil eſt cur dubitari debeat, & cur Spongia Paſtores eſſe non modo contendat, ſed etiam, ne quid

quid vulgare loquatur, ad Catholicam fidem pertinere velit, quaſi Catholici eſſe nequeant, qui hoc negare auſint. Iactat enim *neminem Catholicum negare auſurum Angelos hominibus ſeu ouibus Dei præſidere, eaſque curare, cuſtodire, paſcere, regere, &c.* Ridiculè doctrinam, quam Catholicam temerè pronunciat, eodem modo proponit, quo hæretici doctrinas hæreticas conſueuerunt, obſcuris clara inuoluens, vera falſis, vt veritatem falſitas tueatur. Aliud enim eſt Angelos hominibus præſidere *ſeu ouibus Dei.* Aliud, *ſeu ouibus ſuis.* Non enim qui alienis ouibus præſidet, paſtor eſt; ſed qui ſuis. Aliud rurſus eſt, *cuſtodire* homines, *curare*, *regere*; aliud *paſcere.* Nam etſi omnes qui paſcunt, etiam regunt & curant; non tamen quicumque curant & regunt, continuò paſcunt; multo minus qui cuſtodiunt. Non enim ſolùm Angeli, ſed etiam cœlites omnes, curant, regunt, cuſtodiunt nos; patroni ſunt, tutelares ſunt; & egregia ſæpe fidelibus ſuæ curæ atque cuſtodiæ teſtimonia dederunt. Paſtores tamen nemo Catholicus propriè dixerit. Si enim erant cùm in viuis agerent, vt SS. Epiſcopi, Patriarchæ, Apoſtoli; conſtat eſſe deſijſſe, cùm à viuis abierunt. Vnde ſi quando etiamnum in cœlo Paſtores eſſe dicantur & paſcere; locutiones impropriæ ſunt, & catachreſticæ, longeque aliter ſonant quàm cùm in Miniſtros Eccleſiæ conferuntur. Beati enim, aliter paſtores dici non poſſunt, quàm ipſi Angeli, vt dicetur infrà, quatenus iuuant nos, admonent,

orant pro nobis, & perpetuam noſtri curam gerunt; non autem ſenſu proprio, quaſi veram vitam, verumque pabulum, animis noſtris infundant. Hoc enim modo patet nullum in cœlo eſſe noſtrum, & Eccleſiæ Paſtorem, niſi Chriſtum & Deum.

Matt.18.12. Orig. hom. 7. in Ioſ. Cyril. Hieroſol. Cat.15

Ouium quidem nomen in ſcriptura reperimus datum Angelis, Patrum ſenſu, & Theologorum; At Paſtorum nomen eis datum non legimus, quia non ſunt. Rem enim multo difficilius reperias eis datam eſſe, quàm nomen.

a 1.*Cor.* 4. 15. *Iac.* 1.18. 1.*Pet.* 1. 23. b *Tit.* 3.5. c *Aug. ep.* 222. *& paſſim alibi.* d 1.*Cor.*12. 13. *Epheſ.* 3 13.

Si Paſtores eſſent, Patres eſſent Chriſtianorum & Eccleſiæ. Paſtores enim & Patres in Eccleſia Chriſtiana ijdem ſunt. Gignunt enim per [a] Euangelij & Sacramentorum [b] adminiſtrationem, dum per eam ſpiritum & gratiam Dei, quæ vita animæ, ſeu vt loquitur Auguſt. [c] *vita vitarum* eſt, ſubminiſtrant & inſerunt. Eademque ratione alunt & paſcunt, dum per idem verbum & Sacramenta, eandem gratiam fouent & augent, quæ non ſolum vita, ſed & [d] pabulum verum & Chriſtianum eſt. Per eadem enim alimur, ex quibus ſimus. Et quamuis in natura non ijdem ſemper alant & paſcant qui genuerunt; alij enim plerumque parentes, aliæ nutrices, aut nutricij ſunt; Tamen & naturæ recta inſtitutio nutrices eaſdem eſſe poſtulat, quoad eius fieri poteſt, quæ fuere matres; Et in ordine gratiæ ijdem ſemper Paſtorum & nutriciorum officio funguntur, qui Patrum & genitorum. Nam Paulus, modò ſe patrem

[a] fidelium; modò nutricem [b] vocat. Modò eos genuiſſe; modò lac, [c] modò ſolidum [d] cibum præbuiſſe teſtatur. Sunt enim Paſtores Eccleſiæ, non miniſtri ſolùm, ſed etiam viuæ imagines Chriſti, qui vitam dat idem & ſeruat, [e] & auget; incipit [f] bonum opus & perficit; operatur [g] velle & perficere; Alpha eſt [h] & ô mega. Similiter enim & initium, & augmentum, & conſeruatio, & complementum gratiæ, ſeu vitæ ſpiritualis per miniſtros Chriſti in Eccleſia confertur, vt per ſe patet, & inductione probare perfacile eſt. Imò imagines ſunt ſempiterni Patris, [i] & eorum operatio erga fideles filioſque Dei, imago operationis æterni Patris erga filium æternum, cuius vita ex eodem principio perpetua quadam & nunquam intermiſſa generatione, & oritur & perſeuerat. Ad tanti enim myſterij honorem, & ad altiſſimam quandam imitationem Patris illius, ex quo omnis [k] paternitas in cœlis & in terra nominatur, ijdem alunt & paſcũt fideles in Eccleſia, qui generant; Idem gignendi & paſcendi munus, eadem vis, eadem poteſtas eſt. Nam paſtio & nutricatio, continuata quædam generatio, & vt cum Philoſophis loquamur, aggeneratio eſt. Quare Paulus non ſatis habens ſemel genuiſſe fideles, exclamat; *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Nam hoc diſcriminis eſt inter Eccleſiam, & humanas matres, quòd hæ fœtus ſuos extra fundendo generant; Eccleſia intra ſeſe complectendo; prorſus ad honorem & venerationem generationis æternæ, qua

a 1. *Cor.* 4. 15. *Philem.* 10.
b 1. *Theſ.* 2. 7.
c 1. *Cor.* 3. 2.
d 1. *Cor.* 2. 6 & *Heb.* 5. 13
e 2. *Cor.* 9. 10. *Vid. Amb. l.* 1. *de pœn. c.* 7. *Act.* 17.
f *Philipp* 1.
g *Philip.* 2.
h *Apoc.* 1.
i *Epheſ.* 3. 15
k *Epheſ.* 3.
Gal. 4.
1. *Cor.* 12. 13. *Et Aug. paſſim. Et hæc eſt Eccleſiæ incorporatio.*

Digitized by Google

Ioan.1. filius ita oritur à Patre, vt ſit *vnigenitus qui eſt in ſinu Patris.* Vnde fit, vt humanæ matres non foueant amplius, aut formare pergant intùs in aluo proles ſuas iam genitas, vt antequam eas peperiſſent: Eccleſia verò eas perpetuò ſinu ſuo concluſas, ad inſtar æterni Patris, fouet, auget, & perenni quadam generatione conformat, donec Chriſtum in iis penitùs formauerit, & *in virum* [a] *perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti perductas,* in gremium denique Patris æterni, vt [b] *fratres* & [c] *cohæredes Chriſti,* vt *vnum* [d] cum Deo *ſpiritum,* vitam & æternitatem ab ipſo fonte hauſturas, & generationem illam æternam multo iam propiùs adoraturas, infundat.

a *Epheſ.* 4.
b *Ioan.* 20. 17. *Heb.* 2. 11.
c *Rom.* 8.
d 1. *Cor.* 6. 17.
Iren. l. 5. *c.* 1

Cùm ergo Angeli non gignant fideles, neque patres eorum ſint; neque paſcùnt eos, neque paſtores eorum ſunt. Hæc enim officia, niſi ſummâ myſteriorum Chriſti, & nouæ legis, & ſcripturarum ignoratione, diuelli non poſſunt. Nam quamuis in humanis paſtoribus, irrationales oues paſcentibus, paſtorum & genitorum officia non concurrant, quia horum paſtoratus multiplicem imperfectionem continet; ſecus tamen eſt in Euangelico paſtoratu, qui perfectiſſimi & diuiniſſimi Dei & Chriſti paſtoratus effigies, & effuſio quædam eſt, eius vice non ſolùm alens, ſed etiam generans rationali ſemine, & rationali pabulo, rationales oues eius. De quo alibi plura.

Quid ergo ages, Spongia? Fateberis Angelos eſſe patres Chriſtianorum, gignere fideles, eſſe non

ſolùm paſtores, ſed etiam patres Eccleſiæ? Eiſque adeò baptizandi miniſterium, ſacramenta conferendi, Euangelium prædicandi, quæ ſolæ viæ ſunt, quibus in Eccleſia filij Dei fideleſq; gignuntur, arrogabis? Non fateberis, opinor, quod abhorret à vero, à ſpecie veritatis, à Scripturarum, Patrum, Theologorum omnium, etiam ſcholaſticorum ac recentiorum, conſenſu. Fatere igitur, nec paſcere, nec eſſe paſtores, & munus paſtorale Angelorum à lege noua excluſum eſſe.

Eſto enim, fuerit aliquod eorum miniſterium, curaque paſtoralis in lege veteri, quod non modò præſides & cuſtodes ſynagogæ, ſed etiam primi legiſlatores, prædicatores, promulgatores fuerint legis apud vniuerſam congregatam in vnum multitudinem filiorum Iſraël. Quamobrem ſanctus Stephanus conteſtatur eos *accepiſſe legem in diſpoſitione Angelorum*; & D. Paulus ea de cauſa legem veterem, totamque diſciplinam Iudaïcam, ordinatam per Angelos, *Religionem Angelorum*, ex probabili ſaltem antiquorum, & nouorum Theologorum ſententiâ, vocauit. At in legem nouam iniurius eſt, qui tale quippiam de ipſa quoque ſuſpicatur: Nec ſatis meminit eminentiæ ac præſtantiæ illius, quam ei Apoſtolus ſupra veterem legem, vetuſque teſtamentum aſſeruit, toto capite primo Epiſtolæ ad Hebræos, Chriſti nouæ legis Euangelicæ legiſlatoris amplitudinem & maieſtatem, cum Angelorum legis antiquæ legiſlatorum tenuitate comparans,

Vid. Aug. l.10 de ciuit. c.15. & 17. Lex Dei in edictis data eſt Angelorum.
Act. 7.
Gal. 3 19.
Coloſſ. 2.
Orig. hom. 9. in cap. 22. Geneſ. & hom. 2. in Cant.
Cyril. Alex. lib 8. Theſ. c. 2.

Heb. 2. ac poſtmodum ita ſubiungens: *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus*, &c. *Quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem. Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Quo loco initium & propagationem miniſterij Euangelici nouæ legis deſcribens, excludit ab eo penitus, longéque ſeponit Angelos, docens ſicut Euangelium alium legiſlatorem, & promulgatorem non habet niſi Chriſtum hominem & Deum; ita præcones & miniſtros, à quibus prædicatio quam Chriſtus incœpit, expletur & effunditur in omne humanum genus, alios non eſſe niſi homines diuinæ Chriſti poteſtatis participes; in honorem videlicet humillimæ Chriſti incarnationis, qua ſicut ſalus primò parari cœpta eſt hominibus per hominem, ita deinceps per homines conſummatur. Ac proinde ***non Angelis ſubiectum eſſe à Deo orbem terræ futurum***, hoc eſt, Ecclesiam, quæ cœlum nouum & terra noua, & terra viuentium eſt; ſed Chriſto homini, & ijs exinde hominibus quos Chriſtus in mundo reliquit quaſi alteros ſe, imò quaſi vnum ſe, ita vt qui eos audit, ipſum audiat; qui ſpernit eos, ſpernat ipſum, eumque qui miſit eum. Nam Sacerdotes, & miniſtri Eccleſiæ ſunt vnus Chriſtus, non eo modo modo tantùm quo fideles omnes ſunt vnus Sa-

Vid. Chryſoſt. hom. de SS. Petro & Helia.

Luc. 10.

Digitized by Google

cerdos, vt loquũtur Patres, quatenus membra ſunt vnius Chriſti Sacerdotis; ſed etiam quatenus eiuſdem dignitatis & poteſtatis Sacerdotalis Chriſti participes ſunt, qua Chriſtus per eos non ſolùm vt miniſtros, ſed etiam vt inſtrumenta operatur, ita vt illis agentibus ipſe adſit & ſimul agat, vt cauſa & miniſter principalis. Vnde fit vt certò ſemper & efficaciter agant, & gignant, & paſcant; quia quocumque vitio teneantur, Chriſtus in iis eſt generans, baptizans, paſcens. Hic eſt enim qui baptizat, qui loquitur, qui exhortatur; hoc eſt, qui dat vitam, & auget, & complet, dum ea omnia Sacerdotes eius & miniſtri operantur.

Aug. l. 20. de ciuit. c. 10.
S. Leo ſer. 3. in anni.
Ioan. 1. 33.
2. Cor. 13. 3.
2. Cor. 4. 6. & 5. 20.
Et Auguſt. paſſim.

Videat Spongia quid interſit inter doctrinas ex ſcripturarum fontibus hauſtas, & humanæ mentis opinione volubili erraticaque confictas. Qui enim paſtorum munus in Eccleſia & lege noua cum Angelis communicat, is non ſolùm legiſlationem noui Teſtamenti cum legiſlatione veteris confundit; & miniſterium Euangelicum non ſolis hominibus, ſed & Angelis impartiens Apoſtoli doctrinam euertit; verùm etiam dignitatem, & miniſterium paſtorum Eccleſiæ, miniſterio ſeu paſtorali muneri Angelorum, aut exæquans, aut præferens (quod paulò infrà Spongia conatur) poteſtatem, & miniſterium Angelicum, poteſtati & miniſterio Chriſti vel exæquat vel præfert, quia poteſtas & miniſterium paſtorum Eccleſiæ eſt ipſa poteſtas, & ipſum miniſterium Chriſti, pro quo legatione funguntur, & à quo miſſi ſunt, ſicut ip-

2. Cor. 5.
Ioan. 20.

Digitized by Google

ſe à Patre miſſus eſt. Sed de hac miniſterij Eccleſiaſtici præſtantia, quam Spongia prorſus ignorare videtur, ſcripturarum & Eccleſiaſticæ doctrinæ, rudis, paulo poſt plura dicentur.

Maneat ergo intacta Chriſti hominis, hominumque miniſtrorum eius, dignitas Paſtoralis, & miniſterij nouæ legis amplitudo ab incarnatione Dei velut à fonte profluens. Sicut enim nuſquam
Heb.2. Angelos apprehendit, ſalutem hominum operaturus, ſed ſemen Abrahæ apprehendit; ſic nec apprehendit eos eandem ſalutem hominum humano miniſterio prædicaturus, completurus, & confirmaturus in nos, vt Apoſtolus paulo ante locutus eſt.

Hoc ſolùm in Angelis agnoſcere poſſumus, eos eſſe cuſtodes, protectores, conſultores hominum optimos ad ſalutem, iuxta illud eiuſdem
Heb.1. Apoſtoli, *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* At paſtores non ſunt, quia veram vitam, & verum pabulum, gratiam Dei, in animos hominum non ingenerant, neque producunt, quemadmodum miniſtri Eccleſiæ: Nec eandem ſubminiſtrato Chriſti corporis pabulo conſeruant, alunt, augent: Neque doctrinam ſalutis ab ijſdem accipimus: nec in iis poſuit Deus verbum reconciliationis: Imò ipſis per Eccleſiam altiſſimorum
2. Cor.5. *Epheſ.3.* Chriſti myſteriorum cognitionem ſuggeri, ab A-
Vid. Orig. poſtolo didicimus. Si ergo gratiam in nobis pro-
hom.23. in Luc.c.3. ducerent, deberent eam proximè ſine vllo inſtru-

mento

mento producere & immittere in nos, cùm neque verbi, neque Sacramentorum adminiſtrationem & diſpenſationem, ſicut miniſtri Eccleſiæ, acceperint. Dici verò non poſſunt gratiam per ſe proximè ſine inſtrumento, & provt volunt, dare ac producere, ſine graui errore ac hæreſi; quia tanta poteſtas ne quidem Eccleſiæ conceſſa eſt, & ad ſolum Deum,&poteſtatem excellentiæ Chriſti pertinet, qui ſolus Sacramentis non eſt alligatus, & operatur gratiam provt vult.

Quo fit vt paſtores dici nequeant niſi impropriè, quia regunt, & protegunt: quemadmodum interdum Reges paſtores populorum, etiam in ſacris literis, nominati fuerunt. At paſtores non ſunt ſenſu nouæ legis, ſcripturæque noui Teſtamenti, à qua nuſquam neque rem, neque nomen paſtoralis miniſterij acceperunt. *Gen. 49.24 Iſa. 44.28. Vid. Hier. in c. 14. Iſa.*

Cæterùm non ſum neſcius ſubeſſe hoc loco aduerſus ea, quæ hactenus diximus, grauem quandam in ſpeciem obiectionem; quam, niſi longitudinem nimiam omni ratione fugeremus, continuò explanaremus. Si Spongia oculos habuerit quibus eam inueſtiget, quod pro ea quam toto opere præbuit perſpicacia, non facilè ſperandum eſt; demonſtrabitur & ſoliditate carere, & veritati quam defendimus lucem pleniorem afferre.

SPONGIA.

An verò reuera munus & officium Paſtorale Epiſcopi, ſit præſtantius munere paſtorali Angelico, nihil

Author dixit in alterutram partem, ſed præſumpſit pronunciatum Doctoris verum eſſe. Quod autem noſtri Cenſores dicunt adeò verum eſſe, vt opinio quæ facit, paſtoratum Angelicum ſimilem Epiſcopali, vel parem, ſit falſa, temeraria, hæretica; videant ne hoc ſit facilè prorumpere in Cenſuras, vt à doctis meritò irrideri mereantur. Fateor enim me neque locum Scripturę, neque ſanctionem Concilij generalis ſcire, vbi res hæc ſit velut fidei articulus definita: Scio autem ſanctum Ambroſium innuere munus Angelici Paſtoratus eſſe nobilius, vel ſaltem maioris in Eccleſiam beneficij; ſic enim ſcribit: Non ſolùm Epiſcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, ſed etiam Angelos deſtinauit. *Satis apertè inſinuat Paſtoratum Angelicum, in Dei gregem eſſe Epiſcopali aliquid maius.* (*Lib. 2. in Luc. c. 2.*)

Conueniant iam Pariſienſes, & ſi placet hanc ſancti Ambroſij ſententiam, falſam, temerariam, & hæreticam pronuncient. Quod ſi fecerint, tamen authorem non tangent, qui nunquam dixit munus Angelicæ cuſtodiæ eſſe præſtantius Epiſcopali; tantùm dicit ex ſola allegatione huius textus, Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei; *id tenuiter probari. Nam poſſent etiam textus allegari, quibus Angeli dicantur eſſe Paſtores, ſeu ouium Dei cuſtodes.*

RESPONSIO.

Spongia iſthæc verſipelli audacia, ignorantia, inſulſitate redundat. Verſipellis audacia eſt, quod cùm paſtorale munus quod Angelis malè induit, paſtorali muneri Epiſcoporum præferre velit, ne-

que apertè audeat; id tamen non ſuo, ſed Diui Ambroſij nomine facit, vt & error lectorum animis S. Ambroſij authoritate vehementius influat, & Cenſura qua dignus eſt, non in Spongiam eius authorem, ſed in D. Ambroſium fictitium patronum eius, transferatur.

Ignorantia in eo eſt, quod fatetur ſe neſcire locum ſcripturæ, aut Conciliorum, vbi negetur Angelis paſtorale officium, aut ſimile, aut etiam maius, quàm officium paſtorale Epiſcoporum: cùm id vel ex Chriſtianæ religionis elementis, ſi modò quis ea teneat, planè emicet, vt poſtea demonſtrabimus: vt non modò non à doctis Cenſura rideatur, vt indoctè garrit; ſed ab indoctiſſimis etiam Chriſtianorum, modò Chriſtianis, & Chriſtianæ profeſſionis intelligentibus, erroris ipſius fœditas percipi, & liquidò damnari poſſit.

Inſulſitas denique non parua eſt, quòd poſtquam ſeſe anguino more varias in partes verſauit & inflexit, nullo certo loco gradum auſa defigere; eò denique defenſionem ſuam reuoluit, vt dicat *ſe nunquam dixiſſe munus Angelicæ cuſtodiæ eſſe præſtantius Epiſcopali, ſed tantum ex ſola allegatione huius textus, Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, id tenuiter probari*; cùm tamen in propoſitione damnata de qua agimus, non quæratur an *munus cuſtodiæ Angelicæ ſit præſtantius Epiſcopali*, ſed ſolùm an Angelis datum ſit munus *paſcendi gregem Dei, ſicut Epiſcopis* datum eſt; vt ex ipſis verbis patet. Quare reſponſio iſta inſulſa eſt, dum id quæſitum ſimu-

Digitized by Google

lat, de quo nihil quæſitum eſt; id damnatum, de quo Cenſura verbum non facit; vt nimirum commutata & conturbata quæſtione, Spongia faciliùs elabatur. Nam quæſtio de præſtantia muneris Angelici ſupra Epiſcopale munus, nunc primùm à Spongia fingitur, vt errorem quo Angelis dedit paſtorale munus ſimile Epiſcopali, tanto vberiùs, & velut ex abundanti tueatur, ſi munus iſtud Angelici paſtoratus non ſimile ſolùm & par, ſed etiam præſtantius Epiſcopali oſtendat. Superbia enim eius aſcendit ſemper; nec Cenſuram expungere conſtituit purgatis erroribus ſuis, vt innocens videatur; ſed auctis & exaggeratis vehementius, vt acriùs condemnanda iudicetur.

Cæterùm vt eam doceamus quo ſcripturæ, aut Concilij generalis loco definitum habeatur, Angelos non habere in Eccleſia paſtorale munus vel ſimile, vel præſtantius Epiſcopali; eademque opera errorum tramites, quos furtim, & velut ex inſidiis aſtruit, præcludamus: Reſpondemus, hoc iis omnibus ſcripturis, & iis omnibus Conciliis definitum eſſe, quæ nullos in Eccleſia paſtores habendos ſanciunt, niſi Apoſtolorum hominumque Apoſtolicorum ſucceſſores legitimos, qui ſuam ab Apoſtolis totius paſtoratus Euangelici, primis poſt Chriſtum fontibus, ſucceſſionem ac miſſionem perpetua mittentium, miſſorumque viciſſitudine ad ſe delapſam probent. Alioquin, ſi ab hac regula diſcedatur, meritò cum Eccleſia hæretici de munere paſtorali litigabunt, nec ſcripturarum authoritati-

Digitized by Google

bus repelli poterunt. Quæ enim ſcripturæ ab Eccleſiæ paſtoratu excludunt hæreticos, eædem Angelos excludunt,cùm neutri vllam miſſionem,quæ ab Apoſtolis defluxerit, proferre queant. Qui autem hoc principium, hoc Eccleſiaſtici paſtoratus munimentum infringere audet,is non modò Scripturas infringit, ſed etiam euertit Eccleſiæ antiquitatem, quæ ſola hac notâ veros & ſubdititios Eccleſiæ paſtores diſcriminauit, vt nemini Catholico ignotum eſt. Vnde patet dubitari non poſſe quin ſaluis fidei Catholicæ fundamentis paſtorale munus Epiſcopali ſimile, Angelis in Eccleſia aſcribi nequeat, neque dici datam iis eſſe, ſicut Epiſcopis, gregis Dei paſcendi poteſtatem. Quam in rem & plura dici poſſunt, & nos iam aliqua diximus ſuperiùs ex doctrina Eccleſiaſtica Scripturiſque repetita, & plura, ſi res feret, alibi dicemus.

Quod autem Spongia, non ſolùm paſtoralem poteſtatem ſimilem paremque Epiſcopali tribuit Angelis, ſed etiam ſuperiorem & præſtantiorem tribui poſſe innuit, tametſi os exerere non audeat; id non tam à fide alienum, quàm craſſum & penè impium demonſtrare facile eſt. Qua oratione aliquid etiam luminis priori parti accedet.

Primùm enim, quàm leuiculum & puerile eſt, & audaci Pariſienſis Facultatis reprehenſore indignum, probare officium Angelorum in Eccleſiam eſſe præſtantius Epiſcopali munere, quia S. Ambroſius ait Deum *non ſolùm Epiſcopos ad tuendum gregem ordinaſſe, ſed etiam Angelos deſtinaſſe?* Non-

Digitized by Google

ne eodem modo dicere potuit, non ſolùm ordinaſſe Epiſcopos, ſed etiam Preſbyteros, Diaconos, cæteroſque minores Clericos? An tamen ideò ſequeretur, ordinationem Preſbyterorum aliorumve Clericorum, eſſe vel digniorem, vel etiam parem ordinationi Epiſcopali? Quid ergo ſibi vult tam informe argumentandi artificium? Vbi Ieſuitæ mens, & in D. Ambroſium vel in lectores ſaltem verecundia, vt SS. Patrum penè grauiſſimo, errorem tantum tantulo & tam ridiculo argumento imponere audeat? Non comparat Ambroſius munus Angelicum Epiſcopali: ſed Dei in Eccleſiam amorem dignationemque commendat, quod non ſolùm humanam infirmitatem qua circumdati ſunt Epiſcopi, ad eius miniſterium deſtinarit, ſed etiam Angelicam ſublimitatem. Non ergo miniſteria, ſed miniſtros comparat. Imò dicens Deum Epiſcopos *ordinaſſe*, Angelos verò *deſtinaſſe*, apertè miniſterij Angelici & Epiſcopalis diuerſitatem & generis diſſimilitudinem indicat; ita vt miniſterium Angelicum nihil ſit, niſi *deſtinatio* quædam, qualis ſimplicium miniſtrorum & nunciorum eſſe ſolet: Epiſcopale verò miniſterium ſit *ordinatio* quædam & conſecratio, qua fiant participes Sacerdotij Chriſti, quo modo ipſe Chriſtus dicitur factus à Patre Sacerdos ſecundùm *ordinem* Melchiſedech.

Deinde præterquam quod Patrum, Theologorum, fideliumque ſenſibus repugnat Ieſuiticus error, manifeſtam præterea poteſtatis Epiſcopalis, &

Digitized by Google

Angelicæ ignorantiam, aut manifeſtam peruicaciam ſonat. Conſtat enim nullam eſſe tantam poteſtatem, quæ à Deo creaturis impertiri queat, quanta eſt poteſtas remittendi peccata (de qua ipſi Iudæi, annuente Chriſto, *quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?*) conferendi gratiam, gignendi filios Dei, quodque multò præſtantius eſt, Chriſtum, hoc eſt Deum ipſum, producendi. Nam ſicut matrem eſſe Dei, ſumma eſt quæ in puram creaturam cadat dignitas, infinita quodammodo, & humana omni atque Angelica amplitudine excelſior: ita poſt iſtam vim matris Dei, nulla vis tanta eſt, quanta producendi Deum, eoque producto fideles paſcendi. Quæ vis infinita quodammodo & æmula eſt non ſolùm virgineæ matris Dei fœcunditatis, dum Sacerdotes virgines Deum eundem quotidie in ara procreant, quem Virgo & mater eius in aluo ſua ſanctiſſimâ primâ omnium procreauit: ſed etiam æmula eſt operationum æternarum illarum qua diuinæ perſonæ producuntur, & generationis ipſius æternæ, qua pater diuiniſſimo ore ſuo verbum idem profert, quod ore ſuo ſacratiſſimo Sacerdotes. Tanta verò poteſtas, cùm ſit pars nobiliſſima paſtoratus Epiſcopalis, nec vlli ordini Angelico ſit conceſſa; quid clarius, quàm quæcumque ſit poteſtas Angelorum, qua homines Eccleſiamque cuſtodiunt, curant, regunt, eam ſine vlla controuerſia, poteſtate paſtorali Epiſcoporum eſſe longè longéque minorem?

Luc. 5.

Iren l. 5. c. 2.

Quid de altera poteſtate dicam germana hu-

Digitized by Google

ius & ſocia, qua humani generis peccata ſoluuntur, Eccleſia dirigitur, ſanctique regiminis clauo, ad cœli quietem per ſæculi freta tranſmittitur? *Recognoſcant Pontifices Chriſti ac Sacerdotes*, inquit D. Bonauentura, *quod à Domino vniuerſæ terræ receperunt ſupremum dominium, & à diebus ſæculi, non ſolùm hominibus, imò & Angelicis ſpiritibus penitus inauditum.* Quæ cauſa fuit vt S. Franciſcus, aliique ſancti homines, tantum Sacerdotalis dignitatis faſtigium vſque adeò exhorreſcerent, vt ab eo velut indigni & impares in tempus omne refugerent. Nominatìm S. Franciſcus iubebat fratres in omnibus laudare Deum, & *ex omnibus creaturis honorare præcipuâ reuerentiâ Sacerdotes.* Ac multò anteà Chryſoſtomus, eodem penè modo quo à Kelliſono ſcriptum eſt, Epiſcopi, inquit, *Poteſtatem*[a] *acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus. Non enim ad eos dictum eſt, Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Et paulò pòſt: *Quæ tandem poteſtas maior iſta eſſe poſſit? Omne iudicium, dedit pater filio. Video autem illud ipſum omne iudicium, à filio iſtis eſſe conceſſum. Nam quaſi iam in cœlum tranſlati & humanam naturam ſupergreſſi, & noſtris infirmitatibus exuti, ſic ad iſtum principatum euecti ſunt.* Et ante hunc Gregorius Nazianzenus[b] de ſuo Epiſcopali munere ità loquitur, vt vocet *diuturnum & labis ex-*

D. Bon. de Eccl. Hierarch. par. 2.c.1.

S Bonau in leg. S.Frã-ciſ.c.4.

a Ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε Ἀγγέλοις, οὔτε Ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ Θεός. οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται, ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, &c.

Chryſ. l. 3. de Sacerd. c. 5. & infra: τίς ἂν γένοιτο ταύτης ἐξουσία μείζων; Πᾶσαν τὴν κρίσιν ἔδωκεν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ· ὁρῶ δὲ πᾶσαν αὐτὴν τούτοις ἐγχειρισθεῖσαν ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. ὥσπερ γὰρ εἰς οὐρανοὺς ἤδη μετατεθέντες, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ὑπερβάντες φύσιν, καὶ τῶν ἡμετέρων ἀπαλλαγέντες παθῶν· οὕτως εἰς ταύτην ἤχθησαν τὴν ἀρχήν. b Ἱερωσύνην ἄσπιλον ταύτην, ἣν

pers

pers Sacerdotium, quod ipſi quoque Angeli puri puriſſimi Dei cultores, tanquam ipſorum cultui minimè impar, fortaſſe veneratione proſequentur. Similia multa proferre licet ex aliis Patribus, qui perpetuò in eandem ſententiam locuti fuerunt, quandocumque in iſtum ſermonem inciderunt. Nec Spongia dabit vnquam vel vnum, qui Angelis paſtorale munus in Eccleſia tribuerit, præcipuè munus paſtorali muneri Epiſcoporum, aut ſimile, aut par, aut etiam præſtantius; nec recuſare poterit quin ipſa portentoſi iſtius dogmatis inuentrix, & procreatrix habeatur.

αἰδοῦνται τυχὸν, καὶ ἄγγελοι, καθαρῶς τῷ καθαρωτάτῳ λατρεύοντες, ὡς τῆς ἑαυτῶν λατρείας ἀξίαν. *Greg. Nazianz. orat.* 17.

Nam vt ex ſuprà dictis patet, Angelorum miniſterium præferri non poteſt miniſterio Epiſcopali, quin ipſi Chriſti miniſterio præferatur, cùm Chriſti miniſterium, & miniſterium Epiſcopale, ac Sacerdotale vnum idemq; miniſterium ſit, vt & antè oſtendimus, & docentem Chryſoſtomum modò audiuimus. Sicut enim Chriſtus humanum genus redemit, ita Epiſcopi & Sacerdotes, poteſtate ab eo accepta, redéptionem eiuſdem humani generis peragunt, & perficiunt in ſingulis hominibus, donec numerus electorum compleatur, vt ſæpe docent Patres, & ſcriptura ſignificat, quemadmodum omnibus notiſſimum eſt, qui aliquid cum iis commercij habuerunt, & probatu perfacile erit, ſi Spongia contrà mutire audeat.

Ex quo fit, vt vix ſine blaſphemia dici queat Angelorum miniſterium in Eccleſia præferendum eſſe Epiſcopali, quod miniſterium eſt redimendæ,

Digitized by Google

ſoluendæque Eccleſiæ vice Chriſti; quo munere neque vllum in Eccleſia maius aut par fingi poteſt; nec eius vlla pars ad Angelos pertinet, qui nec Sacerdotes, nec redemptores, nec mediatores Eccleſiæ (quo quid tandem diuinius?) à SS. Patribus vnquam dicti fuerunt, vt Epiſcopi ſæpiſſimè. Ac legimus in ſcriptura Sacerdotes vocatos fuiſſe Angelos; Angelos verò dictos eſſe Sacerdotes, aut Epiſcopos nunquam legimus.

Ambroſ. l. 1 de pœn. c. 15 Chryſ. l. 6. de Sacerd. c. 4. & alibi. Malac. 2. Gal. 4. 14.

PROPOSITIO SECVNDA.

Ex cap. 3. §. 3. n. 18.

Ordinatio Presbyterorum & miniſtrorum Eccleſiæ, ſola eſt cauſa quæ infert neceſſitatem Epiſcopi.

PROPOSITIO TERTIA.

Ex cap. 4. n. 6.

Eccleſia tempore perſecutionis indiget Epiſcopo ſolùm propter ordinandos Presbyteros.

CENSVRA.

Vtraque propoſitio eſt falſa, Eccleſiæ ordiniſque Hierarchici deſtructiua, & hæretica.

SPONGIA.

Vtraque propoſitio mala fide, & non integrè recitatur: Prima non abſolutè eò loco ſtatuitur, ſed remiſſiuè, ſicut, inquit, ſequente paragrapho oſtendam, *vbi declarat Epiſcopum, inquantum habet poteſtatem*

Digitized by Google

iuriſdictionis, quod vocat ſceptrum regiminis, *requiri cauſa tum gubernationis, & conſeruandæ pacis, tum iuſtitiæ adminiſtrandæ: in quantum verò Epiſcopus (quod nomen, vt ait* [a] *Suarez, ordinem ſignificat potius, quàm iuriſdictionem) ſeu quoad poteſtatem ordinis, ſolùm neceſſariò requiri ad ordinandos miniſtros. Nam reliqua Epiſcopalis ordinis, vel præſtari poſſe à Presbyteris, vel non eſſe ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria; ſed hac de re, & impoſtura fuſiùs in Spongia ad Cenſuram quintæ & ſextæ propoſitionis huius tituli.*

a Suarez de Relig. to. 3. l. 6. c. 8. n. 2. Epiſcopus nomen eſt ordinis potius quàm iuriſdictionis.

RESPONSIO.

Næ tu magnus nugator es, & nugas tuas malè venditas, quas Theologorum primæ Facultati, eruditis omnibus, toti orbi Catholico, pro veris mercibus obtrudere coneris. Malus nugiuendus es, neſcis ineſcare homines. Quàm enim miſera nugatio eſt, *propoſitionem tuam mala fide & non integrè recitari*, quia addidiſti, *ſicut ſequente paragrapho oſtendam?* Quaſi ſequens paragraphus ſit pars propoſitionis huic paragrapho clariſſimis verbis inſertæ, & ſine ſequenti paragrapho mutila, & non integra cenſeri debeat. Quis tale ante hac defenſionis, vel accuſationis genus audiuit? Apologiæ tuæ Latina verſio habet, *vt paragraphus ſequens probabit:* An ergo propoſitionem mutilaſſe dicendus eſt, qui eam nudè ac per ſe referat, ſine probationibus ſequenti paragrapho adiunctis? O perditam innocentiam, talium ineptiarum indigam!

Digitized by Google

Quid quod ille ipſe paragraphus infrà quoque damnatus eſt? Vt pateat neque Cenſores eum omittere aut diſſimulare voluiſſe; Nec tibi quicquam præſidij aduerſus Cenſuram hanc in eo relictum eſſe. Fugis, fugis, inquam, miſerrime; neque aliud agis, niſi vt te ex laqueo propoſitionis manifeſtè hæreticæ quoquo modo extricare videaris. Sed tamen videamus iam nunc breuiter quid habeat ille paragraphus, in quo ſpes defigis tuas, vt ſuffugiorum tuorum indignitas ex omni parte cernatur. Dicis te *in eo declarare, Epiſcopum, in quantum habet poteſtatem iuriſdictionis*, quod vocas *ſceptrum regiminis*, *requiri cauſa tum gubernationis & conſeruandæ pacis*, *tum iuſtitiæ adminiſtrandæ*. Itáne verò fallacia alia aliam trudit? Fallaciter ad paragraphum prouocas, quaſi ad vnicum præſidium, quem deinde fallaciter inuertis, & ita metuis, ac fugis, quaſi præſentiſſimum toxicum? Nam paragraphus ille nuſquam habet, *Epiſcopum requiri cauſa gubernationis, aut iuſtitiæ adminiſtrandæ*. Generatim *Rectorem* aliquem requiri docet; *Epiſcopum* autem *requiri* diſertè negat, etiam tum cùm ſtatus Eccleſiæ particularis iuridicam adminiſtrationem admittit. *Reſpondeo*, inquit, *cùm ſtatus Eccleſiæ particularis iuridicam adminiſtrationem admittit, externi fori iuriſdictionem neceſſariam, & hoc nomine qui ſunt illius Eccleſię, Rectore indigent. Verùm ſi à Rectore ſuo creationem Sacerdotum expectare non debent, neceſſe non eſt vt is Epiſcopus ſit. Poteſtas gubernatiua, & iuſtitię admi-*

Digitized by Google

niſtrandæ quod ad illam Eccleſiam, congruenter committi poteſt Presbytero, & ab eo idoneè exerceri poteſt. Vbi hîc reperias, *Epiſcopum requiri cauſa gubernationis*, cùm contra manifeſtè requiri negetur, & ſatis eſſe dicatur, ſi adſit Presbyter aliquis *Rector*, videlicet Societatis Ieſu, in qua ſola *Rectoris* nomen in vſu eſt, quod ideò videris conſultò vſurpaſſe, vt clariùs innueres te pro Epiſcopo in Anglia Rectorem aliquem tuæ Societatis optare. Quis pro te in fraudibus ac mendaciis tam dilucidis non erubeſcat? Ea enim non effudiſſes, ſi ipſe erubeſcere potuiſſes. Imò quis non condoleat eò infirmitatis adductum eſſe humanum genus, vt talia propudia confutare debeamus?

Cæterùm toto fere hoc titulo, Spongia in cauſa deploratiſſima & infami, nihil aliud habet quod afferat, niſi defenſiones pariter deploratiſſimas, & quouis homine, nedum Theologo, & religioſo, indignas; miſerrima videlicet effugia, & doctrinæ quam manifeſtè prodidit, quam perſpicuis ipſius vocibus vbique deprehendimus, negationes & tergiuerſationes flagitioſas, vt totus penè titulus, non tam erroris examen, vel expoſitio veritatis, quàm rei pertinacis quædam quaſi tortura videatur. Cùm enim Epiſcopalem dignitatem in Anglia, velut in nocte, ſecuro animo, effuſo impetu, contriuiſſet, nihil tantæ impietatis ad Catholicos Antiſtites, & ad cæterarum gentium Catholicam Eccleſiam, emanaturum ſuſpicans; vbi ſe proditum ſenſit, & tranſmarinorum notitia con-

Digitized by Google

ſtrictam teneri vidit errorum ſuorum improbitatem, pudibundus, & ſupra modum pauidus, ne iure infenſis Epiſcoporum omnium animis, Pontifice grauiter læſo, fœda in ſe & in ſuam Societatem ignominia toto orbe incumberet; nihil in rebus deſperatis conſilij habuit, quàm vt quæ maxima temeritate profuderat, maiore impudentia inficiaretur. Nec aduertit ſe hoc potiſſimum pacto hæreticis multo ſimillimum probari, quibus ab omni æuo familiariſſimum fuit, hæreſes ſuas; vbi infamiam metuunt, premere; vbi non metuunt, ſpargere; quia hominum magis odia, quàm Dei fugiunt, impunitatemque pro innocentia habent. Videbit igitur hoc titulo lector, &, niſi magnopere fallor, ſtomachabitur, non errores & imperitias, quæ errantium omnium communes ſunt, ſed Spirituales nequitias, quas nulli vnquam hæretici putidiùs effinxerint. Nam vt Spongiæ audacia, quo rarior, hoc minus ſuſpecta videretur, Ieſuita ſuas hæreſes ita obſcurare inſtituit, vt ſimul in earum Cenſores quaſi plenos calumniæ inuehatur, & velut immeritiſſimè violata paſſim ſpumas agat; quemadmodum impuriſſimi fures, cùm furtum faciunt, tum primi omnium exclamant in furem, vt ipſi à furti ſuſpicione longiùs abeſſe cenſeantur. Hæc tua tuorumque perdita fraus, ſerò Eccleſiæ vniuerſæ Epiſcopis, & ſummo omnium Epiſcopo, animaduertenda eſt, vt latentis magni mali inuolucrum, & malarum mentium, perfidorumque conſiliorum veſtrorum

malum omen. Tu enim flagitia, adeò ſplendida, neque tu, neque tua ſaltem ſocietas, excuſſo pudore tueremini, nec tam enormibus præſtigijs inuoluere, & adumbrare conaremini hunc tantùm in finem ne videamini rei eſſe confitentes; niſi monſtri aliquid aleretis, quod ſuo tempore, *cùm homines dormient*, dirum quippiam Epiſcopali ordini, & Eccleſiæ Catholicæ, minetur. *Matth.* 13. Sed hæc viderit Deus, viderit Eccleſia, cuius in manu eſt, ſub Deo auſpice, orientibus malorum ſeminibus, & *periculoſis*, vt Apoſtolus loquitur, *temporibus* occurrere. *2 Tim.* 3.

Vt autem à viliſſimis iſtiuſmodi fœditatibus, quibus te doctrinamque tuam conſpurcas, Cenſuræ verò æquitatem ſplendidam & illuſtrem facis, ad rem de qua agitur redeamus. Primùm abuteris dignitatis Epiſcopalis diuiſione in poteſtatem iuriſdictionis & poteſtatem ordinis. Nam de ea nihil habes in Apologia, in qua iſtæ voces, *quoad poteſtatem ordinis*, *quoad poteſtatem iuriſdictionis*, nullæ ſunt, niſi ad ſolos marginum angulos, quibus poſt Cenſuram editam eas demum ſuffarcinare cœpiſti, in ipſum contextum palam infercire non auſus. Sed quæſo te, quid iſta plaſmata populi Anglicani periculis ſubueniant, cui venenum merum talibus diſtinctionibus non dilutum, talium diſtinctionum inſcio, propinaſti? Nihil ergo minus exitiale malum quod in Anglia late fudiſti; ſed fouebunt augebuntque multò ampliùs, ſi tibi eius authori impunitatem parauerint ma-

Digitized by Google

nente nihilominus, & flagrante etiamnum incendio quod populi Catholici animis inieciſti.

Deinde quàm flagitioſum, diuiſionis iſtius ope, dignitatis Epiſcopalis labem excidiumque moliri? Egregij enim Theologi, ima ſurſum, ſumma deorſum voluitis: iungitis diuidenda, coniungenda diuiditis; ſtudioque præpoſtero, politicorum hominum ingenia æmulãtes, qui factiones præualidas immiſſis diſſenſionibus diuellere, & hinc opprimere conſueuerunt; Epiſcopalem ſtatum quem integrum nulla vis labefactare valeat, diſiungitis & dilaceratis, vt lacerum faciliore ruina deleatis.

Iſta verò diuiſio & dilaceratio Epiſcopalis dignitatis, ab ipſa illa dignitate; & à Chriſti inſtitutione alieniſſima eſt. Non quin diſtinguere liceat duplicem poteſtatem Epiſcopalis officij; ſed quia diuidere nefas eſt, & eius naturæ repugnat (vt infrà explicabitur) præcipuè cùm de ipſa eius natura, & de Chriſti circa eam inſtitutione ſermo eſt. Nam Chriſtus Epiſcopalem ſtatum, non mancum quippiam mutilum-ue inſtituit, ſed plenum, integrum, perfectum, & Sacerdotij ſui ſummi ac perfectiſſimi, ſummam perfectiſſimamque imaginem. Chriſtum enim refert Epiſcopus, & vicem eius in terris gerit, vt ſæpe docent SS. Patres. Sicut ergo Chriſti Sacerdotium vim omnem Sacerdotalem, perfectamque paſcendi gregis poteſtatem complectitur, itavt varias in ea plenitudine & perfectione concluſas poteſtates diſtinguere quidem diſcernereque liceat, diſſociare verò, & inter

2. Cor. 5. 20. Cypr. ep. 55. & 69. S. Ignat. ep. ad Smyr. & Magn. Hormiſda Pap. ep. 4. c. 1.

Digitized by Google

inter ſe quodammodo diſcindere, ſit piaculum; non ſecùs ac diuinitatis ipſius dotes perfectioneſque ita diſtinguimus, vt non diuidamus. Sic Epiſcopatus, plenitudinem Sacerdotij, & Paſtoralis muneris perfectionem naturâ ſuâ continet, & in hanc ſtatus dignitatem à Chriſto conditus fuit, vt qui ſummas illas muneris tanti poteſtates ſeparare ac dilacerare conetur, ſimiliter faciat, ac ſi Sacerdotij Chriſti, diuinæque ipſius naturæ proprietates dirumpat, & Chriſti in terris præcellentiſſimam imaginem obliteret. Chriſtus enim perfectionem Sacerdotij à Patre accepit, quando ab illo miſſus eſt. Perfectionem deinde eiuſdem Sacerdotij, ſeu Epiſcopalem vtramque poteſtatem ſimul dedit Apoſtolis, quando miſit eos ſicut ipſe à Patre miſſus fuerat. Eandem denique perfectionem ipſi tradiderunt Epiſcopis, mittentes eos ſicut ipſi miſſi fuerant à Chriſto; Quam eandem deinceps Epiſcopi ad poſteros tranſmiſerunt, eos mittentes, ſicut ipſos Apoſtoli miſerant. Vt vera ſit hac præcipuè in parte illa Diui Pauli vox: *A quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Nulla enim maior in terris paternitas, quàm Apoſtolica & Epiſcopalis, quam ſibi Paulus idem ſumpſit, cùm diceret, *ſed non multos Patres.* Sicut ergo corpus non niſi propter animam, anima propter corpus, creata fuerunt; ſic Epiſcopalem iuriſdictionem propter Epiſcopalem ordinem, ordinem Epiſcopalem propter iuriſdictionem cõdidit Deus. Vtraque pars alterius ſocietatem, & adiunctionem

Ioann. 20.

1. Cor. 4.

Digitized by Google

natura ſua flagitat, & ad eam toto inſtitutionis ſuæ velut inſtinctu & pondere fertur, itavt eas diſcindere nihil ſit aliud quàm violare naturam à Chriſto conditam, & in ipſomet quodammodo Eccleſiæ capite proprium ſchiſma conflare. Non enim Epiſcopatus membra diſcerpſit Chriſtus, quem ipſum Eccleſiaſticæ vnitatis apicem vinculumque conſtituit; ſed ea ita conflauit, & conglutinauit in cumulatiſſimam vnitatem, vt nihil in eo niſi vndiquaque vnum, & indiuiſum, & inſeparabile eſſe, & concipi voluerit. Quare apud omnem ſuperiorum temporum Eccleſiam, iſta Epiſcopatus velut propria & interior vnitas, & vt ita loquar indiuiſibilitas, adeò cognita & confeſſa fuit, vt SS. Patres de Epiſcopatu Catholico non ſoleāt loqui, niſi tanquam de vnica poteſtate; modò eam exponētes per poteſtatem [a] ligandi & ſoluendi, modò per iudiciariam [b] poteſtatē; [c] modò per paternitatē; modò per [d] paſtoratū; modò per ſummum [e] Sacerdotium. Nec vllus vnquam dabitur, qui de poteſtatibus Epiſcopalibus tanquam diſiunctis locutus fuerit. Imò omnes totius Eccleſiæ dignitates Epiſcopales pro vnico Epiſcopatu & vnico paſtoratu accipiant. Non quin ſcirent poteſtatem Epiſcopalem ad varios effectus, & ad munia multiplicia ſpectare; ſed quia illam omnem multiplicitatem ad vnicam nobiliſſimæ poteſtatis vim redigerent; ſicut etſi rerum, & effectuum à Deo in creaturas manantium, ſit quodammodo innumera multitudo, tamen omnia ad vnicam Dei effi-

SS. Cypr. & Leo ſup.
[b] *Cypr. ep. 55*
[c] *Aguſt. ep. 256.*
[d] *Cyp. ep. 67*
[e] *Tertul. lib. de Bapt. c. 17 Zozim. Pap. ep. 1. c. 3. S. Leo ep. 84 ad Anaſt. c. 5.*
[f] *Vide apud Cypr. ſæpe, libro de vn. Eccl. ep. 52. &c.*
S. Leo ſerm 3. de an. Aug. l. 1. ad Bonif. c. 1.

caciam referimus, quam dicimus omnipotentem, ſeu omnipotentiam, & hoc ipſo infinitas in ea poteſtates includi agnoſcimus. Eſt enim ſummarum quarumque poteſtatum proprium, vt videantur multiplices, cùm tamen ipſæ ſummam vnitatem & ſimplicitatem obtineant. Ita SS. Patres, poteſtatem Epiſcopalem, ſine vlla diuerſitate, vt vnam, ſimplicem, diuinæ potentiæ ſimillimam, varia opera ſine ſua varietate operantem, expreſſerunt. Eodem penè modo quo nunc Preſbyterij nomine poteſtatem ſimul in corpus reale, & myſticum comprehendimus, etiamſi ſint diſtinctæ poteſtates, & à Chriſto diſcipulis, altera in Cœna, altera poſt reſurrectionem, collatæ fuerint. Vnde etiam factum eſt, vt non magis Epiſcopum agnoſcerent eum qui characterem Epiſcopalem ſine iuriſdictione teneret, quàm eum qui iuriſdictionem ſine charactere. Nam ſicut propriè non ſunt Epiſcopi qui iuriſdictionem Epiſcopalem, ſine ordine habent; Ita SS. Patres, eos qui poſt conſecrationẽ Epiſcopalem, Epiſcopatu, ſeu Epiſcopali iuriſdictione exciderent, [a] Epiſcopos non habebant; & ſi quos hoc modo ordinaſſent, in numerum laïcorum ſimul cum iis reiiciebant, nec honore, vel nomine gradus vllius Eccleſiaſtici gaudere patiebantur, & eorum ordinationes [b] *irritas* & *illegitimas* vocabant. Plena ſunt Concilia huius rei teſtimoniis; quæ Moliniſtæ facilè aduertere potuiſſent, ſi ad SS. Patrum & Conciliorum lectionem accederent vt diſcipuli, non vt magiſtri;

[a] *Cypr. epiſt. 67. 68. & 69. Hilar. lib. 3. cont. Conſt. Conc. Ancyr. c. 17 Aug. epiſt. 203.*

[b] *Conc. Cõſt. 1. can. 4. 5. Baſil. ep. 192 ad Cler. Nicop.* Innoc. 1. *ep. 22. c. 3. & 4. Cõc. Rom. ſub Calix. 2. c. 6. & 21.*

vt iudicandi, non vt iudices, non vt Cenſores; opinioneſque ſuas ad eorum doctrinam, non doctrinam eorum ad ſuarum opinionum præiudicia metirentur. Nec refert quòd poteſtas ordinis remanet in Epiſcopo ſemel conſecrato; Quia hoc per accidens eſt, ob indelebilitatem characteris. Non remanet tamen ex more loquendi Eccleſiæ, quæ talem poteſtatem non magis agnoſcit, quàm ſi reuera nulla eſſet. Cumque eam ex animo ſemel ordinati delere non poſſit; facit quod poteſt, delens eam ex ſuo, & omnem eius memoriam, rationemque ita abiiciens, quaſi nunquam fuiſſet. Cuius rei hoc etiamnum indicium remanſit in Eccleſia, vt nefas eſſe conſtet Epiſcopum ſine certæ iuriſdictionis ac Diœceſeos attributione conſecrari; nec vnquam aliter fiant Epiſcoporum conſecrationes, nec vnquam aliter ab initio Eccleſiæ factæ fuiſſe reperiantur. Quod ſane inde natum eſt, quia, vt paulò antè notabamus, Chriſtus primò dignitatem Epiſcopalem inſtituit, & contulit ita completam, & iis muneribus exornatam, quæ nunc in poteſtatem ordinis & iuriſdictionis diuidimus. Imò Epiſcopalem dignitatem longè antè diſcipulis ſpondens, non aliter eam quàm per poteſtatem ligandi & ſoluendi deſignauit, (quod ipſum SS. Patres plerumque imitatos eſſe iam diximus.) Vnde perpetuò tenuit atque obſeruauit Eccleſia velut à Chriſto traditum, vt Epiſcopalis ordo nunquam ſine hoc ipſo complemento daretur, & nulla cenſeretur Epiſcopalis dignitas, cui

Ioan. 20.

Matth. 18.

hoc complementum defuiſſet.

Nec refert quod electus Epiſcopus iuriſdictione Epiſcopali, etiam ſine ordine potiatur: quia ob hoc ipſum non eſt perfectus Epiſcopus, nec eo ſtatu manere, nec iuriſdictionem Epiſcopalem ſolitariam retinere poteſt, & iure diuino ordinationis munus vt primum poterit ſuſcipere debet. Quare peruersè penitus iudicium fertur de natura dignitatis & poteſtatis Epiſcopalis ex eo ſtatu, in quo ipſa eius natura nondum eſt, & in quo quæcũque illius particula præeſt, imperfecta & violenta quodammodo conditione ſuſpenditur, niſi altera pars ad quam ſuopte genio properat, quàm celerrime acceſſerit. Electio enim Epiſcopi, non eſt Epiſcopi creatio, ſed creationis inchoatio: quæ tandiu fluere, & in via quodammodo ad ſui eſſe ſtatum, ſeu ſtabilitatem tandiu verſari cenſenda eſt, donec ad terminum conſecrationis peruenerit; quo obtento, iam Epiſcopalis dignitatis, & poteſtatis natura completa eſt, & ſuum ſtatum habet. Ideoque perperam & imperitè ex priore illa conditione inchoata, fluida, & tranſeunte ſpectatur qualis ſit, ante quodammodo quàm ſit; cùm ex completo hoc & permanenti, & vere natiuo, vt ita loquar, eius ſtatu, conſiderari debeat. Nec minus errant qui ſecùs faciunt, quàm ſi hominem ex embryone, pictam tabulam ex prima pictoris delineatione, iudicent. Hoc igitur ipſum argumentum confirmat iuriſdictionem Epiſcopalem eſſe contra naturam ſuam, contra inſtitutio-

S. Leo ep. 84 c. 6. Concil. Aurel. 4. c. 5

Digitized by Google

nem, contra Eccleſiæ vniuerſæ mentem, ſi ſit vel in eo qui ad Epiſcopatum non ſit electus; vel in electo qui ſine cauſa neceſſaria, & quæ diuinæ legis vinculum ſoluere ſufficiat, ab ordine ſeu conſecratione Epiſcopali eam diuulſam eſſe patiatur. Quo caſu iuriſdictio Epiſcopalis enorme quiddam eſt, & quaſi defectus naturalis, natura ipſius per ſe aliò adſpirante, tametſi humano vitio præpediatur: prorſus eo modo quo res naturales ad ſuum quæque complementum, & ad ſui generis perfectionem anhelant, etſi non rarò, obiectis variis obicibus, ad eam peruenire non poſſit, atque adeò imperfectæ ac mutilæ manere cogantur, non ſponte naturæ, ſed cauſæ illius violentia, à qua impedimentum ortum eſt. Alioquin quando iuriſdictio Epiſcopalis in electo Epiſcopo, non niſi legitimis veréque neceſſariis cauſis ab Epiſcopali conſecratione diſtrahitur, non tam ab ordine Epiſcopali ſeparata eſſe, quàm ad eam tendere, ſed nondum perueniſſe cenſetur. Hinc in tota Eccleſia veteri electiones Epiſcoporum eodem cum conſecrationibus tempore fieri conſueuerant. Quæ diſciplina admodum diu, atque ad multa ſæcula in Eccleſia viguit, vt ex veterum monimentis vndique manifeſtum eſt. Cùm enim electiones Epiſcoporum fieri non poſſent ſecundùm canones niſi prouincialibus Epiſcopis, & Primate, ſeu Metropolitano præſentibus; præſto erant ordinatores à quibus electus ex templo conſecraretur. Atque hoc pacto factas fuiſſe ele-

ctiones ſimul & conſecrationes, de quibus nominatim apud primorum ſæculorum Eccleſiæ Patres mentio eſt, clarè patet ſingulas commemoranti. Tenuitque iſte mos, donec electiones Canonicæ vel euanuerunt penitus, vel immutari cœperunt. Deinde diſciplina Eccleſiæ, variis de cauſis mitigata; ac deinceps ob ingraueſcẽtem temporum iniquitatem, amplius relaxata, aliquid indultum eſt: ſic tamen vt qui cõſecrationem quocũque tempore ſine graui neceſſitate diſtulerit, apud Deum culpa non vacet, & violatæ diuinæ legis crimine teneatur. *Conc. Laod. c. 12. & Nicæn. 1. ca. 4. & 6. & alibi paſsim.*

Patet ergo Epiſcopalem dignitatem Epiſcopi diſcerpi non poſſe, & gemina illa eius membra, ordinis & iuriſdictionis, copulationem mutuam, & vnitatem indiuiduam ex Chriſti inſtitutione depoſcere; Ita vt qui Epiſcopatum quoad vnam partem neceſſarium, quoad alteram minus neceſſarium dicat, euulſamque alteram eius poteſtatem inſeri Presbytero, & ab eo ſuſtineri ſuppleriquе poſſe doceat, is nunquam nec Epiſcopatus naturam, nec Chriſti inſtitutionem, nec Eccleſiæ traditionem cogitaſſe, ſed res maximas & diuiniſſimas, de quibus loquitur, & de quibus affirmat, turpiter ignorare cenſendus ſit. Cùm enim iſtæ poteſtates ſic in vnam à Chriſto conglutinatæ fuerint, vt ſeparari non poſſint: ſequitur aut neutram neceſſariam, aut vtramque eſſe oportere.

Quo fit vt magnopere mirer, *Magni Suares*, vt eum Moliniſtæ pro ſua modeſtia vocant, vocem à Spongia laudatam, *Epiſcopum nomen eſſe* *Vid. infra Suarez ad vlt. propoſ. tit. huius.*

ordinis potius quàm iuriſdictionis ; quam ex dictis patet nullius eſſe ſoliditatis, & magnam in doctrina Eccleſiaſtica, & verè Theologica, hallucinationem includere. Nam, vt diximus, Epiſcopatus directè vtramque poteſtatem, & expreſsè complectitur; quamuis, ſi nomen ipſum *Epiſcopi* intueamur, dici poſſit expreſſius includere iuriſdictionem ac regimen. Nam *Epiſcopus* gubernationem & aduigilationem ſonat, quem ideò veteres Eccleſiæ Patres, modò *præſidentem*, modò *præpoſitum* Latinè dixerunt, vt in eorum ſcriptis, & in ipſa ſcriptura legimus. Imò Chriſtus Epiſcopatum inſtituens, expreſſius iuriſdictionem denotauit, dicens : *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Iuſt. Apol. 2 Tertul. de ieiun. c. 17. Cypr. ep. 65. & alibi ſæpe. Aug. epiſt. 264. & in Pſal. 126. Hebr. 13. 17. Ioan. 20.

Atque hæc eſt eminentia dignitatis Epiſcopalis ſupra Sacerdotalem; quod Sacerdotalis nullam per ſe iuriſdictionem, nec includat, nec exigat, vtpote imperfectior, & Epiſcopali ſubiecta, cuius nutu regi, & ad operationes ac munia Eccleſiæ admoueri, non ipſamet proſilire debet, vt Canones iampridem ſanxerunt. At Epiſcopalis dignitas, vt ſumma, & in ſuo genere perfecta, iuriſdictionem neceſſariò complectatur, nec ſine ea conſiſtat, non magis quàm regia dignitas, cui SS. Patres Epiſcopalem dignitatem paſſim comparant, ſine imperio concipi poteſt. Quod adeò verum eſt, vt nequidem ij Epiſcopi, qui indulgente Eccleſia Epiſcopali cura ſe abdicant, & vitam quodammodo priuatam traducere ſinuntur, omni penitus

Can. Apoſt. 40. Concil. Arelat. 1. ca. 19. Conc. Laod. ca. 57. S. Chryſ. l. 6 de ſacer. c. 5. S. Th. 22. q. 184. a. 6. ad 2.

nitus iuriſdictione careant. Retinent enim iuriſdictionem aliquam, quam non quidem exerceant ſoli, quia nullam Eccleſiam ſibi ſolis addictam habent, ſed ſimul cum toto Epiſcoporum corpore in Conciliis tum prouincialibus, tum generalibus, in quibus ius ſuffragij, vt veri Eccleſiæ iudices, habent; atque ita ibi iuriſdictionem tum in Eccleſias particulares, tum in Eccleſiam vniuerſalem, cùm vniuerſale Concilium eſt, verè exercent. Nihilominus fatendum eſt eos eſſe in ſtatu, in quo ſicut primò creari non potuerunt, ita deinceps ſtare non poſſint ſine graui cauſa, & adeò graui, vt eos à diuina lege ſoluat. Chriſtus enim Epiſcopatum non ad quietem, ſed ad laborem; non ad priuatam vitam, ſed ad principalem, regiam, arduam inſtituit. *Euntes*, enim inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Vnde Paulus, *neceſſitas mihi incumbit. Væ enim mihi eſt ſi non euangelizauero.* Et ſicut Epiſcopatus vniuerſalis ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ factus eſt; ſic particulares Epiſcopatus ad Eccleſiarum particularium gubernationem. In iis enim ſolis *euangelizare, baptizare*, ſicut iuſſit Chriſtus, *myſteria Dei denique diſpenſare* poſſunt, quorum gratia à Spiritu ſancto in Eccleſia conſtituti fuerunt. Vt omittam quod ſuis Eccleſiis inſolubili matrimonij vinculo adhæſerint, vt earum ſponſi, vice Chriſti, qui primarius earum ſponſus eſt, vt Patres & Concilia teſtantur. Quod vinculum S. Thomas appellat *perpetuum & ſolenne votum*, adeoque negat ſolui

Matth. 28.

1. Cor. 9.

Vid. Aug. ep. 159.

1. Cor. 4.

Vid. ep. Æg. Epp. & Cleri Alex ad Leon. Aug. & alias ſeq. part. 3 Cōcil. Chalcedon.

Aug. de bono vid. c. 10.

Ioann. 3.

S Th. 2. 2. q. 184. a. 5. in

corp. & a. 6. in corp. poſſe niſi ſola Romani Pontificis authoritate. De quo plura inferius.

Mirum autem cur Spongia attulerit ſententiam Suares, *Epiſcopum nomen eſſe ordinis potius quàm iuriſdictionis.* Quorſum tam bellum emblema? Non enim prima fronte apparet, nempe vt ſua illa damnata propoſitio, Epiſcopum neceſſarium eſſe propter ſolam ordinationem Preſbyterorum, tanto magis confirmetur; & verum videatur, veréque dici poſſit abſolutè, Epiſcopum eſſe neceſſarium, non ob iuriſdictionem, cùm Epiſcopus non tam iuriſdictionem quàm ordinem includat; ſed ob ſolam conſecrationem miniſtrorum, quia hæc propriè nomine Epiſcopi contineatur.

Huc enim peſſimorum hominum opinio hæretica, illa propoſitione damnata, Spongiæ ſordibus magis infecta, manifeſtè recidit, vt Eccleſiæ regimen, Epiſcopis funditùs abrogent, nec eos ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed ad ſolam conſecrationem miniſtrorum neceſſarios faciant, ita vt Eccleſia non iam ab Epiſcopis, ſed à ſolis Preſbyteris, vt Vicariis, Archidiaconis, Rectoribus, (quales Rectores Ieſuitarum) facilè regi poſſit; nec ab iis neceſſariò debeat, quos *Spiritus*
Actor. 20. *ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Epiſcopalem ſolùm ordinem relinquunt in Eccleſia; cætera Epiſcopalis ſtatus, vel non eſſe ſimpliciter neceſſaria, vel à Presbyteris præſtari poſſe volunt. Illum ipſum Epiſcopalem ordinem, non Epiſcoporum gra-

Digitized by Google

tia relinquunt, ſed ſui ſimilium Presbyterorum, itavt Epiſcopi habeantur per ſe non neceſſarij, & authoritate iureque omni Eccleſiaſtico penes Presbyteros reſidente, ipſi velut ignaua & inutilia animalia quæ alicubi ſolius ſobolis gratia concluſa ſeruantur, inertes & inglorij iaceant. Interim adeò ſunt mente diſtorti, vt *ſceptrum Epiſcopale*, imò *imperium*, ſplendidis vocibus, velut in gratiam Epiſcoporum, amplificent, vt eorum animos à ſe iure abalienatos falſa perfidaque adulatione demulceant. Illud enim ipſum *ſceptrum* ſtatim interuertunt, & ad ſe rapiunt, petulanti ludibrio auferentes Epiſcopis, Presbyteris addicentes; vt tantum illud faſtigium ſibi reuera extruxiſſe & paraſſe videantur. Sic milites ad Chriſtum, ante paſſionem vexandum conſtituti, arundineo ei ſceptro oblato, flexo genu illudebant, dicentes: *Aue Rex Judæorum.* Nimirùm Epiſcopos eò redigere volunt, quò Rex Angliæ Iacobus, & plerique hæretici Romanum Pontificem redigere voluerunt, vt ſit Epiſcoporum Occidentalium primus, non authoritate, non poteſtate, ſed nomine honoreque imaginario. Imò verò Epiſcopos non ſolùm Sacerdotibus non neceſſariò ſuperiores iuriſdictione faciunt, ſed etiam inferiores; vt patres regantur à filiis, paſtores ab ouibus, à membris capita, oculi ab auribus; eamque Hierarchiæ & regiminis Eccleſiaſtici formam in Eccleſiam inuehant, quam apud Caluinianos, alioſque huius æui, & longè anteà ſuperiorum ſæculorum hæreticos,

Apol. c. 3. 5. 4. num. 25. ſpong. hic, & pag. 70.

Matth. 27.

audiuimus, qui Presbyteros Epiſcopis anteponentes, ita demum ſe Eccleſiæ Catholicæ gloriam obſcuraturos & ſuperaturos putauerunt, ſi quos ipſa primos habet, eos ipſi poſteriores effeciſſent. Si hæc infanda hæreſis non eſt; nulla eſt: Et ſi hæc portenta impunè Moliniſtis in Eccleſia Catholica tueri liceat, nihil eſt quod de propugnandis religionis myſteriis magnopere laboremus.

Hier. ep. 54 ad Marcel. cõtra Mõtan. In tertium, id eſt penè vltimum locũ Epiſcopi deuoluũtur: *quaſi exinde* ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos nouiſſimum ſit.

Cæterùm meminerit lector doctrinæ hoc capite & à nobis & à Ieſuita propoſitæ. Nam & ſequentium capitulorum reſponſiones noſtræ, ad hunc ferè fontem referentur, lucemque vel hinc accipient, vel huc afferent; & penè omnes hoc titulo Ieſuitæ propoſitiones, aut huius quam nunc excuſſimus, qua Epiſcopi ob ſolam Presbyterorum conſecrationem neceſſarij dicuntur, aut ſextæ eiuſdem tituli de qua poſteà, conſectaria quædam, & quaſi riuuli ſunt, ita vt earum meminiſſe neceſſe ſit, quò manifeſtiùs pudendas deinceps Ieſuitæ tergiuerſationes, & impudentiſſimas exclamationes quiſque intueri poſſit, & nobiſcum execrari.

SPONGIA.

Altera propoſitio ponitur à verbis antecedentibus & conſequentibus quæ ſpectant ad illius eſſentiam, diuulſa. Non enim eſt abſoluta pronuntiatio, ſed illatio ex facto ſanctiſſimi Epiſcopi, ad illius facti circunſtantias reſtricta. Narrat Theodoretus Euſebium Samoſatenum Valentis imperio pulſum, in exilium abiiſſe furtim, initio inſcio gre-

ge, poſtmodum cùm res innotuiſſet, inuito, monentemque ciuili Principi obediendum eſſe. Neque tamen omiſit exilij tempore diſſimulata veſte nonnunquam excurrere, vt Sacerdotes ordinaret. Hoc exemplo probat auctor ſummos Pontifices in gubernanda Eccleſia Anglicana ſanctiſſimè ſimul & ſapientiſſimè ſe geſſiſſe, contra Kelliſo*num qui contendit, eos ad mittendum Epiſcopos, qui ibi inuito Principe reſiderent, etiam cum perſecutionis incremento, diuina lege obligatos fuiſſe. Iam accipe verba Authoris,* Hoc exemplo, *inquit*, inſtruimur, quod Epiſcopus non debeat in Eccleſia ſua perſiſtere, aduerſus hæretici principis voluntatem, cum periculo tumultus & perſecutionis aduerſus gregem concitandæ; quodque Eccleſia tempore perſecutionis non egeat Epiſcopo, niſi ad ordinandos Preſbyteros, ita populus Preſbyteros cùm habeat, debeat eſſe contentus, nec Epiſcopum continuè apud ſe, repugnante Principe retinendo, illius in ſe indignationẽ prouocare. *Hæc author. Quæ ſi integrè percepta fuiſſent, in ipſis quod reprehenderet, nec ipſe Momus inueniſſet. Loquitur tum contra reſidentiam Epiſcopi, caſu quo infert perſecutionem & deſolationem gregi. Quod autem dicitur tempore perſecutionis Epiſcopum eſſe neceſſarium, ſolùm ad ordinandos Presbyteros, patet ſenſus, ſcilicet ex rebus ad ſalutem neceſſariis, hanc ſolam eſſe, quæ non poteſt à Presbyteris non Epiſcopis in Epiſcopi defectu, ſeu abſentia ſuppleri. Regimen verò Epiſcopale, ſeu iuriſdictio, quamuis neceſſaria ſit; poteſt tamen vel ab vno Presbytero Vicario, vel à Capitulo ad tempus commodè ſuppleri; & ideò hoc nomine non debere populum*

c.4. n.6. pag.124. lin.4.

Digitized by Google

inuito Principe cum tumultu Epiſcopum retinere. Tu, Lector, pro tua prudentia facilè intelligis, librum non poſſe à quopiam ita accuratè Catholiceque ſcribi, quin ex eo ſententiarum particulæ decerpi poſſint, quæ per ſe ſumptæ nota dignæ videantur; Vnde referas incubare authorum libris (quod Pariſienſes faciunt) euulſaſque ſententiarum particulas Orbi velut monſtra oſtentare, crimen eſſe generis humani odio dignum.

RESPONSIO.

Itane te innoxium fore putas, ſi querimonias prior occupes, & iniuriam tibi nocentiſſimo & contumaciſſimo fieri vniuerſum orbem attrita fronte teſteris? Neſcis iſtum profligatiſſimorum quorumque mortalium eſſe morem, vt criminibus quibus deiectiores & humiliores fieri debuerant, multo procacius ſuperbiant? Nihil enim tam frontem durat, quàm crimen. Primùm, qua fide negas tuam eſſe propoſitionem, *Eccleſia tempore perſecutionis indiget Epiſcopo ſolùm propter ordinandos Preſbyteros*, cùm ſuperiori propoſitione defenderis, & infra iterum acerrimè tuearis, Epiſcopos generatim Eccleſiæ neceſſarios eſſe ſolùm propter ordinandos Presbyteros, non autem propter regimen ſeu iuriſdictionem Eccleſiæ, quia iuriſdictio Presbyteris committi poſſit? Manifeſtum eſt ex doctrina iſta, etiam ſæuiente perſecutione Epiſcopum eſſe neceſſarium Eccleſiæ propter ſolam conſecrationem Presbyterorum, quia cætera omnia à Pres-

Ad prop. 4. & 5. huius tit.

Digitized by Google

byteris etiam tum fieri poſſunt, nec per te ab Epiſcopo neceſſariò fieri debent. Quid quod infrà peius etiam doces; nec ſolùm ais Epiſcopos in perſecutione neceſſarios non eſſe, ſi non neceſſaria ſit conſecratio Sacerdotum; ſed, quod multo deterius eſt, dicere audes, *nec bonum quidem, nec conueniens, nec vllum ſolatium Eccleſiæ eſſe in tempore perſecutionis habere Epiſcopum, cùm nullus publicus vſus ſit Religionis.* Atque hanc ibi exitioſam & capitalem propoſitionem nec negare, nec diſſimulare potes, cùm eam manifeſtiſſimè ſcripſeris, ſed apertè fateris, ſuperbè aſſeris, ſine religione propugnas. Quo ergo conuicio tuam nequiſſimam & perditiſſimam ſimulationem, & conſcientiam emortuam verberabimus? quo fulmine ferreum iſtud os conteremus, quo *crimen humani generis odio dignum* vocas, quod tui tibi errores, & tua crimina tribuantur, quæ etiam tum cùm perfidiosè & fallaciter eiulas, vera ſentis, & tua vides? At doctrinam iſtam non tradis hoc loco, ſicut Cenſores notarunt. Id ipſum igitur profiteri debuiſti, eſſe quidem doctrinam tuam, ſed non hoc loco traditam: Non autem aduerſus calumniam, velut impoſito tibi crimine à quo longiſſime abhorreas, imprudenter inſurgere. Hoc veritas, hoc Chriſtianus animus, & religioſa ſimplicitas poſtulabat. Aliud fraudulentum, veteratorium, Moliniſticum eſt.

Prop. 8. huius tit.

Quamquam propoſitio tua ſatis aperta eſt,

Digitized by Google

præcipuè tota libri ſerie ſcopoque ſpectatis. Quoquo enim ſenſu, quacumque cogitatione priuata ſcribas, *quod Eccleſia tempore perſecutionis non egeat Epiſcopo, niſi ad ordinandos Presbyteros;* tua vox noxia eſt, nec qui eam tueatur, innoxius eſſe poteſt. Nec refert quod addas *te loqui de reſidentia Epiſcopi caſu quo infert perſecutionem & deſolationem gregi;* quia aliud eſt, Epiſcopum non debere reſidere inuito principe; qua de re paulò pòſt: aliud, Epiſcopo ob Principis indignationem diſcedente, Eccleſiam eo non egere. Multis enim indigemus, quibus tamen carere cogimur, cùm ſcilicet iis per vim ereptis inuiti indigentiam patimur. Vnde ſi Epiſcopus Eccleſiæ in perſecutione neceſſarius eſſe dicatur, non deſinet eſſe neceſſarius, quando propter Principis indignationem, aliò migrare cogetur. Nam nihilominus Eccleſia eo, ſemper indigebit; Inopiam & egeſtatem ipſius experietur; dolens ac mœſta eius deſiderio anhelabit, velut ſponſa non ornata, ſed orbata viro; & primo quoque tempore vt impetus perſecutionis remiſerit, eum ſibi reſtitui omni iure poſtulabit. Qui rebus neceſſariis ſpoliantur, nunquam tantopere earum neceſſitatem ſentiunt, ſeque iis indigere probant, quàm cùm in earum ſpoliationem inciderunt. Quare ludimur à Ieſuita, & inani futiliſſimæ cauillationis vento paſcimur. Aut enim, principe quantumuis fremente, neceſſarius Eccleſiæ eſt Epiſcopus, eaque ipſo eget: aut omninò in perſecutione neceſſarius non eſt. Res

enim

Digitized by Google

enim verè neceſſariæ, non ideò neceſſariæ eſſe deſinunt, quia violentè auferuntur. Et ſi poſtquam ereptæ fuerunt neceſſariæ non videantur; palam eſt neque anteà neceſſarias fuiſſe. Ita particula illa de principis indignatione, qua Ieſüita velut clypeo Cenſuræ ictum excipit, leuiſſima & ridicula eſt, nec impedire potuit, quominus Epiſcopum in perſecutione ſolùm propter ordinationem Presbyterorum eſſe neceſſarium, docuiſſe iudicaretur.

Præterea ipſa Ieſuitæ expoſitio ipſum prodit. Propoſitionem enim ſuam ſic exponit; *Tempore perſecutionis Epiſcopum eſſe neceſſarium ſolùm ad ordinandos Presbyteros*; hoc eſt, *ex rebus ad ſalutem neceſſarijs hanc ſolam eſſe quæ non poteſt à Presbyteris ſuppleri; Regimen verò Epiſcopale poſſe ab vno Presbytero ſuppleri.* Quod in quauis perſecutione eodem modo locum habere clariſſimum eſt. In quauis enim perſecutione verum erit ex doctrina Ieſuitæ regimen Epiſcopale Presbyteris committi poſſe, & ordinationem Sacerdotum ſolam eſſe rem quæ à Presbyteris ſuppleri non poſſit. Ergo in quauis perſecutione cenſet verum eſſe dictu, Epiſcopum non eſſe Eccleſiæ neceſſarium, niſi propter conſecrationem Sacerdotum. Quid ergo perplexè tergiuerſatur? Cur ſimulat ſe neceſſitatem Epiſcopi ab Eccleſia excludere ob ſolam iracundiam principis? Nempe pudet eum erroris infandi. Aliorum conſcientiam timet, ſuam negligit. Pœnam, non culpam metuit. Pudet

Digitized by Google

eum non vt pudenda facere deſinat, ſed vt impudentior fiat. Eſt ne hoc crimen Cenſura vnius Facultatis, an totius generis humani odio dignum?

Ergo propoſitionis eius impietas, quoquo velamine obtegatur, erumpit & emicat. Duo enim ab exemplo Euſebij Samoſateni colligere voluit; primò, Epiſcopum inuito principe infideli in Eccleſia ſua reſidere non debere. Secundò, Eccleſiam in perſecutione non egere Epiſcopo, niſi ad conſecrationem Sacerdotum.

Poſtremò caſus eius, & additamentum illud de Principis indignatione, ridiculum & illuſorium eſt. Quis enim dubitat quin omni tempore Princeps Eccleſiam perſequens, in Epiſcopum potiſſimum inuehatur, tanquam in eius quam perſequitur religionis ductorem? Vnde antiquæ primorum Eccleſiæ ſæculorum perſecutiones Epiſcopos præcipuè, vt capita, quibus excuſſis membra reliqua facilius quaterentur, feriebant. Exempla nota ſunt. Hinc quamdiu perſecutionum tempeſtas Eccleſiam exercuit per annos amplius trecentos, omnes ex ordine Romani Pontifices, martyrium perpeſſi ſunt. Nec vllus principum hæreticorum aut infidelium eſt, qui in Eccleſiam debacchaturus, non in Epiſcopum præcipuè irruat, eumque è medio tollere, & Eccleſiæ laboranti eripere meditetur. Si ergo Principe in Epiſcopum furente, & ob eius præſentiam vehementius indignante, Eccleſia Epiſcopo non egere dicenda

vid. Cypr. 6.

Digitized by Google

eſt, niſi ob Sacerdotum conſecrationem; nunquam in perſecutionibus ipſo indigebit. Ac mirum eſt Ieſuitam in rebus tam perſpicuis, caliginem lectorum oculis offundere, & errores maniſeſtiſſimos manifeſtiſſima impudentia, & verborum petulantia prætexere auſum eſſe.

Quod ſi exemplum illud Euſebij Samoſateni Epiſcopi, quod iactat, intueamur, leuitatem & audaciam illius multò magis mirabimur.

Nam in Euſebij cauſa neque vlla perſecutio, neque vllum futuræ in populum Catholicum perſecutionis periculum ſuberat. Nihil eiuſmodi à Theodoreto traditur. Imò ſignificat Theodoretus Euſebium populi potius in nuncium Imperatoris perſecutionem ac cædem extimuiſſe, quæ deinde, non in ipſum populum, ſed in ſuum caput, lueretur. Nam Valentis Imperatoris perſecutio non ita in greges, ſed in ipſa gregum capita incubuit, vt Orthodoxis præſulibus expulſis, Ariani ſufficerentur, qui deinde greges in ſuarum partium ſocietatem pertraherent: ſicut & vniuerſa propemodum Arianorum hæreſis, Epiſcoporum & Antiſtitum Eccleſiæ magis fuit, quàm rudium populorum. Theodoretum ipſum audi: *Sub crepuſculum*, inquit, *venit nuntius, qui hoc edictum afferebat* (ad Euſebium) *quem Euſebius tacere, & cauſam aduentus occultare iubet. Nam ſi plebs*, inquit, *ſtudio pietatis educata intellexerit, te demerget in flumen, & à me certè pœnæ tuæ mortis expetentur.* Vides vt non Imperatoris in plebem,

Vid. Atha. ep. ad Solit. vit. agen. & Theodoret. ipſum hic. εἰ γὰρ μάθοι, ἔφη, τὸ πλῆθος, ζήλῳ θείῳ συντεθραμ-

μόνον, σὲ μὲν καταποντιοῦσιν, ἐγὼ δὲ τὰς ὑπὲρ τῆς πλάνης εἰσπραχθήσομαι δίκας. *Theod. l. 4. hiſt. c. 13.*

Ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἔπεισαν, ἤκουσαν δὲ αὐτοῦ τὸν ἀποστολικὸν ἀναγινώσκοντος νόμον ὃς διαῤῥήδην σαφῶς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάττεσθ. ib.

ſed plebis in nuncium perſecutionem vereatur, quæ denique non in plebem, ſed in ipſum relabatur, quòd potiſſimùm tibi, quippe Orthodoxo Epiſcopo, Valentem infenſum eſſe nouiſſet? Neque verò cùm à ciuibus miſſi fuerunt qui eum è fuga retraherent, periculum vllius in plebem perſecutionis prætexuit: *Cùm perſuadere non poſſent*, inquit Theodoretus, *audiuerunt eum recitantem præceptum Apoſtoli, quo perſpicuè iubemur magiſtratibus & poteſtatibus obtemperare.* Quare hiſtoria hæc nihil ad rem: Et ſi quicquam probat, plus probabit quàm ipſa Spongia volet. Si enim factum Euſebij velut norma proponatur, quam omnes Epiſcopos in ſimili caſu ſequi oporteat, ſequitur quotieſcumque Princeps in hæreſim lapſus Catholicos Antiſtites ſedes ſuas deſerere iubebit, vt in eas hæretici contrudantur, qui gregem perdant & mactent, quemadmodum Valens Euſebium Samoſatenum abire iuſſit, vt in eius Eccleſiam Arianum Epiſcopum ſubmitteret; continuò parendum, nec vllo modo detrectari imperium poſſe; atque id ab Apoſtolo fuiſſe præceptum. Quod non puto Spongiam, adeò futuram ſpongiam, vt apertè fateatur. Ita enim vnius Epiſcopi exemplo, innumeri ſanctiſſimique omnium ætatum Epiſcopi damnabuntur; in primis D. Ambroſius, qui nunquam adduci potuit vt Mediolano excederet, quantumuis præcipiente iterum ac ſæpius Valentiniano Iuniore, hoc vnum poſtulante, vt Mediolani Eccleſia Arianis ſaltem vnica concederetur. At maluit

Theod. ibid. cap. 14.

Amb. ſerm. de Baſil. non traden. to. 5.

Digitized by Google

ſanctus Epiſcopus ſuam populique calamitatem, cuius vniuerſa multitudine, quaſi præſidio, ſtipatus, in Eccleſiam vt in arcem confugerat, patienter expectare, & quantum in ipſo fuit excipere, quàm edicto Cæſaris impio obtemperare. Quid ſancti Petri exemplum ab eodem Ambroſio proditum; quid Chryſoſtomi, aliorumque referam? Quos ſi damnare volet Spongia, vniuerſus orbis votis, Deus miraculis abſoluet. Non tamen hanc controuerſiam excutio, quia nihil neceſſe eſt: Alibi fortaſſe plura dicentur. Satis eſt Catholicos Antiſtites per ſe loquendo non teneri talibus edictis principum, quamlibet ſæuiturorum, cùm Dei legibus & edictis multo terribilioribus è regione repugnent. An autem loci aliquid eorum furori aliquando dare conueniat, ſibique ac gregibus parcere, in eorum prudenti charitate ſitum eſt; ipſi ſpectatis coram Deo temporum rerumque momentis iudicabunt, nec certis hac in re finibus conſtringi poſſunt: Qua de re alibi fuſius. Hinc enim eſt quod ſanctorum Epiſcoporum alios aliud in hoc genere factitaſſe reperimus. Vt meritò reſpuere debeamus temerarium Spongiæ pronunciatum, vbi primum principis infidelis comminatio increpuerit, cedendum eſſe loco, deſerendas Eccleſias Epiſcopis, quos in eis Spiritus ſanctus præſides & paſtores collocarat.

Ambroſ. ib. Chryſ. ep. 1. ad Innocen. Pallad. de vita Chryſ.

Mitto quod tota hæc diſputatio perperam, & fallaciter à Spongia ſociiſque inducitur. Nihil enim ad Angliam: in qua nec perſecutionem vl-

Digitized by Google

lam ineſſe, nec cuiquam Epiſcopi cauſa quicquam detrimenti aut periculi contigiſſe declararunt, non Ieſuitæ bilingues, & Regis ſui ſæuitiæ, patriæque calamitatum inuidioſi præcones & aucupes; ſed vniuerſi Angliæ Catholici eorum audaciam, & mendacia publico conuitio verberantes. Fictitio malo, fictitium & inauditum remedij genus inuenerunt. Sed de fraude hac indigniſſima pluribus anteà dictum eſt.

Quod autem ait Euſebium mutata veſte identidem excurriſſe vt clam Sacerdotes faceret; rudioribus decipulam parat, vt Euſebius videatur in ſuam Diœceſim ad creandos Sacerdotes recurſaſſe. Quod non ita eſt. Theodoretus enim ſcribit eum veſte mutata, non Diœceſim, ſed remotiſſimas ab ea Eccleſias *Syriæ, Palæſtinæ, ac Phœniciæ* peragrauiſſe, in quibus non Sacerdotes ſolùm, vt Spongia narrat, ſed Epiſcopos & Diaconos conſtitueret. Vnde ſequetur aut Epiſcopum ſuæ Diœceſi ſæuiente perſecutione neceſſarium non eſſe, ne quidem ad creandos Sacerdotes, cùm Euſebius in eam non dicatur redijſſe, ſed longè ab ea diſcurriſſe; Aut Sacerdotes non magis in perſecutione neceſſarios eſſe quàm Diaconos, aut Epiſcopos, cùm hi ab Euſebio, vbicumque poterat, æquè vt Presbyteri, conſecrarentur.

Theodor. l. 4 hiſt. cap. 12. Πολλὰς τῶν ἐκκλησιῶν ἐρήμους τῶν ποιμένων μαθὼν, στρατιωτικὸν ἀμπεχόμενος σχῆμα, καὶ τιάραν καλύπτων τὴν κεφαλὴν, τὴν Συρίαν περιῄει, καὶ τὴν Φοινίκην, καὶ τὴν Παλαιστίνην· πρεσβυτέρους δὲ χειροτονῶν, καὶ διακόνους, καὶ τὰ ἄλλα τάγματα τῆς ἐκ-

Indicet iam lector quot abſurditatum reum Ieſuitam hac vna hiſtoria teneamus, in qua tamen magnum ſibi aduerſus Cenſuram præſi-

Digitized by Google

dium ineptiſſimè conſtituerat. Primùm enim non probat Epiſcopo deſerendam eſſe Eccleſiam imminente perſecutione, quia in Euſebij exemplo nulla in populum perſecutio ineſt. Deinde, non probat Epiſcopum graſſante perſecutione Diœceſi neceſſarium eſſe ad ſubminiſtrandos Sacerdotes, cùm Euſebius non ſuam Diœceſin, ſed alias, creandorum Sacerdotum causâ, obiret. Denique non probat Sacerdotes magis neceſſarios eſſe quàm Epiſcopos, cùm Euſebius, non Sacerdotes ſolos, ſed Epiſcopos & Diaconos faceret. Poſtremò tota hæc quæſtio Eccleſiæ Anglicanæ aptari nequit, falſumque ſupponit; quia in Eccleſia Anglicana nulla nunc perſecutio, neque conditio Eccleſiæ durior eſt quàm ſemper eſſe conſueuit; neque præſentia Epiſcopi quicquam nocumenti Catholicis à Regio magiſtratu intulit, vt ipſorum Catholicorum publica & communis teſtificatio declarauit. En acumina Moliniſtica, in quibus nec ipſe Momus quicquam deſideret; in quibus nihil arguat. Ita enim ſunt ſtupida, vt nihil egeant Momi naſo, & cuiuſuis hominis oculis, niſi ſpongioſa hebetudine, vel Moliniſtica ſuperbia cæcutiat, nedum ſapientiſſimorum Cenſorum acerrimis iudiciis, conuinci poſſint.

κλησίας διεπλήρου. εἰ δέ ποτε τῶν ἐπισκόπων ὁμογνωμόνων ἐπίτυχε, καὶ προέδρους τῶν δεομέναις ἐκκλησίαις προὐβάλλετο. *hoc eſt*: Sciēs (*Euſebius*) multas Paſtoribus eſſe orbatas Eccleſias, militari indutus habitu, & tiara opertus caput, Syriam, & Phœnicen, & Palæſtinā circumiit, tum Presbyteros & Diaconos ordinans, tum alia munera Eccleſiaſtica implens Sicubi verò cōſentiētes ſibi Epiſcopos offendiſſet, etiam Præpoſitos Eccleſiis carentibus præficiebat.

PROPOSITIO QVARTA,

Ex cap. 3. n. 14.

Lex diuina non plus exigit, quàm vt ſint aliqui Epiſcopi in Eccleſia, tot numero ſcilicet, vt periculum non ſit, ne totus ordo ſubito abripiatur ex eorum mortibus, & ſic diſperſi per mundum, vt omnibus Chriſtianis ſufficienter prouideatur de doctis, & virtuoſis Sacerdotibus. Si hoc fiat, legi diuinæ ſatisfiet, licet nulli ſint Epiſcopi in Gallia, Hiſpania, aut Anglia.

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, ordinis hierarchici deſtructiua, erronea, & verbo Dei contraria.

SPONGIA.

Inuidia feracior eſt calumniarum, quàm hydra capitum. Vno demiſſo calumniæ capite, ſtatim noua ſuccreſcunt. Vnde Herculeum laborem ſuſcepiſſe mihi videar; quo minus mireris ſi inſurgam in hæc monſtra commotius. Dico igitur, impudentiæ eſſe extremæ authori imponere, quaſi dixerit abſolutè & ſimpliciter diuinæ legi ſatisfieri, licet nulli ſint Epiſcopi in Gallia aut Hiſpania. Plane contrarium dicit: Nam
Cap. 3. n. 25. pag. 108. lin. 28. *Doctori Kelliſono vrgenti;* Non eſt maior ratio cur diuina lege debeant eſſe in Gallia aut Hiſpania Epiſcopi, quàm in Anglia; hoc, *inquit,* abſolutè & ſimpli-

Digitized by Google

ſimpliciter eſt falſum; nam ſecundùm præſentem temporum locorumque diſpoſitionem diuinæ legi ſatisfieri nullo modo poteſt, niſi ſint in Gallia, & Hiſpania Epiſcopi, quia aliter non poteſt ipſis de Sacerdotibus, Sacramentiſque ad ſalutem neceſſariis conuenienter, & eo modo quo diuina lex poſtulat, prouideri. At Angliæ poteſt, vbi neque ſceptro Epiſcopali, neque ordini quoad conſecrationem Sacerdotum locus. *Hæc Author. Addit:* Indeterminatè, *inquit*, & abſtrahendo à circumſtantiis temporum, & locorum, diuina lex non magis obligat Pontificem, vt Epiſcopos ordinet Galliæ & Hiſpaniæ, quàm Angliæ vel Africæ: Vnde ſi Gallia & Hiſpania eſſent eo loco, quo nunc Anglia & Africa, ſine diuinæ legis violatione ipſis Pontifex Epiſcopos non daret. *Hæc eſt Authoris integra aſſertio. Ex quibus vides non dicere, diuinæ legi ſatisfieri ſine Epiſcopis in Gallia & Hiſpania; ſed contrarium, ſcilicet abſolutè, & temporum circunſtantijs perpenſis, non poſſe; indeterminate autem, abſtractiuè, ſpeculatiuè, ſecundùm circunſtantias, quæ finguntur, poſſe.*

RESPONSIO.

Terreres me, & prorſus obſtupefaceres, fraudulentia & ſuperbiloquentia tua, niſi iudiciorum diuinorum, quæ Moliniſtæ non noſtis, ſed experimini, altitudinem tacitus venerarer. Quis enim tantam non audaciam, ſed deſperationem ver-

Digitized by Google

borum, qua in cauſa profligata vteris, non obſtupeſcat?

Quereris, *imponi tibi, quaſi dixeris abſolutè ac ſimpliciter diuinæ legi ſatisfieri, licet nulli ſint Epiſcopi in Gallia, aut Hiſpania;* Et hoc *impudentiam extremam* vocas. Quàm igitur extrema impudentia tua eſt, quæ tuæ fronti adhæreſcit? Tu enim Cenſoribus imponis, non illi tibi; & tanto impudentius imponis, quanto clariùs ipſis verbis damnatæ propoſitionis conuinceris. Propoſitio damnata bimembris eſt: prior pars ait, *Legem diuinam nihil amplius exigere, niſi vt aliqui in Eccleſia ſint Epiſcopi, tot nimirum vt non ſit periculum ne totus ordo intereat, & vt ſufficientes Presbyteri Chriſtianis per orbem ſuppeditentur;* Hanc tuam eſſe non negas, quamuis pernicioſiſſima ſit doctrina, & iure damnata, vt alibi demonſtrabimus, vt potè capitale principium, vnde poſteriorem, errorem de quo agimus, deduxiſti. Poſterior ergo eſt: *Si hoc fiat,* hoc eſt, ſi tot ſint in Eccleſia Epiſcopi vt totus ordo non facilè periturus videatur, & populo ſatis multi Sacerdotes præbeantur; legi diuinæ ſatisfieri, licèt nulli ſint Epiſcopi in Gallia, Hiſpania, vel Anglia. Eſt ne hoc abſolutam tibi propoſitionem imponere? Eſt-ne te inducere dicentem abſolutè, & ſimpliciter legi diuinæ ſatisfieri, etſi nulli ſint in Gallia vel Hiſpania Epiſcopi? Nónne manifeſta conditio opponitur ſub qua hoc ſcriptum fuiſſe dicitur, nimirum ſi ſufficientes Preſbyteri ſint, nec periculum ſit ne totus ordo intereat? Quis

ergo *extremæ impudentiæ* reus? Nónne tu, qui pro veris criminibus, quibus damnatus es, falſa ſupponere audes, vt habeas quo innocens videaris tua ipſius commenta refellendo, cùm ad veriſſimam iuſtiſſimamque Cenſuræ damnationem mutire non poſſis? Nam conditionalem hanc, ſi Galliæ & Hiſpaniæ, ſufficientes Preſbyteri alicunde prouideantur, neceſſe non fore lege diuina vt vlli ſint Epiſcopi in Gallia aut Hiſpania; tu nunquam veram negabis, nec negas, nec vt neges, tibi iam liberum eſt. Prætereo verſionis tuæ Latinæ tum in Apologia, tum in Spongia, næuos ac minutias, quibus peſtiferam propoſitionem mollire & concinnare niteris, vt procliuiùs imperitorum animis illabatur. Iſta, inquam prætereo; quia etſi quo tenuiora ſunt, eo maius fallaciarum, quibus totus ſcates, & vndique diffluis, argumentum exhibent, tamen ad ſummam rei parum conferunt.

Sufficit demonſtrare id quod caput eſt, te impudenter, & impotenter in Cenſores debacchari, *inuidias*, *calumnias*, *hydras*, *monſtra*, iactare, quaſi antiquæ fidei & pudoris hominem, zelo ſinceritatis elatum; cùm Cenſores non alia monſtra protulerint, quàm quæ in tuis antris inuenerunt, & quæ tu vt tuos fœtus clanculum exoſcularis animo, ore, palamque non audes, etſi nimium audeas apud eos iudices, quibus non mucoſa naris, & quibus oculi modò ſint, ad verſutias tuas craſſiſſimas pinguiſſimaſque videndas; multò magis apud eos, quibus non ſolùm robur Hercu-

leum, ad tua monſtra ſubigenda, ſed etiam maior Hercule ſagacitas ad veſtiganda, eſt. Si neſcis, Hercules ille tuus Gallici nomen iam olim accepit, non Anglici, non Ieſuitici, non Moliniſtici: Non domeſticorum ſolùm, ſed alienorum exterorumque monſtrorum domitor valentiſſimus eſt, vt non tantum errores tuos, ſed etiam *commotiones* tuas, hoc eſt, pullulantes è tuis fæcibus colubros, quotieſcumque *inſurgere*, & procaciter ſibilare cœperint, nullo negotio conſtringat elidatque.

Sed ais te Kelliſono vrgente, *non eſt maior ratio cur diuina lege debeant eſſe in Gallia, & Hiſpania Epiſcopi, quàm in Anglia;* reſpondiſſe, *hoc abſolutè & ſimpliciter eſt falſum; nam ſecundùm præſentem temporum locorumque diſpoſitionem, diuinæ legi ſatisfieri nullo modo poteſt, niſi ſint in Gallia & Hiſpania Epiſcopi, &c.* Primò mendàcia alia aliis ſuperſtruis. Illa enim verba, *hoc abſolutè & ſimpliciter eſt falſum,* nuſquam inuenio, ne in tua quidem Apologiæ verſione Latina. Nuſquam enim ais propoſitionem illam Kelliſoni *ſimpliciter & abſolutè falſam eſſe;* Imò eam ſimpliciter & generatim ſæpius admittis, vt in primis cùm dicis *penes ſummum Pontificem eſſe vt Epiſcopos vel Galliæ, vel Hiſpaniæ, aut Angliæ pro arbitrio concedat, quia aliqui in Eccleſia Epiſcopi eſſent; quod lex diuina poſtulat, quamuis in ſingulis his Gentibus non eſſent.* Quod apertè eſt diuina lege non præcipi vt Epiſcopi in his Gentibus ſint, quia id in arbitrio Ponti-

ficis non eſſet, ſi iuris diuini eſſet. Fallis igitur, nec ſolùm veritates Dei, ſed etiam, ne quid perfidiæ deſit, tuas ipſas falſitates adulteras.

Secundò, quod addis: *Secundùm præſentem temporum locorumque diſpoſitionem diuinæ legi ſatisfieri nullo modo poſſe niſi in Gallia & Hiſpania ſint Epiſcopi.* Aut fallaciter, aut pueriliter loqueris, tui erroris pudore, & infamiæ timore fractus, nec ſi tibi conſtare vis, ita loqui potes. Si enim, vt ais, diuina lex nihil amplius exigit, quàm vt tot ſint in Eccleſia Epiſcopi, vt periculum non ſit ne totus ordo intereat, & vt ſufficientes ſacerdotes populo Chriſtiano ſuppeditentur; quomodo exigit vt, hoc potiſſimum tempore, Hiſpania & Gallia ſuos Epiſcopos habeant, cùm etiamſi nulli in iis regionibus forent Epiſcopi, ordo Epiſcopalis in aliis regionibus facilè conſeruaretur? Cur exigit denique vt ibidem vlli Epiſcopi conſtituantur, modò vndecumque ſufficiens Sacerdotum copia ſubminiſtretur?

Poſſe autem abundè ſubminiſtrari, etiam ſi duo tantum aut tres Epiſcopi, aut nulli omninò in Gallia aut Hiſpania verſarentur, dubitare non poterit, qui modò cogitet, quantus in dies Presbyterorum numerus in Angliam, Hollandiam, Orientem, aliaſque infidelium regiones ſine vllis indigenis vel incolis eorum locorum Epiſcopis ſubmittatur. Soli Italiæ Epiſcopi, qui trecentorum amplius numerum implent, quorum in Synodo Tridentina ad CLXXXVII. adfuere, pluri-

bus Diaconis & Sacerdotibus conſecrandis ſuffi-cient, quàm quibus omnis Europa impleatur; ſaltem eas regiones identidem peragrando, qua ratione Pſeudo-Nicolao Smithæo viſum eſt Sacramentum Confirmationis Catholicis omnibus Angliæ commodè præberi poſſe, abſque eo vt Eccleſiæ Anglicanæ ſui Epiſcopi præficiantur. Nec quicquam Eccleſiæ obeſſet, ſi Presbyterorum copia quæ nunc eſt, aliquanto decreſceret.

Diſcuſſ. c. 4 num. 9.

Vnde patet te nequiter, & declinandæ tantùm inuidiæ gratia, hoc tuæ opinioni fucamentum contra tuam mentem inſperſiſſe, ne vniuerſam quaquà patet Eccleſiam in nefarij dogmatis peſtilentiam accenderes: cuius vis ita latè porrigitur, vt Epiſcopalem ordinem ex vniuerſis propemodum nationibus Catholica religione florentibus exturbet. Adeò enim connexa eſt Eccleſiarum omnium ratio, & *Epiſcopatus*, vt cum Cypriano loquar, *vnitas*, vt ex vna regione pelli non poſſit, quin eadem opera ex Catholicis pleriſque gentibus deiiciatur. Vt iſtorum abſurditas, & neceſſitas odioſiſſima videatur, qui ſi Galliam & Hiſpaniam Epiſcopali ordine ſpolient, Chriſtianorum omnium graue odium, & meritiſſimam execrationem formidantes; in ſpolianda Eccleſia Anglicana minus metuentes infamiæ; ſui erroris calamitatem his omnibus Eccleſiis ex æquo exitialem in ſolam Angliam palam exerunt, à Gallia & Hiſpania reuocare, continere ſimulant, poſtquam eas quoque regiones doctrinæ iſtius peſtilentia,

Cypr. ep. 52. vt ſup.

verbis apertiſſimis, ſed ſub Anglicano idiomate latitantibus, afflauerunt. Quis iſtam inconſtantiam, non etiam ampliùs quàm errorem ipſum execretur? *An enim quouſque volunt, deſipiunt? Quantò nos melius, non errorum inſipientiæ terminos figimus, ſed vt deſipiant prorſus volumus.* Nam Epiſcoporum ad omnes omnium Gentium Eccleſias eandem neceſſitatem confiteri neceſſe eſt. Si iuris diuini dicitur vt Galliæ & Hiſpaniæ hoc tempore Sacerdotes, non quomodocumque, ſed per proprios Epiſcopos præbeantur; idem de Anglia fatendum eſt; cùm nulla diuina lex proferri queat, qua nunc Hiſpaniæ aut Galliæ Sacerdotes aliter quàm Angliæ propagari iubeantur. Loquantur conſtanter. Voluntarias fictitiaſque diuerſitates abiiciant. Ius diuinum vel vtrobique agnoſcant, vel vtrobique negent. Fruſtra enim vrgent nec ſceptro Epiſcopali, nec conſecrationi Sacerdotum in Anglia locum eſſe; Quia vt de ſceptro illo, vt aiunt, ſeu regimine Epiſcopali dicere ſuperſedeamus ad octaui, huius tituli propoſitionem, vbi hunc errorem totius Eccleſiæ veteris authoritate delebimus; Conſecrationi Sacerdotum in Britannia locum non eſſe maligne ſine dubio, & conſcientia reclamante, aſſeuerant. Cùm enim illic nulli religionis Catholicæ functioni deſit locus; cùm omnia Sacramenta, quàm ſolenniſſimè celebrentur; cùm ſacra etiam Officia non raro concentibus muſicis, & organorum ſonitu perſtrepere nuntientur, vt & in Scotia, in

Aug. ep.6.

Hollandia, in aliis denique omnibus regionibus quas hæreſes ſubegerunt: Quis ſanus dicat; imò quis ſanus credat, ſoli Ordinis ſacramento, & Sacerdotum conſecrationi nihil loci ſupereſſe, præcipuè ad pauculorum ſimul Sacerdotum conſecrationem, quales diu olim in Eccleſia vetere, non ſolùm ſæuientibus perſecutionibus, ſed ſerena etiam Eccleſiæ pace, fieri ſolebant? Vos videlicet, Moliniſtæ verſipelles, qui ſacramentum Confirmationis, hoc ſolo quod Epiſcopale Sacramentum eſt, ex Anglia detruditis; vos iidem non vlla perſecutio, vel temporum iniquitas, vel hæreſeos importunitas, ſacramentum Ordinis, quantò magis Epiſcopale ducitis, tantò magis depellere conamini, vt per duorum Sacramentorum ſanctiſſimorum exilium, amandato ex Anglia Epiſcopo, veſtra inibi ambitio & cupiditas ſine obice dominentur. Hæc monſtra illa ſunt in quæ nos commotiùs inſurgere æquius eſt, & nobiſcum omnes, quos ſui in Eccleſiam Sponſam ſuam immenſi amoris participes fecit Deus; quàm vos in eorum, non ſolùm vbi capita palam exerunt, domitores, ſed etiam vbi ea lucis ipſius horrore recondere coguntur, deprehenſores.

SPONGIA.

At dicent ordinem Epiſcopalem neceſſarium eſſe Galliæ non ſolùm cauſa conſecrandi Sacerdotes, ſed etiam cauſa regendi populum. Reſpondetur, hoc etiam

Author

Author agnoſcit, quod ſcilicet Epiſcopi quoad ordinem neceſſarij ſunt, vtraque de cauſa, ſed diuerſo modo. Nam ordo Epiſcopalis, ſeu poteſtas ordinis, per ſe & directè fuit inſtituta ad conſecrandos Sacerdotes; & ad hunc finem eſſentialiter neceſſarius eſt, vt à non Epiſcopo ſuppleri non poſſit. At poteſtas regiminis non ſupponit eſſentialiter ordinem, inquit Author, & ideò ſuppleri poteſt ab eo qui non ſit Epiſcopus, fluitque ex ordine vel conſecutione eſſentiali, vt quidam putant, vel vt aliȷ̈ ſentiunt, tantùm morali; eo quòd ſceptrum regiminis ex decentia ac dictamine rationis, Epiſcopis, qui ſunt Patres patrum debeatur. *Hæc ſunt Authoris verba illo loco. Hæccine ſententia ordinis Hierarchici deſtructiua, quæ omnibus Theologis nota & probata? Certè non Author Hierarchiam deſtruit, ſed vos maleuoli interpretes libri illius ſententiam ex odio deſtruitis, laceratis veſtem polymitam, & aptam, qua librum Author ornarat, turpitudinemque, quam lacerando feciſtis, artifici imputatis, ſanguine hædino, ſeu hæretico inficitis, vt ſummo omnium patri oſtendi poſſit, & dici.* Vide ſi tunica filij tui, *hoc eſt hominis Catholici*, ſit. *Nimirum hoc agitis vt eum à fera peſſima interfectum, hæreſi infectum credat. Sed quis nouit conſilium Domini; quod illi cogitaſtis ad contumeliam, fortaſſis cedet ad gloriam.*

Responsio.

Cæcior an ſuperbior ſis, difficile dixerim. Tuis enim vitiis verticem erigis. Intumeſcis vbi

Digitized by Google

luctu contrahi debueras. Tuas hæreſes proiecto pudore pandis. Vbi deinde earum turpitudinem vel inuitus erubeſcere coactus es, adeò inani & intempeſtiuo allegoriarum pigmento eam inducere & obuelare conaris, vt nihil neceſſe ſit librum tuum, polimitam ſcilicet tuam veſtem lacerare, ſanguineque hædino inficere, vt ea omnibus conſpicua emineat. Ipſa te verba tua coarguunt, quibus Eccleſiam, Chriſti veſtem euulſis Epiſcopis dilaceras, ſanguinéque ex ea plaga manante apud Deum, & homines pollueris. Quomodo enim manifeſtiùs prodere potuiſti, te ſimulatè loqui, & mera verba dare, dum Epiſcopos in Gallia & Hiſpania ad Eccleſiarum regimen neceſſarios eſſe reſpondes; quàm continuò ſubiiciendo, *Poteſtas regiminis, non ſupponit eſſentialiter ordinem, ei ideò ſuppleri poteſt ab eo qui non ſit Epiſcopus?* Si characterem Epiſcopalem eſſentialiter non ſupponit, ſi ab eo qui non ſit Epiſcopus ſuppleri poteſt; certè ad eam non magis neceſſarii erunt Epiſcopi, quàm per te ſacramentum Confirmationis ad profitendam fortiter fidem ſit neceſſarium. Sicut enim Confirmationem ideò neceſſariam negas, quia ſuppleri poſſe dicis vnctione baptiſmali; ſimiliter negandum tibi eſt Epiſcopos ad Eccleſiæ regimen neceſſarios eſſe, cùm id ipſum regimen à ſolis Preſbyteris ſuppleri poſſe velis. Ac reuera neminem ad eam rem neceſſarium dicimus, quæ eadem ab alio fieri poſſit. Verè igitur negas Epiſcopos ad Eccleſiæ regimen neceſ-

ſarios, etſi inuidiam pœnamque condignam fugiens, id ipſum verbis agnoſcere & fateri verearis. Nam reuera pari fraude, & figmento pari, ſacramentum Confirmationis; & munus Epiſcopale deſtruis, deſtructa eorum neceſſitate per inauditorum ſupplementorum ſuppoſitionem. Sicut enim ſacramentum Confirmationis eliminas, ſuppoſita in eius locum vnctione baptiſmali; ſine vlla vllius Theologi authoritate, contra maiorum omnium conſenſum; Ita Epiſcopale munus, ſublata eius vera neceſſitate per Sacerdotalis regiminis ſupplementum, ad nihilum redigis. Hoc tantùm intereſt quod de ſacramento Confirmationis apertius agas, eiuſque contemptum machineris, illud non neceſſarium, ſine ambagibus pronuntiando; quia quoſdam Theologos ſcis ita locutos eſſe, etſi mente à nefario conſilio tuo remotiſſima : Epiſcopale verò munus ita depellis, ſuppleto in eius vicem Sacerdotali regimine, vt tamen Epiſcopale officium aut regimen, neceſſarium eſſe & Eccleſiæ generatim, & Eccleſiis particularibus ſpeciatim, negare non audeas, quia Theologorum omnium neminem qui hoc ſenſerit, vel qui ita locutus ſit, reperire potuiſti. Vtrumque interim eadem ratione ſubuertis, in eumque deturbas locum vt habeantur quaſi res minimè neceſſariæ, exigui commodi, & quibus ex cauſa qualibet leuiſſima, ſine vllo detrimento & facilè careamus. Nec enim vnquam ais, Epiſcopale regimen eſſe neceſſarium iure diuino, & hanc vocem conſultò fugis, velut

Digitized by Google

tuæ fraudi minus appoſitam, imò tuæ propoſitioni contrariam, qua apertè profeſſus es legem diuinam non amplius exigere quàm vt Epiſcopi hactenus ſolùm in Eccleſia ſint, ne totus ordo Epiſcopalis extinguatur, & ne Sacerdotes deſint Eccleſiis. Non ergo putas legem diuinam exigere vt Eccleſiæ particulares ab Epiſcopis regantur particularibus; nec hoc ſenſu ais Epiſcopos neceſſarios propter regimen Eccleſiarum, quaſi ad hoc neceſſarij ſint iure diuino; ſed neceſſarios intelligendos innuis *ex decentia* & congruentia quadam quaſi *ſceptrum regiminis* ex decentia *ac dictamine rationis Epiſcopis qui ſunt patres patrum debeatur;* Ac per hoc non ſolùm non iuris diuini, nec verè neceſſarium putas, vt Eccleſiæ Galliæ vel Hiſpaniæ Epiſcoporum regimini ſubiaceant, ſed ne quidem vt vllæ omnino Eccleſiæ regantur ab Epiſcopis, quia vbique tua illa ratio militat, dummodo ſufficientes Preſbyteri habeantur, & periculum non ſit ne totus ordo Epiſcopalis intercidat, Eccleſiarum regimen Presbyteris committi & ab iis ſuppleri poſſe, modò in eo conuenientiæ aliquid reperiatur; quæ in eiuſmodi negotiis nunquam deeſt eam reperire volentibus. *Hæc illa opinio eſt omnibus Theologis nota & probata?* Hæc illa probatio eſt, non te, ſed *maleuolos interpretes, Hierarchiam deſtruere?* Hæc eſt *polymita veſtis Ioſeph, hœdino ſangnine* tincta? An potiùs hædina pellis, ouinam mentita lenitatem; imò lupina rapacitas, Eccleſiam aperto rictu lanians, vnoque impetu omnia ei capita inuſitato ſæuitiæ artificio demetens; quali tyrannorum im-

maniſſimum optauiſſe ferunt, vt ſuæ Reipublicæ ceruices vno ictu amputaret. Hæreſis indubia eſt, quouis *hirco* putidior, quauis *fera peſſima* truculentior; cùm regimen Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtitutum, deiectis de ſede Epiſcopis, Sacerdotibus ad clauum admotis, euertat.

Quamuis enim interdum Eccleſiæ alicuius regimen Preſbytero committi poſſe videamus; non ideò non eſſentialiter ex Chriſti inſtitutione ad ordinem Epiſcopalem pertinet. Præpoſteri & leuis ingenij eſt, res morales ad eſſentias Metaphyſicas, & ad præciſiones Logicas admetiri. Sicut ſancta ſanctè tractanda; ita moralia moraliter ſpectanda ſunt. Suus cuique ordini genius, ſua vis, & ratio eſt. Quæ ſi permiſceas, & aliud genus in aliud transferre velis, non vnam, ſed rerum omnium naturam oppugnes, & euertas neceſſe eſt. Hoc igitur nihil vetat ne Eccleſiarum regimen Epiſcopis eſſentiale, Epiſcopos eſſentialiter ſupponere, ex lege & inſtitutione Chriſti Domini dicere credereque debeamus. Sicut enim nemo dubitat quin Eccleſiæ regimen eſſentiale eſſet Apoſtolis in hac vita degentibus, eoſque eſſentialiter ſupponeret, ita vt ab iis auferri, & per Presbyteros vel Diaconos adminiſtrari non poſſet, quin ipſi illius regiminis præſides permanerent, ſalua Chriſti lege, & ſalua Eccleſiaſtici regiminis à Chriſto inſtituti natura. Ita dubitandum non eſt quin idem regimen Epiſcopis & muneri Epiſcopali eſſentiale, & penitus inſeparabile dici debeat, cùm tota Eccleſiæ antiquitas

Digitized by Google

eos Apoſtolorum ſucceſſores agnorit, ac proinde ſimiliter natiuos præſides, indiuiduos ſponſos ac duces, & neceſſaria fundamenta & capita Eccleſiæ ſuper ipſos, vt Apoſtolorum ſucceſſores, eſſentialiter ſuperædificatæ. Quare qui hanc regiminis formam tollere velit, idem tollat neceſſe eſt Eccleſiaſticum regimen à Chriſto conditum, ab Apoſtolis vſque ſeruatum, & aliud longè diuerſum inferat. Regimen enim Eccleſiæ à Chriſto conditum, vt Apoſtolos, ita ſucceſſores eorum, vt capita & fundamenta ſua eſſentialiter poſtulat: quia Chriſtus non alios Eccleſiaſtici regiminis duces & ſumma capita, quàm Apoſtolos, & iis ſuccedentes Epiſcopos ſtatuit. Vnde ſi illius caput Presbyterum vel Diaconum poſueris; iam non habes regimen Eccleſiaſticum Chriſti, neque adeò tale quale ad Eccleſiam conſtituendam ſufficiat. Sicut enim nemo aliud fundamentum ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus; ita nemo aliud fundamentũ ponere poteſt, præter id quod à Chriſto poſitum eſt, quod eſt fundamentum Apoſtolorum, & ſuccedentium eis Epiſcoporum. Nec refert quod, vt modò dicebatur, interdum regimen Eccleſiæ Presbytero committatur, quia, vt iam innuimus ex ineluctabili neceſſitate & hoc niſi ad breue tempus, quod moraliter pro nullo eſt; fieri nequit, putà quoad Epiſcopi electio vel conſecratio fiat. Sicut enim impedimentum ineuitabile quo res aliqua intercipitur, non vetat quin eo ipſo tempore ſit verè neceſſaria;

Apoſtolos i. Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit. *S. Cypr. ep. 65. & alibi ſæpe.*

Apud nos Apoſtolorũ locum Epiſcopi tenent. *S. Hier. ep. 54. & alij PP. paſſim.*

1. Cor. 3.

Epheſ. 2.

ita nec quin verè ſit eſſentialis. Nam in moralibus eſſentiale ac neceſſarium, eadem ſunt, & eſſentiæ morales eædem ac neceſſitates. Loquimur autem de ordinaria lege Chriſti, & de ipſa natura regiminis Eccleſiæ ab eo conſtituti; non de temporibus extraordinariis, cum infidelium fortè violentia Epiſcoporum creatio, & Epiſcopalis ſucceſſio perimitur. Tunc enim Eccleſiarum particularium eſſentiale regimen, & à Chriſto inſtitutum deleri non dubium eſt, & violatæ diuinæ legis crimen in ſæuitiam infidelium, vel in quoſcumque alios deuolui authores. Quare ſtat, & verum eſt, Eccleſiæ regimen Epiſcopum eſſentialiter recipere, nec ſalua diuina lege, poſſe committi Presbytero niſi ad exigui temporis ſpatium, quod moraliter nullum tempus, nec ſpatium eſt, etſi Phyſicum ſit ſpatium. Morales autem res moralibus ſpatiis menſurantur, ſicut Phyſicæ Phyſicis. Atque ideò cùm breue illud tempus, quo regimen Eccleſiæ Preſbytero neceſſitate cogente committi fas eſt, moraliter nullum cenſeatur, non impedit quominus moraliter loquendo, ſicut de rebus moralibus loquendum eſt, ſimpliciter verum ſit, & dici debeat, Eccleſiarum regimen eſſe eſſentiale Epiſcopis, neque ab iis ad inferioris ordinis Clericos, vel Presbyteros, ſalua Chriſti lege, ſaluis quibus præſunt Eccleſiis, transferri poſſe. Quod Moliniſtæ dum negant, nec Eccleſiaſticum regimen Epiſcopis eſſentiale, nec iure diuino iis neceſſariò & abſolutè addictum fateri volunt; Eccleſiæ fundamenta & capita à Chriſto

Digitized by Google

poſita eruunt, à Chriſto non poſita intrudunt, vt non Chriſtianas diuinaſque, ſed *humanas*, vt cum Cypriano loquar, *Eccleſias* extruant. Neque id in aliquo orbis duntaxat angulo, ſed in Anglia, Gallia, Hiſpania, aliiſque omnibus Chriſtiani nominis regionibus, quia vbique illa eorum ratio tantumdem valet, regimen non eſſe eſſentiale ordini Epiſcopali, nec eum ſupponere eſſentialiter iure diuino, quia modò ſint Epiſcopi qui Presbyteros conſecrent, regimen Eccleſiæ Presbyteris committi poſſit. Ita, quod ſæpe iteramus, quemadmodum Auguſtinus ſolet in rebus magni momenti, & ſæpe iterandum eſt, vt Chriſtianus orbis erroris impietatem execretur, conſecrationem Sacerdotum Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Epiſcopis relinquentes, regimen earum omnium Eccleſiarum, ſine vlla legis Chriſti & naturæ Eccleſiaſtici muneris ab eo inſtituti violatione, ad Presbyteros transferri poſſe aſſerunt. Nec ſolùm tot regionum Epiſcopos iſto argumento abdicant, & de gradu deijciunt, ſed etiam ipſum Pontificem maximum, quia non ſolùm iuriſdictio & regimen Epiſcoporum particularium, ſed etiam Pontificis maximi, à Presbyteris ſuppleri interdum poteſt, ſæpeque ſuppletum fuit. Vnde iuxta iſtos conſequitur non magis eſſentialiter Eccleſiæ vniuerſalis regimen Pontificem maximum ſupponere atque exigere, quàm Eccleſiarum particularium regimen exigat & ſupponat Epiſcopos; quia vtrumque videlicet Presbyteris committi, & ab iis admi-

S. Cyp. ep. 52

ſupponere

Auguſt. ep. 255. & alibi ſæpe.

Digitized by Google

adminiſtrari poteſt. Hoc verò monſtrum tot venenis tumens, tot erroribus fartum, *ſummo omnium Patri oſtendi* debet, vt videat agnoſcat-ue pro germano Eccleſiæ partu, an pro genimine peſtilenti, quo nullum dignius quod dextræ illius mucrone configatur, & ſpiritu oris eius deſtruatur.

PROPOSITIO QVINTA.

Ex cap. 3. §. 4. n. 13.

Da ergo mihi multitudinem Chriſtianorum quantumcumque magnam, quæ non indiget Epiſcopo ad ordinandos Sacerdotes, & audacter dicam quod non ſit opus vt gubernator illius ſocietatis ſit Epiſcopus.

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, ordinis Hierarchici deſtructiua, & verbo Dei contraria.

PROPOSITIO SEXTA.

Ibidem.

Imo ponamus ordinationem Sacerdotum & miniſtrorum Eccleſiæ non eſſe neceſſariam in Eccleſiis, ſequitur ſtatim non eſſe opus, vt Eccleſia vniuerſalis gubernetur ab Epiſcopis, qui ſuperiores ſint Sacerdotibus.

Digitized by Google

CENSVRA.

Iſta propoſitio falſa eſt, ſeditioſa, pernicioſam & homine Chriſtiano indignam ſuppoſitionem continet, doctrinamque inducit hæreticam.

SPONGIA.

Pergit collector calumniator eſſe, & ſententiam authoris diminutè, malignéque, & contra ipſius ſenſum afferre. Integra eius aſſertio hæc eſt, Da mihi multitudinem Chriſtianorum, quantumcumque magnam, quæ non indiget Epiſcopo ad ordinandos Sacerdotes, indigebit illa quidem gubernatore qui ſceptrum regiminis teneat; at audacter dicam, non egebit Epiſcopo, qui ſit ſuperior Sacerdote, *ſcilicet ordine, (nam ſceptro iam dixerat requiri Superiorem.) Quanta maleuolentia & impudentia, omiſiſſe particulam illam*, indigebit gubernatore qui ſceptrum regiminis teneat? *Hinc patet authoris ſinceram & integram mentem libro expreſſam hanc eſſe: Epiſcopos quoad poteſtatem iuriſdictionis, & ſceptrum regiminis fore neceſſarios, etiamſi ordinatio Sacerdotum neceſſaria non eſſet, tamen quoad poteſtatem ordinis, qua ſuperant Sacerdotem ſimplicem, non futuros neceſſarios, ſi ponamus ordinationem miniſtrorum non eſſe neceſſariam. Quæ aſſertio perſpicuè vera eſt, vt nemo qui verba ſingula, ſeu vt loquuntur, terminos intelligit, & mentis compos ſit, de ea dubitare poſſit. Nam poteſtas ordinis, quatenus ſuperior eſt, & omnino incommunicabilis Sacerdoti, eſt poteſtas generatiua*

Patrum, ſeu ordinatiua Sacerdotum. Quis autem mentis compos, dicat poteſtatem generatiuam neceſſariam, ſi ponamus generationem filiorum & propagationem non eſſe neceſſariam? Poteſtas quippe ordinatur ad actum, eaque poteſtas neceſſaria cenſetur, quæ reſpicit actum neceſſarium; quod ſi actus, ſeu actio non ſit neceſſaria, fieri nullo modo poteſt, vt poteſtas actiua neceſſaria ſit:

RESPONSIO.

Hîc iam fracti ſunt & languent Ieſuitæ impetus. Perfunctoriè, & accuſatorio more calumniam ingeminat, ne quid remittere, aut reſipiſcere videatur. Hic enim eſt ille paragraphus ad quem ſupra ſimulatè & nequiter prouocauit, quaſi ad tot errorum hæreſumque hoc titulo proſcriptarum perfugium, vt ad ſecundam propoſitionem huius tituli vidimus & exploſimus. Nunc vbi ad eum deuentum eſt, ſuperiores hæreſes, quas odij declinandi gratiâ fruſtra omni ope diſſimulare contendit, hoc iam paragrapho non elui, ſed apertè confirmari intelligens, fractior eſt animo propter euidentiſſimorũ criminũ & fraudiũ conſcientiã, etſi propter innatæ ſuperbiæ ſpiritus, etiamnum ferocior. Audi denique defenſionis miſeriam, ſuperiùs aliqua ex parte ſuggillatam. Damnatur quod ſcripſerit, multitudinem quæ non egeat Epiſcopo ad ordinandos Sacerdotes, non indigere rectore ſeu gubernatore qui ſit Epiſcopus; Item ſublata Sacerdotum neceſſitate, non neceſſe fore vt Ec-

Digitized by Google

cleſia ab Epiſcopis regatur. Ad hæc ille, queritur, omiſſam à Cenſoribus iſtam particulam, *indigebit tamen gubernatore qui ſceptrum regiminis teneat:* Atque hoc, *maleuolentiam & impudentiam* vocat. *Hinc enim patere, Authoris ſinceram & integram mentem eſſe, Epiſcopos quoad poteſtatem iuriſdictionis & ſceptrum regiminis fore neceſſarios, etiamſi ordinatio Sacerdotum neceſſaria non eſſet.* Quo nomine peruicaciſſimum reſponſum inuram? Hoc enim additamentum, Rectorem quidem aliquem, ſeu gubernatorem Eccleſiæ nihilominus fore opus oſtendit; Epiſcopum opus fore non oſtendit. Imò aperte negat clariſſimis verbis, ipſa Spongia interprete: *Indigebit illa quidem gubernatore qui ſceptrum regiminis teneat; At audacter dicam* NON EGEBIT EPISCOPO QVI SIT SVPERIOR SACERDOTE. Quid clarius? quid audacius? De Epiſcopo enim ſpeciatim quærimus, non de gubernatore aliquo aut rectore generatim. Quorſum igitur tam perdita & obſtinata reſponſio? Quorſum proterua, tam vacua defenſio, quæ hoc ipſum quod diluere vult, apertius facit; & defenſionis improbitatem non ſolum in mentibus, ſed in oculis omnium collocat? Vult enim planiſſimè fore ſatis ſi Eccleſiæ rector Presbyter quiſpiam fuerit, verbi gratia, Archidiaconus, cui aliqua iuriſdictio, & poteſtas regendi populum tribuatur. At neceſſarium non eſſe vult vt ſit Epiſcopus. Quis ergo miretur eum in locis paulo obſcurioribus anguino more volutari, & angulos latebraſque

quæritare, errorum hæreſumque ſuarum impudenter pudibundum, vt ſuperioribus propoſitionibus perpetuò vidimus & mirati ſumus, cùm in tam aperto ſui erroris, & Cenſoriæ æquitatis lumine tergiuerſari audeat, & vltrò quaſi calumnijs circumuentus perfidioſè, & impuriſſime exclamet?

Ex iſta verò erroris quaſi propagine nati ſunt infelices ſurculi, quos paulò antè Cenſura decuſſit, Spongia fruſtra tenebras & caligines circumfundente, vt amputantium ictus fruſtrarentur. Ex eo enim quod ſublata neceſſitate ordinationis Sacerdotum, Epiſcopos non neceſſarios cenſeat, ſecutum eſt vt diceret, *Eccleſiam tempore perſecutionis indigere Epiſcopo ſolùm propter ordinandos Sacerdotes;* *vt ſuprà.* Et, *Si aliunde ſufficienter prouideatur de Sacerdotibus, legi diuinæ ſatisfieri, licet nulli ſint Epiſcopi in Gallia, Hiſpania, vel Anglia.* Omnes enim iſti errores in idem caput redeunt, & ita colligati ſunt, vt alius ex alio neceſſaria conſecutione pendeat; & qui vnum probauerit, eadem opera vniuerſos probare cogatur. Quod Cenſores prudentiſſimè perſpicientes, eos omnes pro eodem habuerunt, & quaſi ſtirpis vnius ſtolones præfocarunt. Atque hoc ad primam partem Spongiæ, quæ calumniæ querimoniam continebat.

In ſecunda firmior ſibi videtur Ieſuita, & damnatam propoſitionem, quoad eam partem, ita *perſpicuè veram* dicere audet, *vt nemo qui verba ſin-*

Digitized by Google

gula, ſeu, vt loquuntur, terminos intelligit, & mentis compos ſit, de ea dubitare poſſit. At nihil adeò fortitudinem quàm indocta temeritas imitatur. Nemo enim niſi ignariſſimus, & doctrinæ Eccleſiaſticæ planè rudis; & præterea tam leuis mente, ſeu, vt ſcriptura loquitur, tam *leuis corde*, vt ſe ad minimam ratiunculæ Philoſophicæ auram aduerſus perpetuam ſcripturarum & Eccleſiaſticæ traditionis ſtabilitatem abripi ſinat, vel ita loqui, vel ita ſentire potuit. Nam ſola prædicatio verbi, & Sacramentorum adminiſtratio, vt nulla alia pars Eccleſiaſticæ functionis neceſſaria eſſet, Epiſcoporum neceſſitatem adſtrueret, ex inſtituto Chriſti; ex quo Theologum argumentari, & res diuinas expendere, non ex lubricis humanæ mentis euagationibus ratiocinari fas eſt. Epiſcopis enim à Chriſto tradita eſt, ac per hoc ad eos propriè pertinet ex inſtitutione Chriſti, ſuprema Sacramentorum adminiſtratio, & prædicatio verbi, tanquam ad miniſtros principes ac ſummos; Ad Presbyteros verò tanquam ad miniſtros ſeu operarios inferiores, vt [a] Patres & Concilia [b] paſſim docent, & ſcripturæ [c] confirmant. Omnem enim Sacramentorum adminiſtrandorum, & miſſionis Eccleſiaſticæ ſupremam poteſtatem Apoſtolis, quorum, teſte omni antiquitate, [d] Epiſcopi ſunt ſucceſſores, ſcriptura datam fuiſſe teſtatur; vt patet de [e] Baptiſmo, de [f] Euchariſtia, de [g] Pœnitentia, de miſſione [h] denique in omnes gentes. Ac eodem modo ſolis iis poteſtas ligandi [i] &

a *S. Ignat. ep. ad Tral. & & ad Smyr. &c. S. Dionyſ. Eccleſ. Hier. c. 1. Tert. l. de Baptiſ. c. 17. Hieron. dial. adu. Lucif. &c.*
b *Conc. Carth. 2. can. 3. 4. & 9. Et Carth. 4. can. 20. Tol. 1. c. 20. &c.*
c *Marc. 16. 1 Cor. 4. &c.*
d *vide ſuprà & Concil. Trid. ſeſ. 23. cap. 4.*
e *Matth. 28.*
f *Luc. 22.*
g *Ioan. 20.*
h *Marc. 16. Actor. 1.*
i *Matth. 18.*

Digitized by Google

ſoluendi à Chriſto ante paſſionem promiſſa fuerat, vt manifeſtiſſimè ſcripturæ docent. Similiter Concilia & Patres generatim [a] ſupremum ius Eccleſiaſticæ omnis poteſtatis penes Epiſcopos eſſe, & ab iis in alios deriuari declararunt. Quare Presbyteri, & Diaconi Epiſcopos vt miniſtros capitales & principales, à quibus ipſi totam in ſingulis Eccleſiis poteſtatem haurire debeant, ex Eccleſiaſticæ hierarchiæ lege & connexione à Chriſto inſtituta ſupponunt. Epiſcopi autem non ſupponunt tantopere Sacerdotes aut Diaconos, quia gradus quique ſuperiores minus præſupponunt inferiores, cùm abſoluti ſint ac per ſe ſtent; ſed contrà inferiores quique omnimodè præſupponunt ſuperiores, ex quibus toti nituntur ac pendent. Vnde quamuis non eſſet opus Preſbyteris, vt hypotheſi Ieſuitica vtamur, eſſet tamen opus Epiſcopis qui Eccleſias particulares regerent, & paſcerent ſicut à Chriſto inſtitutum fuit.

[a] *Paulò antè cit. & ſupr. ad 2. prop. huius tit.*

Ex qua doctrinæ antiquitatis conſenſione fundatæ expoſitione, argumenti quod Ieſuita perſpicuum & inuictum exiſtimat, vitioſitas & fallacia manifeſtè deprehenditur. Si enim poteſtas & character Epiſcopalis nullum actum proprium haberet, niſi conſecrationem Sacerdotum; rectè colligeretur, ſublata conſecratione Sacerdotum, characterem Epiſcopalem non neceſſarium fore. Sed cum iſti characteri alij actus proprij ſint, ei à Chriſto Domino ſingulariter attributi; ineptiſſimè Presbyterorum neceſſitate ſublata, Epiſcopo-

rum neceſſitas ſimul tolli colligitur. Nam præter iſtam functionem, Epiſcopalis ordo eſt poteſtas ſumma in Sacramenta omnia, & in omnes actiones Hierarchicas, quæ omnes ab eo vt à capite & fonte in Eccleſiis particularibus fluere ac manare debent ex Chriſti lege, ſicut ab vniuerſali Epiſcopo in totam Eccleſiæ vniuerſalis amplitudinem. Sicut enim poteſtas & actio omnis Hierarchica Chriſtum ſupponit, & ab eo neceſſariò fluere debet, vt à capite ac miniſtro principe omnis Eccleſiaſticæ functionis, Ita ſinguli ab eo Epiſcopi in ſingulis Eccleſiis particularibus conſtituti fuerunt velut externæ ipſius imagines, & internam inuiſibilemque ipſius adminiſtrationem, externa viſibilique adminiſtratione in iis Eccleſiis repræſentantes; itavt ſint fontes cuique Eccleſiæ proprij, à quibus omnis Hierarchica actio exterior neceſſariò oriri debeat, ſicut à Chriſto omnis interior oritur. Quod perſpicuè docuerunt Concilia & Patres toties citati, dum nihil à Presbyteris aut Diaconis ſine nutu Epiſcopi agendum eſſe declarant, & dum dignitatem Epiſcopalem deſcribentes, eam ita exponunt, vt ad quam non ſolùm regimen Eccleſiarum, ſed omnes prorſus Eccleſiæ functiones ſummo iure pertineant, vt patebit libros de Sacerdotio & Sacramentis SS. Ambroſij, & Chryſoſtomi & aliorum veterum legenti. Atque hæc eſt excellentia ordinis Epiſcopalis, cuilibet miniſtrorum inferiorum incommunicabilis: quoad nimirum ſit ampliſſimus quidam fons

Vid. ſup.

Vid. Chryſ. de Sacerd. Ambroſ. de ſacerd. & de Sacram. Cypr. paſſim. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch.

omnis

omnis Sacerdotalis functionis in quaque Eccleſia ſingulari conſtitutus, à quo omnem aliam in eadem Eccleſia poteſtatem & operationem Hierarchicam neceſſario ſcaturire oporteat, ex lege Sacerdotali Eccleſiaſticæ traditionis teſtimonio confirmata, & ex natura Hierarchicarum actionum à Chriſto condita. Vnde Hierarchicæ omnes in ſingulis Eccleſiis actiones hunc fontem, & hoc caput neceſſario ſupponunt, ad quod tanquam ad ſupremam in iiſdem Eccleſiis originem referantur; vt fiant perfecto modo, & eo quo à Chriſto poteſtatis Epiſcopalis, & poteſtatum actionumque omnium Eccleſiaſticarum authore inſtitutum eſt. In quo ſicut Epiſcopus refert Chriſtum, & eius imago eximia eſt in totius Diœceſeos ambitu; ita Epiſcopum refert Parochus in parœcia, vbi ab Epiſcopo conſtituitur, quaſi minor quidam Epiſcopus, ad quem omnes Eccleſiaſticæ actiones intra parœciæ fines, tanquam ad primum ſub Epiſcopo authorem reuocentur. Imò ipſa parochialis Eccleſia Eccleſiæ matricis & principalis pulcherrima imago eſt, quia quæcumque Hierarchicæ operationes in Eccleſia matrice fiunt ab Epiſcopo in communem gregem fidelium, eædem à parocho in portionem gregis ſibi traditam exercentur, vt Baptiſmus, Euchariſtia, Catecheſes, ſeu prædicatio verbi, &, vt cætera omittam, eulogiarum, more Lutetiæ, & toti Galliæ vſitato, communicatio. Vnde factum eſt vt & ipſum parœciæ nomen, quod olim toti Eccleſiæ matrici, ſeu

Euſ. l. 3. hiſt. c. 4. Concil. Sard. can. 15 Concil. Antioch. can. 22

Digitized by Google

Diœceſi proprium erat, ad peculiares portiones gregis parochis commiſſas tranſierit, quaſi ad totius Diœceſeos imagines ac ſummulas breuiores. Atque hoc pacto totus grex per miniſtros, miniſtri inferiores per ſuperiores, variorum graduum nexibus,& multiplici vnitatis compagine ad Chriſtum totius Hierarchiæ, & poteſtatis, & actionis Hierarchicæ caput vltimum rediguntur; vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor. Sicut enim D. Auguſtinus omnes Epiſcopos vnum cum Chriſto, paſtorem facit; ita omnes parochos ſimul cum Epiſcopo vnum inter ſe, ac per hoc cum Chriſto, paſtorem dicere poſſumus, & eos ſimul omnes ad Chriſtum *vnam ouem*, vt ait idem Auguſtinus.

Ioan. 10. *Auguſt. de Paſtor. c.* 12. *&* 13. *Aug. l.* 4. *ad Bonif. c.* 6 Quandoquidem illi vnicæ cui dicitur, id eſt Eccleſiæ, cuius mẽbra ſunt omnes homines, &c.

Epiſcopalis igitur ordo non ſolùm ſacramentum Ordinis & miniſtrorum conſecrationem reſpicit, vt Ieſuita indoctè putat; ſed ſupremum ius continet, & ſupremam in omnia Sacramenta poteſtatem characteri ſacerdotali incommunicabilem, qui nunquam ad tantam amplitudinem euehi poteſt, niſi Preſbyter fiat Epiſcopus. Vnde Concilia & Patres Epiſcopum non ſolùm *Antiſtitem* & *præpoſitum* nominant, vt ante vidimus; ſed etiam *Sacerdotem* [a] κατ' ἐξοχὴν, & *ſummum Sacerdotem* [b] ſæpiſſimè, vt ſummum illud ius, ſummamque illam in ſacerdotalia omnia munia poteſtatem ſignificent. Hæc eſt Eccleſiæ, & miniſterii Eccleſiaſtici ex Chriſti inſtitutione conditio ac ſtatus, perpetuo Chriſtianorum conſenſu &

a *Conc. Sard. c.* 16. *&* 20. *S. Leo ep.* 89. *ad Epiſcopos Vienn. prou. Cypr. ep.* 52. *&c.*
b *S. Amb. l.* 2. *de ſacr. c.* 5. *&* 6. *S. Leo ep.* 87. *c.* 5.

Digitized by Google

traditione à primis religionis cunabulis ad hæc tempora confirmatus; nulla lege, nullo caſu mutabilis; quia Chriſti lex qua ſtat, immutabilis & æterna eſt, neque cœlo ipſo & terra tranſeunte tranſibit. Sed minimè mirandum eſt eos qui Dei myſteria ſolis rationis ſuæ oculis, iiſque languidis & lippientibus vident, ſeque ipſos & alios *decipiunt per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundùm elementa mundi, ſecundùm traditiones hominum, & non ſecundùm Chriſtum*; hæc omnia ne per ſomnium quidem fortè vnquam cogitaſſe, & iis auditis quaſi in orbem alium delatos æſtuare. *Matth.24.* *Coloſ.2.*

Dicere autem hanc Epiſcoporum poteſtatem, ſic à Chriſto compoſitam & inſtitutam, per ſolos Preſbyteros ſuppleri poſſe, quia Preſbyteri Epiſcoporum vicarii eſſe ſolent, & ſede vacante, aut Epiſcopi creatione neceſſariis de cauſis interdum dirempta & impedita, Diœceſim ad tempus regere poſſunt; iam ſuperius oſtendimus labem eſſe & perniciem omnis Epiſcopatus, non ſolùm particularis, ſed etiam vniuerſalis. Nam vt de poteſtate iuriſdictionis, de qua ſatis ante dictum eſt, ſileamus; ordinis ſumma illa, Epiſcopalis propria, quæ iis peculiariter & eminenter à Patribus & Scripturis aſſignantur quæ non ad Sacramẽtum ſolum ordinis, ſed etiam ad cætera omnia, vti diximus, pertinet, reuera ſuppleri non poteſt à Preſbyteris, qui quamdiu Preſbyteri manent ſummam illam ordinis poteſtatem, ſeu ſummum illud Sacerdotium aſſequi nequeunt, ita vt ſummi Sacerdotes

Digitized by Google

efficiantur, quales ſunt Epiſcopi ſenſu Patrum, & quales Chriſtus Sacramentorum & functionum omnium Hierarchicarum ſupremos in Eccleſia miniſtros inſtituit.

Poſtremò, reuocandum ſemper in memoriam eſt id quod ſuperiùs demonſtrauimus, fruſtra diſcindi & dilacerari à Spongia poteſtates Epiſcopales, vt vna magis, altera minùs neceſſaria dicatur. Cùm enim perpetuus traditionis Eccleſiaſticæ conſenſus, indiuiſam vnitatem tueatur; diuiſionem ac diſſidium reſpuat; ſequitur vtramque eodem modo neceſſariam eſſe, nec dari neceſſitatis earum diſtinctiones aut gradus. Adeóque totum hoc diſputationis genus, quò inuiti à Spongia trahimur, à ſuppoſitione falſa & à doctrinæ Eccleſiaſticæ ignoratione manare. Meminerit, vel legat potius Ss. Patres, dignius & chriſtianiùs de poteſtatis Epiſcopalis vnitate loquentes, quàm ipſe de illius diuulſione loquatur. Audiat inter eos Diuum Ambroſium dotes ac munera omnia Epiſcopalia nomine *gratiæ Epiſcopalis* deſignantem; idque imitatione D. Pauli, qui Epiſcopatum quoque & Apoſtolatum ſuum, nomine *gratiæ* ſimpliciter expreſſit non vno loco, vt alia mittam iam antè dicta, & alibi dicenda fuſiùs; & diſcat tandem aliquando de poteſtatis Epiſcopalis vnitate, ſpiritu vnitatis & pacis, non diſſenſionis & contentionis diſſerere.

S. Ambr. de dig. Sacerd. cap. 3.

Rom. 12. 3.
Eph. 3. 8.

Maneat igitur nullam Epiſcopalem poteſtatem, neque iuriſdictionis, neque ordinis, à ſolis

Preſbyteris ſuppleri poſſe, ſaluo Eccleſiæ ſtatu: & falſo eſſe falſius, aut Epiſcopos ob ſolam conſecrationem Sacerdotum neceſſarios eſſe; aut ſublata neceſſitate Sacerdotum, ſublatum iri neceſſitatem vel iuriſdictionis, vel ordinis Epiſcoporum.

SPONGIA.

Quod autem dicunt, ſuppoſitionem eſſe falſam, & homine Chriſtiano indignam, mirum eſt hos, qui magiſtri non Iſrael, ſed orbis haberi cupiunt, hærere in principijs Logicæ, quæ pueri norunt. Quis enim Philoſophiâ vel modicè imbutus neſciat ſuppoſitiones falſas, impias, & impoſſibiles in ſe, poſſe ſanctè, piè, & vtiliter cogitatione fieri, vt rerum natura penitius inſpiciatur? Spiritum ſanctum à filio non procedere, an non falſum, impoſſibile, blaſphemum? Et tamen Theologi ſanctiſſimi diſputant hac facta ſuppoſitione, ſi Spiritus ſanctus non procederet à filio, an diſtingueretur à filio? Appello iudicium Theologorum, an non hæc puerilis cauillatio ſit.

Responsio.

Philoſophorum, & quidem Logicorum, non Theologorum iudicium appellare debueras. Non enim Theologici, ſed Philoſophici peccati Cenſores arguis, videlicet quòd *hæreant in principijs Logicæ, quæ pueri norunt.* Magis nempe noſti quæ pueri norunt, quàm quæ viri noſſe debent,

Digitized by Google

& viri Theologi, & viri qui ſuis ſe humeris vniuerſum Eccleſiæ pondus ac regimen, pulſis Epiſcopis, ſuſtinere poſſe gloriantur. Indignum, & vix tolerandum eſt, doctrinam fidei, quæ tota diuinam inſtitutionem intuetur, ex eaque tota pendet, ad puerilia principia Logicæ, vel omninò ad humanæ mentis ſenſuumque noſtrorum captiunculas reuocari. Ignoſcant Moliniſtæ, hoc puerile & Logicum, non virile, non Theologicum eſt. Quòd verò hypotheſes, & ſuppoſitiones quædam à fidei principiis abhorrentes iam longo vſu inoleuerint, ferente atque indulgente Eccleſia; non efficit vt alias atque alias ad libitum ſuper induci, & volucri inſanæque hominum imaginationi habenas effundi liceat, vt quæcumque blaſphema cogitatio ſubierit, eâ in medium repentè prolatâ, fidelium mentes vulnerentur & ſenſus, & impietati via pandatur. Sic enim ſanctiſſima religionis myſteria in blaſphemas hypotheſes euaneſcent, vtcumque leuiſſimis homuncionibus libuerit, qui modò teneant *principia Logicæ quæ pueri norunt*. Cuius rei quamuis licentia paulo maior eſſet in merè ſpeculatiuis religionis myſteriis, quæ in ſola mentis agitatione verſantur; non perinde concederetur in moralibus, & quodammodo practicis: quæ propter concupiſcentiam in humanis præcipuè moribus inſidentem ac vigentem, tùm ipſa corruptioni multò magis obnoxia ſunt; tùm debiles audientium animos multo faciliùs iam corrupta traiiciunt. Vnde fit vt cautiùs & caſtius quo-

Digitized by Google

dammodo attrectanda, & iudicii grauitate ponderanda potiùs quàm laſciuiētis ingenii ſubtilitate, & enormium cogitationum ludibriis ventilanda videantur.

Neque porrò ita malè nobiſcum agitur, vt ſine tam effræni licentia res diuinas percipere aut aliis tradere nequeamus. Sine hac docuit nos Spiritus ſanctus Scripturis ſanctis: Sine hac docuere, & docti fuere ſancti Patres: ſine hac gregem Chriſti ab initio docuit, & etiamnum docet Eccleſia. An Spiritus ſancti methodum, eoque duce, tot doctiſſimorum ſanctiſſimorúmque Patrum, Eccleſiæ denique Catholicæ, dedignamur? ſperemus ſine deuiis exorbitationibus, ſine cogitationibus impiis, blaſphemiarum illecebris, nos via regia gradientes, quâ præiuit Deus, ſecuti ſunt patres noſtri, doctos & pios effici poſſe. Ne tantùm quæramus id quod ipſi habuerunt, ſed ea potiſſimum ratione, qua id eos nominis quæſiiſſe quæramus. Tum Ieſuitæ *vanas, & inutiles quæſtiones, quæ proficiunt ad impietatem, & ſerpunt vt cancer, ſapere* docentes *pluſquàm oportet ſapere, non ſapere ad ſobrietatem*, ſecuris animis repudiabimus, & aſpernabimur; & hoc ipſo ad rerum diuiniſſimarum intelligentiam cœlitùs hauriendam puriores, ſimpliciores, paratiores animos afferemus. Omnium maximè reiicienda fuit iſta Ieſuitæ, non chimærica modò blaſphemaque fictio, ſed Lutherana, Caluiniſtica, omniumque huius temporis hæreticorum vernacula, qui & Sacerdotium, & Epiſcopa-

Tit 3.
2. Tim. 2.
Rom. 12.

lem conſecrationem Sacerdotum, & ſucceſſionem Eccleſiæ miniſtrorum exſtirpantes, Ieſuiticam hypotheſim, doctrinam ſuam fecerunt. Quorum principia & hæreſes aſſumere ad eam doctrinam quæ Eccleſiæ Anglicanæ pro vera traditur comprobandam; quàm Catholicæ Eccleſiæ probroſum, Catholicis Theologis indignum, Catholico populo in media hæreſeos lue degenti, & præclara iſta Philoſophiæ puerilis artificia non diiudicanti, periculoſum ſit, & pernicioſum, clarius per ſe eſt, quàm vt pluribus declarari oporteat.

PROPOSITIO SEPTIMA,

Ex cap. 3. §. 4. n. 18.

Donatio Confirmationis non impedit, (ſi non indigeant eo Epiſcopo ad ordinandos Sacerdotes) quin grex eius dicere ei adhuc poſſit, nempè pedes capiti, Non indigemus te, vt es Epiſcopus.

CENSVRA.

Iſta propoſitio verbis contumelioſis concepta eſt, inobedientiam ſuadet, ac hæreſim redolet.

SPONGIA.

Iſta propoſitio continet ſenſum canonis Eccleſiaſtici qui præcipit, ne inſtituantur Epiſcopi, vbi neceſſarij non ſunt, ne Epiſcopi vileſcat nomen, & honoris ſummi au-

Can. Audiuimus. 3. q. 2

mi au-

mi authoritas. *Fateor verba propoſitionis oſtendere Epiſcopos, ſi conſtituerentur ſolius Confirmationis cauſâ, futuros facilè contemptui; ſed hoc in nullius Epiſcopi contumeliam dicitur, cùm tales in Eccleſia Epiſcopi nulli ſint. Imò pro tuenda Epiſcoporum dignitate hoc dicitur, ne creentur, vbi nec Eccleſiam, nec Cathedram, nec Capitulum, nec veſtem Epiſcopalem, nec Conuentum, nec tribunal habeant, nec conſecrare Sacerdotes poſſint, imò nec confirmare quidem, niſi rarò pauculos, & furtim; vbi denique nihil habent Epiſcopali dignum maieſtate, quod agant. Hoc enim (vt ait Canon) in Epiſcopalis ordinis contumeliam cederet. Kelliſonus igitur, & qui ſolius Confirmationis cauſa Epiſcopos conſtitui volunt, hi ſunt qui Epiſcopali dignitati inferre contumeliam conantur.*

RESPONSIO.

Tam in authoritatibus, quàm in rationibus proferendis cæſpitas, vel potiùs præcipitas. Canonem quem citas falſaſti, non vna particula, ſed, quod mirandum ſit, ex omni parte, ſic vt nullum veritatis veſtigium reliqueris. Tanta enim audacia, vel amentia (aliter enim dici non poteſt) ruis, vt in oculis primæ, nobiliſſimæque Theologorum Facultatis, totius Galliæ, totius Eccleſiæ Catholicæ, Canonem Pontificium, & eum Canonem, quo ſolo damnationem erroris à te depellendam ſuſcepiſti, ſic proferas vt nullum verbum habeat niſi tuum, niſi non modò corruptum, ſed etiam

Digitized by Google

planè confictum, vt non tam citator, quàm conditor Canonum dici merearis. Nam verba iſta, *ne Epiſcopi vileſcat nomen & honoris ſummi authoritas*, in tuo Canone nulla ſunt: Ne priora illa quidem, *ne inſtituantur Epiſcopi, niſi vbi neceſſarij ſunt*, aut vlla iis æquiualentia. Hoc demum in illo Canone legitur, quod ad hanc quæſtionem pertineat, *Epiſcopi conſtitui non debent niſi in ciuitatibus non minimis;* idque ipſum obiter, cùm de re longè alia agatur. Totus denique canon aſſignatur Euariſto Papæ, cuius Epiſtolas dubias eſſe notum eſt. Hoc de ipſo per ſe Canone: in quo pudendum Ieſuitæ lapſum, quo nomine inſignire debeamus, lectoris candor & æquitas mecum ſine dubio ambiget, tantumque Mercurialibus illis Ieſuitarum ingeniis ſtuporem inſidere mirabitur.

Quamquam ſi rationem Ieſuitæ, & admirabilem ex iſto Canone collectionem ſpectemus, non minor erit mirandi locus. Nam primò, vt propoſitio ipſius veriſſima & liquidiſſima eſſet, tamen abſurdiſſimè ad eius comprobationem afferretur Canon, qui non plus ad eam facit, quàm ad bouem ephippia. Propoſitio damnata habet, populum qui Epiſcopo non indiget, niſi ob Sacramentum Confirmationis, nihilominus dicere poſſe Epiſcopo, *Non indigemus te, vt es Epiſcopus.* Ad propoſitionem hanc ſtabiliendam producitur canon, vbi de ſacramento Confirmationis nulla vox, nulla litera eſt. Quid Spongia hebetius?

At, *iſta propoſitio continet ſenſum canonis*. Quem tandem? *ne inſtituantur Epiſcopi vbi neceſſarij non ſunt*. Ridiculè. Eſto enim ſenſus ille Canonis; ideóne ait, Epiſcopum neceſſarium non eſſe, vbi Sacramentum Confirmationis conferendum eſt? Hoc ſtolidè ſupponit Spongia, quod nos falſiſſimum eſſe probabimus; quod abhorret à Chriſtiani animi ſenſu; quod ne leuiſſimè quidem innuit Canon; quod denique non ſuppoſitum, ſed oſtenſum oportuit, cùm in hoc cardo quæſtionis verſetur. Quæritur enim quam ob rem neceſſarij ſint Epiſcopi, an propter conſecrationem ſolam Sacerdotum, vt vult Spongia contra mentem Eccleſiæ Catholicæ; an etiam ob alia, putà ob Sacramentum Confirmationis.

Deinde ineptiſſimè dicitur eſſe ſenſus illius Canonis, *ne inſtituantur Epiſcopi, vbi neceſſarij non ſunt*; cùm, ſicut anteà notatum eſt, nihil in eo de Epiſcoporum neceſſitate dicatur. Tantum enim ait, *Epiſcopi conſtitui non debent niſi in ciuitatibus non minimis*. Quod ſic edicitur, non quaſi minimis etiam ciuitatibus non ſint neceſſarii Epiſcopi; ſed quia abſque eo vt in illis ipſis collocentur, ſatis eis proſpicere, earumque neceſſitatibus conſulere poterunt, ſi modò in vicinis vrbibus conſtituantur. Eſt enim dictu impium, Epiſcopos nullis ſuarum Diœceſium oppidis, vel vrbibus; neceſſarios eſſe, niſi eis ſolis, vbi caput & ſedem Epiſcopalem defixerunt. Alioquin omnibus penè populis fas erit aduerſus proprios Epiſcopos illa vti voce, quam

Digitized by Google

eis porrigit Spongia, *Non indigemus te, vt es Epiſcopus.* Cùm igitur vicanis etiam ruſticaniſque gentibus neceſſarii ſint Epiſcopi, vt ab iis ex lege à Deo condita dirigantur & paſcantur; Spongia ex illo Canone non habet, *Epiſcopos inſtitui non debere, vbi neceſſarij non ſunt*, cùm minimis viculis ſuarum Diœceſium neceſſarii ſint, in quibus tamen ex eo Canone inſtitui non debent.

Conc. Sard. can. 6.

Scio quidem, ne cui nimium Spongiam ad viuum reſecare videar, interdum ita loqui Canones, non hunc quidem quem citat, ſed alios quos non nouit, vt dicant Epiſcopos non conſtituendos eſſe, niſi vbi neceſſarii ſunt. Sed ita loquentes aliud intelligunt, quàm ſub ſimilibus verbis Spongia. Hæc enim dum Epiſcopos ſtatuendos negat, niſi vbi neceſſarij ſunt, ſuam Angliam, ſuum ſcopum reſpicit, vbi neceſſarium Epiſcopum negat, quia nullam eſſe functionem Epiſcopalem, quæ Angliæ neceſſaria ſit, exiſtimat. At Canones, dum Epiſcopos alicubi neceſſarios non eſſe aiunt; non hoc volunt, eſſe vllum locum, vel vllum angulum orbis, qui Epiſcopi functione non indigeat, cui Epiſcopalis ordinis auxilium non neceſſarium videatur; ſed hoc demum, tractus alicuius incolas neceſſaria ab Epiſcopis ope ſatis ſubleuari iuuarique poſſe, licet ſingulis oppidulis ſinguli ſeorſum Epiſcopi non præficiantur. Quare Spongia nec verbis, nec ſenſu, vim Canonis quem obiicit, aſſecuta eſt.

Conc. Laod. c. 56.

Si enim aſſecuta eſſet, vidiſſet ex templo præciſam in eo ſibi omnem anſulam ſuſtinendi propoſitionem illam peſſimam, vt vlli populo dicere liceat Epiſcopo, *Non indigemus te, vt es Epiſcopus.* Patet etiam admodum clarè ipſam neque hunc, neque alios huic aliquatenus ſimiles Canones vel oculis corporeis attigiſſe, cùm in eius citatione palpabundus erret inſtar cæci, & longiſſime à propoſito defluat. Ita enim cæci ſunt, & ineptiunt, & ridiculi fiunt, qui ſuos oculos non habentes alienos mutuantur, vanaque & improuida feſtinatione libros præcoces, quaſi catulos cæcutientes, effundunt.

Nam tantum abeſt vt Canones vllam Gentem, putà Angliam, Epiſcopi ſubſidio non egere putauerint, vt ne quidem vllam vrbem maiuſculam proprio Epiſcopo carere debere decreuerint. Conſtat enim Epiſcopos olim ſingulos ſingulis ciuitatibus præfuiſſe. Quod D. Cyprianus diu ante ſuam ætatem, ab Apoſtolis vtique, conſtitutum fuiſſe teſtatur. *Iampridem*, inquit, *per omnes prouincias, & per* VRBES SINGVLAS, *ordinati ſunt Epiſcopi*. Atque hoc idem voluiſſe videtur D. Paulus ad Titum ſcribens: *Reliqui te Cretæ, &c. vt conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Nam quin agat de Epiſcopis nullum dubium eſt, vt ex contextu apparet. Id ipſum ſatis declaratum eſt Conciliis illis Africanis, quibus interdum ducenti amplius Epiſcopi ſubſcripti reperiuntur, quamuis omnis Africa non niſi ſex pro-

Cypr. ep. 52.

Tit. 1.

Vid. Concil. Carthag. 6. Vid. Sextum Rufum, & Conc. Carth. 6. & 7.

Digitized by Google

uincias complecteretur. Qua de re plura iterum inferius.

Nihil igitur vetuerunt Canones, niſi ne Epiſpiſcopi in vicis duntaxat vel oppidulis colloca-rentur. Vnde ineptiſſime colligi, neceſſe non fuiſſe vt Epiſcopi oppidulorum vicorumque incolis præeſſent, iam antè demonſtrauimus.

Conc. Sard. c. 6.
Conc. Cart. 2 c. 5.
Vid. de Epiſ. in Tuſsala conſtituto ab Aug. 261. ep.

Quod ſi qua de illis ipſis oppidis aut vicis, affluente conuenarum multitudine frequentari inciperent, & paulo populoſiores effici; Concilia declararunt iam iis quoque ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine ſuos imponendos Epiſcopos, conſultò tamen prius Epiſcopo cuius Diœceſi anteà ſuberant, ne tumultuationibus & diſſidiis daretur locus. Qua ratione totam Moliniſtarum de Epiſcopis conſtituendis doctrinam euerterunt, declarantes non ob ſolam conſecrationem Sacerdotum neceſſarios eſſe Epiſcopos, cùm in iis locis eos conſtitui voluerint, quibus anteà ſufficientes Presbyteri à prioribus Epiſcopis ſuppeditabantur, & quibus proinde nouus Epiſcopus non ſolùm ad Presbyterorum conſecrationem, ſed ne quidem ad ſacramentum Confirmationis, neceſſarius erat.

Ex quibus omnibus iam claret, opinor, Canonem de quo egimus, à Ieſuita imperitiſſimè, ne amplius fallaciſſimè dicam, ad propugnandam propoſitionem ſuam fuiſſe prolatum; Et quoquo tandem ſe verterit, prius aquam è pumice expreſſurum, quàm ex eo Canone, adminiſtrationem ſacramenti Confirmationis non eſſe rem ſatis *di-*

Digitized by Google

gnam Epiſcopali; vt fraudulenter loquitur, *majeſtati*; & populum cui nihil aliud ab Epiſcopo ſit neceſſarium, ei dicere poſſe, *Non indigemus te, vt es Epiſcopus.* Quæ enim tam mira Logica, ex his verbis iſtius Canonis, *Epiſcopi conſtitui non debent niſi in ciuitatibus non minimis* (quæ in eo ſola ſunt ad quæſtionem hanc pertinentia) inferat ſacramentum Confirmationis non eſſe rem dignam Epiſcopali maieſtate; aut eos qui ſolo ſacramento Confirmationis ab Epiſcopo egeant, non indigere ipſo vt Epiſcopus eſt?

Cæterùm non in humanæ mentis principia tantùm hæc ἀσυλλογιςία incurrit, ſed quod maius eſt, in principia fidei Catholicæ, & in fidelium omnium ſenſum; meramque, vt ſapienter à Cenſoribus notatum eſt, hæreſim redolet. Quid enim aliud ſapit iſta vox, niſi ſacramentum Confirmationis eſſe rem momenti leuis, deſpicabilem, & vt apertè ait Spongia, *Epiſcopali maieſtate indignam?* Talibus elogiis, Sacramentum ſanctiſſimum, & Sacramentum Chriſtianæ perfectionis, & Sacramentum plenitudinis Spiritus ſancti, impunè decorabitur? Adeò pro nihilo erit, vt ſi quis eius ſolùm adminiſtrandi gratia conſtitueretur, contumelia affici, & contemptibilis effici reputetur? At, *hoc in nullius Epiſcopi contumeliam dicitur, cùm tales in Eccleſia Epiſcopi nulli ſint.* Quid ais? non ſatis ingens contumelia eſt quæ Sacramento Chriſti, Sacramento Spiritus ſancti, irrogatur? Nihili eſt honor Dei? Honoris hominum maior cu-

ra remordet Moliniſtarum animos? Plus enim hominibus, quàm Deo ſtudetis Moliniſtæ; Plus hominum gratiæ quàm Dei ſeruire probamini. Nec verò contumelia iſta dignitatem Epiſcopalem non ferit, tum inferiorem, tum ſummam omnium principemque. Cùm enim Ieſuita fateatur ſuæ ſcopum propoſitionis eſſe, *ne creentur Epiſcopi, vbi nec Eccleſiam, nec Cathedram, nec Capitulum, nec veſtem Epiſcopalem, &c. habeant, nec conſecrare Sacerdotes poßint, imò ne confirmare quidem niſi raro pauculos & furtim, vbi denique nihil habeant Epiſcopali dignum maieſtate quod agant;* quibus verbis ſatis apertè depingit Epiſcopum Chalcedonenſem, quo ſtatu eum in Anglia eſſe totâ Apologiâ Spongiâque decantauit; Nónne manifeſtè demonſtrat ſibi in animo eſſe non ſolùm Epiſcopum Chalcedonenſem in contemptum & contumeliam trahere, per eumque omnes omnis Eccleſiæ Epiſcopos, cùm *vnus ſit Epiſcopatus,* & *vnum collegium* Epiſcoporum, vt aiunt ſancti Patres; ſed etiam Pontificem maximum carpere, & odio fidelium Epiſcoporumque ſubiicere, quaſi Epiſcopum Chalcedonenſem in Angliam delegando, Epiſcopalis dignitatis rationem non habuerit, eique contumeliam intulerit, cùm Epiſcopus *in Anglia nihil habeat Epiſcopali dignum maieſtate quod agat.* His enim aculeis egregij Apologiſtæ, & Pontificij in Anglia regiminis defenſores, ſedem Apoſtolicam, Pontificemque eius inſeſſorem demulcere coguntur, quia ſine maximo eius contemptu Epiſcopum

Cypr. ep. 52. & 55. & 55. Aug. ep. 162

Chal-

Chalcedonenſem Epiſcopalemque dignitatem impetere nullo modo poſſunt.

Nos verò in Pontificis maximi veriſſimam defenſionem veriſſimè dicere poſſumus; Non alio, hoc eſt, non deteriore, ſtatu, eſſe hoc tempore Eccleſiam Anglicanam, quàm primis illis Eccleſiæ ſæculis omnes propemodum totius orbis Chriſtiani Eccleſiæ fuerunt, vt paulò pòſt vberiùs probabitur. Quare vel nunc rectè in Anglia conſtitui poſſunt Epiſcopi, vel per tot annorum centurias, quibus Eccleſia Catholica ſub primis perſecutionum tempeſtatibus gemuit, non potuerunt. Perſpicuum enim eſt, neque Apoſtolos, neque diu eorum ſucceſſores, iſtis Epiſcopalis dignitatis inſignibus, & velut appendicibus, quas Spongia enumerat, capitulo, veſte Epiſcopali, Conuentu, tribunali, liberè frui potuiſſe; maieſtatem verò Epiſcopalem nullam habuiſſe; cùm pompa nihil egiſſe, ſed furtim & clam, non ſolum ſacramentum Confirmationis, ſed penè omnia Chriſtianæ religionis miniſteria: Sacerdotes denique aut conſecraſſe nullos, aut conſecraſſe pauculos, & priuatim, & occultè, non palam. Pauciſſimi enim olim conſecrari ſolebant, vt patet ex illis ipſis actis Pontificum, quæ Breuiarium Romanum refert, vbi plures interdum Pontifices tres quatuorve Presbyteros conſecraſſe memorantur. Vnde patet multò illos magis eo tempore confirmandis fidelibus operam dediſſe, quàm Sacerdotibus ordinandis. Omnes enim, etiam in-

Vid. minist. in Octau. & paſſim Apologiſt. alios illius aui. Et infra ad ſeq. propoſ.

Conc. Laod. c. 48.

Digitized by Google

fantes, mox à lotione Baptiſmali, ſtabili ac perpetua Eccleſiæ lege confirmabantur, vt notum eſt, & plenius alibi diſſeretur.

Vnde Spongiæ inſcitia & temeritas facilè cernitur; prouidentia verò Pontificis maximi, & Epiſcopi Chalcedonenſis inſtitutio comprobatur. Nunc enim maximè Eccleſia Anglicana primam illam florentemque Chriſtianæ Eccleſiæ ſub perſecutoribus ætatem refert. Ibi religio renaſcenti & reuireſcenti ſimilis eſt. Plures illic Deo nunc fortè pariuntur, & parantur animæ, quàm cùm ibidem religio dominari videretur; vt Catholicorum vtriuſque regni Britanniæ plures confitentes audiuimus. Et quod D. Chryſoſtomus olim dixit, [a] Ethniciſmum floruiſſe quamdiu Imperatores fauentes habuit; ſimulatque eorum fauore nudatus eſt, corruiſſe: At Chriſtianiſmum creſcere illis aduerſantibus; ipſis verò fauentibus langueſcere: Id hoc tempore de veris, ac piis Britanniæ Catholicis, varias ærumnas perpetientibus dici poteſt: Non enim ſolùm [b] ſanguis Martyrum, ſed etiam perſecutio & toleratio martyrum, ſemen eſt

[a] *Chryſoſt. l. de S. Babyl. con. Gēt.* Ὅσοι τῶν Χριστιανῶν εὐγενείας πρὸς τὴν Ἑλλήνων αἰσχύνην τὸ μέσον; οἱ μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς τῶν ἱερῶν ἐπιμέλειαν ἐγκεχειρισμένοι, μᾶλλον δεσποτῶν, καὶ τῶν εἰδώλων τῶν αὐτῶν τοὺς βασιλεῖς θεραπεύουσι, διὰ τὸν ἐκείνων φόβον, καὶ τοῖς ξοάνοις αὐτοῖς παρεδρεύουσιν, ὡς τοὺς πονηροὺς δαίμονας τοῖς βασιλεῦσι χάριν ἔχειν τῆς εἰς αὐτοὺς τιμῆς &c. Ἀλλ' οὐ τά γε ἡμέτερα τοιαῦτα, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον. ὅταν μὲν γάρ τις ὁμολογῶν ἡμῖν ἐν τῇ περὶ τοῦ θεοῦ δόξῃ, ἐπὶ τὸν βασιλικὸν ἀναβῇ θρόνον, ῥαθυμότερα γίνεται τὰ Χριστιανῶν, τοσοῦτον ἀπέχει τοῦ ταῖς ἀνθρωπίναις ὀρθοῦσθαι τιμαῖς. ὅταν δέ τις κρατήσῃ δυσσεβής, καὶ πάντοθεν ἡμᾶς ἐλαύνων, &c. τότε εὐδοκιμεῖ, καὶ λαμπρότερα γίνεται τὰ καθ' ἡμᾶς, &c. *Hoc eſt*: Vide quantum diſtet Chriſtianorum nobilitas à Gentilium probro. Nam qui apud ipſos rerum ſacrarum curam gerunt, Imperatores colunt pluſquam dominos, & quàm idola ipſamet, quibus non niſi eorum metu aſſident, ita & peſſimi dæmones honorem quo afficiuntur, Imperatoribus acceptum ferunt. At non ea eſt rerum noſtrarum conditio, ſed planè contraria. Nam cùm in Imperatoriũ thronum conſcendit, qui nobiſcum in fide ac diuinitatis opinione conſentit; hîc ſegniores efficiuntur Chriſtianorum res: nedum humanis honoribus ſtabiliuntur. Rurſum cùm aliquis impius Imperator regnat, qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet, tum religio noſtra viget, & amplius inclareſcit, &c.

[b] *Tertul. Apol. c. 5.*

Chriſtianorum. Nec eos ſolùm martyres antiqua vocauit Eccleſia qui ſanguinem pro Chriſto fudiſſent, ſed etiam qui labores & ærumnas pertuliſſent. Talia ſoli Moliniſtæ non capiunt, apud quos facilior via ſalutis quædam fingitur, & religionis veræque pietatis propagatio, non altiſſimis, & inueſtigabili miſericordia refertis, & ab humano ſenſu remotiſſimis diuinæ prouidentiæ receſſibus, ſed in quadam externi rerum ſtatus imagine, & humanæ prouidentiæ proportione conſtituitur. In tali igitur Eccleſia, non minùs habebunt Epiſcopi quod agant, quàm trecentis vel amplus annis in primæua Eccleſia habuerunt. *Tert. de pud. c. 22. Cypr. ep. 9. Euſeb. l. 5. hiſt. ca. 1. in ep. Eccleſ. Gal. ad Eccl. Aſiæ & Phryg. Rom. 11. Cypr. ep. 9.*

Si Capitulo, ſi comitatu, ſi veſte Epiſcopali quotidiana careant: At nullus tantus Epiſcopalis ornatus, nullum tantum decus eſt, quàm martyrij purpura, quæ Epiſcopo in eiuſmodi regione conſtituto quotidie parata eſt, & imminet: Cuius purpuræ tantus ſplendor eſt, vt ſuum ab ea fulgorem flammaſque ſuas primorum Eccleſiæ procerum purpura ſub quadam velut imagine perpetua & prærogatiua martyrij mutuetur. *Idem ep. 4* Tum demùm enim Epiſcopalis dignitas ſuum culmen, veramque ſuam, vt cum Spongia loquar, *maieſtatem* aſſequitur, cùm Epiſcopus ad ipſum apicem extremumque finem charitatis elatus, ſupremi animarum noſtrarum Epiſcopi expreſſior imago efficitur, dans animam pro ouibus ſuis, ſicut Chriſtus pro omnibus dedit, vt in tanti operis, quod operum ipſius poſtremum fuit, & præcedentium quaſi cumulus, imitatione, Epiſcopalis miniſterij perfectio conſummaretur. *Ioan. 10. 11 2. Cor. 12.*

Ex quo fit, vt ſicut nulli Chriſtianorum populorum tam Epiſcopali ſubſidio indigent, quàm ij qui in medio perſecutionum æſtu voluuntur; ita nuſquam adeò ſpendidè ſuas partes, & ſuum decus Epiſcopalis dignitas obtineat: Et qui illam eo ſtatu ſitam, in eo ſtadio militantem, in eo lumine collocatam, ſpectaculum Deo & Angelis & hominibus effectam, contemptui eſſe, nihil Epiſcopali maieſtate dignum agere, veri honoris ſui detrimentum & contumeliam pati arbitratur; eum ego, quia quibus vocibus pro merito accipiam, non habeo, inimicum crucis Chriſti, Euangelij contemptorem, & à fundamentis euerſorem; fidelium omnium, eorumque, quibus aliquis Dei ſenſus eſt, conſcientiis execrandum committo.

Vid. Concil. Carth. 4. can. 15. 1. Cor. 4.

Rom. 1. 16. Philip. 3. 18.

PROPOSITIO OCAVA,

Ex cap. 4. n. 9.

Quod in tempore perſecutionis bonum non ſit, nec conueniens, nec vllum ſolatium Eccleſiæ habere Epiſcopum, cùm nullus publicus vſus ſit religionis.

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt falſa, temeraria, Eccleſiæ praxi contraria, eius bono nociua, ſummo Pontifici iniurioſa, eiuſque Breui pro Epiſcopo Chalcedonenſi manifeſtè repugnans, ac hæretica.

Digitized by Google

Quidam lapide canem petens, errante manu cum nouercam percuſſiſſet, dixiſſe fertur; ne ſic quidem ictum periiſſe. Richeriſtæ dum rigida Cenſura, cui non plus ſapidi liquoris, quàm lapidi inſit, authorem impetunt, ſanctum Victorem, & Epiſcopos Africæ congregatos, anathemate ſuo feriunt. An ex Caluiniano in ſanctos Patres animo dicent, ne ſic quidem Cenſuram immeritis incidere: vel hinc pateat quanti refert, qui libros Catholicorum obſeruant, ſemper lanternas habere apertas, *oculos intelligentiæ perſpicaces. Dico igitur Cenſuram hanc verbis contumelioſiſſimis conceptam, non cadere in ſententiam authoris, ſed in ſententiam S. Victoris, & Epiſcoporum Africæ congregatorum Carthagini, vt Epiſcopum ibi conſtituerent; cuius gratiam Hunnericus Rex Arianus Catholis fecerat. Lectis conditionibus, quibus Epiſcopum Rex impius indulgebat, Epiſcopi deprehenderunt rem doloſè agi, perſecutionem inſtare, & ideò creare Epiſcopum recuſarunt.* Quod edictum, (*inquit Victor*) cùm nobis præſentibus vniuerſæ Ecclesiæ legeretur, gemere cæpimus muſſitantes, quod à meditantibus dolos malorum eſſet futura perſecutio præparata, & ita legato dixiſſe probamur: Si ita eſt, interpoſitis his conditionibus periculoſis, hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere, gubernat eam Chriſtus, ſicut ſemper dignatur gubernare. *Iam vides, Lector, hanc ſententiam perſecutionis tempore, cùm nullus ſit publicus vſus religionis, Eccleſiam de Epiſcopo nec commodum, nec gau-* *De perſec. Vand. l. 2.*

dium habere, quam Richeriſtæ damnant vt authoris, non eſſe authoris, ſed S. Victoris, & Epiſcoporum Africæ, quam expreſſerunt facto, verbo : facto, *quia ingruente tam ſæua perſecutione* Epiſcopum *ordinare recuſarunt; quod non feciſſent, ſi perſecutionis tempore neceſſarium, aut ſummè vtilem putaſſent ;* verbo, *quia dicunt*, his conditionibus periculoſis, *nimirùm ex quibus ſæua perſecutio certiſſimè imminebat*, hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere.

Responsio.

De *lanternis*, & apophthegmatibus, & conuiciis tuis, remitto tibi lubens quam iure mereris caſtigationem; quia quæ tibi ex fœdis in hiſtoria quam refers lapſibus, inuretur pœna, tanta eſt, vt acerbior quæri non debeat. Quid enim hæream in abiecto illo, ac viliſſimo apophthegmate reuoluendo, in quo prima ſtatim ſpecie cernitur quàm abſonè S. Victorem, & Patres Africanos cum *nouerca* conferas; quàm argutè te ipſum cum *cane*, quod hieroglyphum iam ſæpius aſſumpſiſti, *mordacem moloſſum*, & *lupercalem canem* temetipſum indigetans? latras quippe inſtar canis, non *mordacis* ſolùm, ſed *mortui*, vt ſcriptura loquitur, dum celeberrimæ Facultati, Caluini Caluinianorumque toties damnatrici, errorum omnium hæreſumque, non hæreticorum tantùm, ſed etiam Catholicorum, tuorum inquam, ſociorumque tuorum, vindici, *Caluinianum in ſanctos Patres animum* obiicis. In te iſta vox, ſi te noſſes, in tuos, tuorumque præ-

Spong. pag. 2. & 8.

1. Reg. 24.

Digitized by Google

cipuos longè æquiùs conferenda fuerat, ſi in Catholicum quemquam coniici potuiſſet. Quàm enim improbè tuæ ſocietatis anteſignani, ſanctos Patres, non ſingulos, ſed vniuerſos, in vaſtis illis voluminibus quæ publicè profundere ſolent, lacerarint, & diffamauerint, ſi non Caluiniano animo, eo certè qui Caluinianis animos faciat, Catholicis debilitet, è Caluinianis ipſis ſcriptoribus, qui hanc audaciam Eccleſiæ exprobrare, & in ſuæ impietatis exemplum transferre cœperunt, perſpicere poteris, interea dum *ſanctorum Patrum Apologia* aduerſus ſcriptoris vnius veſtri longè apud vos laudatiſſimi criminationes & reprehenſiones iniquiſſimas, ab eximio quodam Theologo conficitur. De te quidem, Spongia, vix habeo quod conquerar; adeo enim SS. Patres, neque noſti, neque quicquam cum iis conſuetudinis habuiſti, vt quicquid in eos peccas, quod creberrimum, ac penè perpetuum eſt, magis temeritati natiuæ, & promiſcuæ hebetudini, quàm meditato contemptui apponendum videatur. Aperi modò *lanternas* tuas, quibus tantopere toto hoc opere delectaris, vt videas quàm continenter, ac turpiter in tota hiſtoriæ tuæ obiectione impegeris. Quamquam neque tibi in *lanterna* quicquam ineſt, quam quoties protuliſti, toties vacuam inuenimus: neque menda tua *lanternæ* luminis *ſpiculo* indigent, cùm ipſa *ſolis lancea*, vt cum Tertulliano loquar, deprehendantur. *Tertul. de pud. c.7.*

Nam hiſtoriam hanc de S. Victore & Epiſcopis

Africanis, ſine ſenſu, ſine luce, quaſi occluſis oculis, prolatam dicimus, vt indocti quibus ad libros aditus non eſt, hoc plaſmate attraherentur. Hiſtoriam, primò à quæſtione propoſita vndique alienam, nulla ex parte conuenientem probauimus; deinde ſi quid ex ea in rem, qua de agitur, deriuari liceat, contraria penitùs, & cum ſcopo Ieſuitico manifeſtè pugnantia, conſequi. Quo facto ſtupidam ſpongiæ fiduciam, ferociamque iocularem, explodendam lectori dabimus, & cæteras eius reliquias perſequemur.

Hiſtoriam ergo perperam prolatam, & à re alieniſſimam dicimus: Quia quæſtio hîc eſt de Epiſcopo dando Eccleſiæ, in *qua nullus ſit publicus vſus religionis*, vt in propoſitione damnata, & in ipſa Spongia ſcriptum eſt. At in Eccleſia Carthaginenſi, cæteriſque Eccleſiis Africanis publicus religionis vſus non deerat, cùm de eligendo Carthaginenſi Epiſcopo agebatur. Patet enim ex ipſis verbis legati Regij ad cœtum Epiſcoporum, & reliquam Eccleſiam Carthagine congregatam, liberam fuiſſe per Africam Chriſtianam religionẽ: *Vos hic*, inquit, *vel in alijs* Eccleſiis, *quæ in prouinciis Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium habetis in* Eccleſiis *veſtris miſſas agere, vel tractare, & quæ legis veſtræ ſunt, quemadmodum vultis facere.* Quare electus ſolemni ritu & conſecratus paulò poſt Epiſcopus, in thronum Epiſcopalem ciuitate exultante impoſitus fuit, & omnia religionis Catholicæ munia diu Carthagine obiit, editis etiam publicè

blicè miraculis, donec vnà omnes Africani Epiſcopi in exilium iuſſu regio compulſi fuerunt. Vel hinc explodere fas eſt obtuſam Spongiæ collectionem. *Iam vides, Lector, hanc ſententiam, perſecutionis tempore, cùm nullus ſit publicus vſus religionis,* Eccleſ*iam de* Epiſcopo, *nec commodum, nec gaudium habere, quam Richeriſtæ damnant vt authoris, non eſſe authoris, ſed S. Victoris, & Epiſcoporum Africæ, quam expreſſerunt facto & verbo.*

Dicet fortaſſis futuram fuiſſe perſecutionem paulò poſt, ita vt publicus vſus religionis aboleretur. Eſto interim. Tamen hoc ipſo rurſus quæſtio alia eſt, propoſitionem damnatam nihil attingens. Aliud enim eſt, an Epiſcopus ſit vtilis Eccleſiæ, vbi publicus vſus religionis iam euanuit: aliud, an in Eccleſia publici religionis vſus adhuc participe, Epiſcopum creari conueniat, ſi ex eius creatione perſecutio futura timeatur. Fieri enim poſſet, vt Epiſcopi creatio non tanti momenti videretur, vt amittenda propter eam Eccleſiæ tranquillitas, perſecutio ſubeunda eſſet: Et coorta tamen aliunde perſecutione creari Epiſcopum, qui laboranti Eccleſiæ ſuccurreret, magni ſolatij, & commodi, & momenti videretur. Quare ex eo quod Patres Africani Carthagine creari nollent Epiſcopum, cuius creatione Eccleſia ex pace in perſecutionem cõijceretur, (ſi hoc habeat illa hiſtoria, quod paulò poſt non habere docebimus) nunquam vllus homo, nedum Spongia, generatim inferre poterit, *Quod in tempore perſecutionis, cùm nullus publicus vſus*

ſit Religionis, bonum non ſit, nec conueniens, nec vllum ſolatium habere Epiſcopum.

Quid quod feruente cùm maximè Africana perſecutione, nuſquam vſus religionis publicus per omnem Africam deſiit, vſque ad vniuerſorum ſimul Epiſcoporum & Clericorum expulſionem, pluribus pòſt annis regio edicto irrogatam, vt ex Victore manifeſtum eſt? Quis ergo non videat hiſtoriam hanc omni ex parte temerè, futiliterq; produci, ad probandum Epiſcopum in perſecutione, *vbi nullus publicus vſus eſt religionis*, nec neceſſarium, nec vtilem eſſe?

Præterea obiectionis huius abſurditas & inutilitas inde patet, ſimulque præcipuus Ieſuitæ ſcopus euertitur, quia Victor nuſquam dicit ſe & Epiſcopos Carthagine congregatos Epiſcopũ Carthaginenſem creari noluiſſe, propterea quod perſecutionem, vel metuerent, vel præuiderent. Nuſquam hoc Ieſuita reperiet: & ſine eo tamen nihil aget. Imò nos poſtmodum contrarium ex hoc ipſo loco eruemus. Quod enim ait Victor, *interpoſitis his conditionibus, periculoſis hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere*, temerè interpretatur Ieſuita de *conditionibus ex quibus ſæua perſecutio certiſſimè imminebat*. Probatum enim oportuit, non dictum. Probari autem nec debuit, nec potuit melius, quàm ex illis periculoſis conditionibus ab ipſo Victore relatis, quas Ieſuita veteratoriè ſilet, ne quiuis intueatur, quàm à controuerſia in qua verſamur, manifeſtè abhorreant. Eas Hunnerici Regis Legatus expoſuit

Victor ib.

in hunc modum: Vt *noſtræ* (Arianæ) *religionis Epiſcopi qui in Conſtantinopoli ſunt, & per alias prouincias Orientis ex eius* (religionis Arianæ) *præcepto Epiſcopi, liberum arbitrium habeant in Eccleſiis ſuis, quibus voluerint linguis populo tractare, & legem Chriſtianam colere, quemadmodum vos hîc, vel in aliis Eccleſiis quæ in prouinciis Africanis conſtitutæ ſunt, liberum arbitrium habetis in Eccleſiis veſtris Miſſas agere vel tractare, & quæ legis veſtræ ſunt, quemadmodum vultis, facere. Nam ſi hoc circa eos non fuerit obſeruatum, tam Epiſcopus qui ordinatus fuerit, vel Clerici, ſed & alij Epiſcopi cum Clericis ſuis, qui in Africanis prouinciis ſunt, iubentur inter Mauros mitti.* Hinc videmus conditiones regias fuiſſe, vt Epiſcopi Africani Epiſcopũ Carthagine ea lege ordinarent, vt Arianos per Orientem Epiſcopos Eccleſiis, vnde Imperatorum legibus deiecti fuerant, reſtituendos, liberaque colendæ Arianæ religionis poteſtate donandos curarent. Alioquin, ipſi ſimul omnes, vnà cum conſecrato Epiſcopo, & cum omnibus Africæ Clericis, ad Mauros exulatum mitterentur. Quas conditiones meritò S. Victor, & cæteri Epiſcopi reſpuerũt, nec ſub iis Epiſcopum Carthagine conſecrandum putarunt, cùm eſſent conditiones nefariæ, diuina lege vetitæ, & in Catholicæ religionis, vel in Oriente, vel in Africa, vel vtrobique ſimul, ſubuerſionem, Arianorum fraudulentiâ compoſitæ. Minus enim damni erat Catholicæ religioni Eccleſiam Carthaginenſem ſuo Epiſcopo defici, quàm omnibus Orientis Eccleſiis Epiſcopos Arianos imponi. *Ibidem.*

Digitized by Google

Faciliùs denique Eccleſia Africana ſolius Eccleſiæ Carthaginenſis orbitatem & viduitatem patiebatur, quàm omnium paulò poſt Eccleſiarum Africanarum, atque adeò ipſius Carthaginenſis, ereptis non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam Clericis omnibus, ſolitudinem. Hæ nempe fuerunt illæ *conditiones periculoſæ*, quibus *interpoſitis*, ait S. Victor Eccleſiam Carthaginenſem *Epiſcopum nō delectari habere.* Hinc *malorum futuram perſecutionem* præuidebat, non ſolùm ſi eligeret Epiſcopum Carthaginenſem, ſed etiam ſi non eligeret. Sentiebat enim Arianos conditiones tam iniquas, & tam apertè minaces, nunquam edituros fuiſſe, niſi aliquam Eccleſiæ labem machinarentur; vt vel perſecutionem iam animis deſtinatam, arrepto prætextu exequerentur, ſi Epiſcopi conditiones regias abnuerent: Vel ſi eis aſſentirentur, tum ipſi, impletis per fallaciam Arianorū Epiſcoporum lue Orientis Eccleſiis, alias nihilominus agitandi Eccleſias Africæ occaſiones commentarentur: quod & fecerunt: Perſecutionem enim poſtea, non ob reiectas regis conditiones, neque ob ordinatum Carthaginenſem Epiſcopum, ſed fictis aliis rationibus, & cauillis concitarunt. Quem eorum animum, atque hos hæreticam vafritiem *meditari dolos*, vir diuinæ plenus prudentiæ Victor, cum collegis Epiſcopis ex ipſa atrocium conditionum propoſitione intuens, non dixit ſe metuere perſecutionem, ſi Epiſcopum eligeret; ſed omninò iam *futuram perſecutionem præparatam eſſe*, quam nimirum vllo pacto effugere difficile arbi-

Timere cœpimus muſſitantes, quòd à meditantibus dolos, malorum eſſet futura perſecutio præparata. *Vict. ib.*

traretur. Quod autem negauit Eccleſiam *his conditionibus propoſitis* Epiſcopum cupere; ideo fecit, quia quoquo modo conditiones illæ probari non potuerunt, nec ſub iis Epiſcopus conſecrari. Non enim quacumque ratione Arianam hæreſim in Oriente releuare fas fuit,& Orientis Eccleſias Arianis Epiſcopis mancipare. Non ſolùm Epiſcopi Carthaginenſis conſecratio, ſed etiam res quælibet, quantumuis ad religionis Chriſtianæ bonum, atq; ad ſalutem neceſſaria, reijcienda fuerat, ſi tali conditione offerretur. Nunquam enim quacumque de cauſa peccare conceſſum eſt; & cùm duo præcepta diuina, quorum alterum negatiuum, alterum poſitiuum eſt, concurrunt, & conflictantur; negatiuum vincat, poſitiuum amittatur, neceſſe eſt. Negatiuum enim non ſolùm ſemper, ſed etiam in perpetuum, ſiue vt loquuntur Scholaſtici, *ſemper & pro ſemper* obligat: Poſitiuum verò, *ſemper* quidem, non *pro ſemper*, ſed pro rerum temporumque varietate multiplici. Si enim baptizari nequeas, niſi vt hæreticum te fore, vel hæreſin propagaturum eſſe pollicearis, debes non baptizari: mortem potius ſuſcipias, quàm baptiſmum, neceſſe eſt. Nec ideo tamen vtilitas, neque verò neceſſitas baptiſmi perit. Similiter S. Victor & Epiſcopi Africani Epiſcopum Carthaginenſem conſecrare non potuerunt ea lege, vt ſponderent ſe hæreſim Arianam & Epiſcopos Arianos in Eccleſias Orientis immiſſuros, quia lex diuina vetabat: nec ideo tamen efficitur, vt non eo ipſo tempore

Digitized by Google

vtiliſſimum eſſet, & neceſſarium, & diuina lege præceptum, vt Eccleſiæ Carthaginenſi ſuus Epiſcopus præficeretur. Ita manifeſtiſſimè liquet nihil eſſe dijunctius, & alienius quàm exemplum hoc à quæſtione propoſita, & à materia propoſitionis damnatæ: vt mirum ſit Ieſuitam in re adeò perſpicua tantopere cæcutire potuiſſe. Imò hoc ipſo Epiſcoporum Africanorum exemplo facile eſt liberare culpa, & à reprehenſionibus quas Moliniſtæ finxerunt vindicare præteritam Pontificum Maximorum adminiſtrationem Eccleſiæ Anglicanæ, cui Epiſcopos, cùm Ieſuitarum relationes & narrationes veras crederent, præficere, quamuis diuina lege præcipiente, non potuerunt. Notum enim eſt, Pontificibus in iis quæ ſunt facti fraudes innecti poſſe (qua de re illi ipſi iam olim conqueſti fuerunt) præcipuè ab iis qui virtutis & integritatis eximiæ ſtudium profiteantur; quibus, niſi rebus apertiſſimè deprehenſis, fides abroganda non eſt. Quod ſi nunc Britanniæ Rex talem Catholicis Anglicanis optionem faceret, qualem olim Afris Hunnericus, vt nimirum Catholicum Epiſcopum Londini ea lege palam conſecrari permitteret, vt ipſi viciſſim hæreſi, & miniſtris Caluinianis, aut Lutheranis aditum in Italiam, & in vrbem Romam, publicamque hæreſeos profeſſionem à Romano Pontifice impetrarent; meritò reſponſione illa S. Victoris vterentur: *Interpoſitis his conditionibus periculoſis hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere.* Atque hinc ſatis opinor, demonſtratum eſt, hiſtoriam &

exemplum Epiſcoporum Africæ, à Ieſuitæ propoſito longiſſimè diſcrepare.

Supereſt vt etiam demonſtremus, quemadmodum inſtituimus, hinc potius errorem Ieſuiticum confutari, & Epiſcopalis conſecrationis vtilitatem, vrgente etiam perſecutione, comprobari. Nam S. Victor & Epiſcopi Africani, etiamſi *malorum futuram perſecutionem præparatam eſſe* viderent, nihilominus Eugenium virum ſanctum, inuicto populi zelo annuentes, Epiſcopum Carthaginenſem ordinarunt. Igitur ſententiam hæreſimque Ieſuitæ non *expreſſerunt facto*, vt Spongia ſtolidiſſimè ait, ſed aperto facto refellerunt, clariſſimaque actione Epiſcopum eligendo & conſecrando, docuerunt Epiſcopi conſecrationem, etiam cùm perſecutio paulò poſt futura videatur, in ſolamen commodumque Eccleſiæ eſſe poſſe. Nam quod Epiſcopum elegerint & conſecrauerint, cùm perſecutionem imminere putarent, ex verbis S. Victoris antepoſitis manifeſtum eſt. Quod verò id commodè fieri poſſe putauerint, ex hoc ipſo manifeſtum eſt, quod fecerunt, nam vehementi illo populi ſtudio, de quo Victor ait, libertas iis & arbitrium ſtatuendi quid è re totius Eccleſiæ, non modò Carthaginenſis, ſed etiam Africanæ cenſerent, nequaquam auferebatur. Quare ſi zelum vel inutilem, vel etiã pernicioſum Eccleſiæ, quòd ex eo immanis paulò poſt perſecutio oritura crederetur, exiſtimaſſent; ipſorum muneris fuerat, quippe rectorum, paſtorumq; Eccleſiæ improuidæ multitudinis impetum

in gyrum rationis reflectere, vel ſi indomitus videbatur, contemnere. Quem tamen impetum ſanctus Victor adeò non reprehendit, nec improbat, vt clarè probet & laudet, dum eius ipſius populi, ordinato Epiſcopo, gaudium & exultationem depingens, *Ordinato*, inquit, *Epiſcopo Eugenio, viro ſancto, Deoque accepto, ſublimis nata eſt lætitia, & gaudium cumulatum eſt Eccleſiæ Dei. Exultat multitudo Catholica ſub barbara dominatione de ordinatione Pontificis reparati*, &c. Quæ verba gratulantis & exultantis ſunt, non dolentis, aut improbantis. Vt immanis quædam videatur Ieſuiticorum oculorum peruerſitas, qua hoc potiſſimum exemplum ſelegit, vt Epiſcopi dum perſecutio imminet, conſecratio nec gaudium, nec ſolatium Eccleſiæ afferre probetur. Huc adde laudes eximias, quibus ſanctus Victor tum ordinatum Epiſcopum, tum populum, qui eum ordinari petierat, afficit; chariſmatum etiam & gratiarum vim, quibus ſub eo Paſtore Eccleſiam Carthaginenſem donatam fuiſſe teſtatur. Nam vt Epiſcopi virtutes & miracula ſileam, quibus eam ordinationem cõprobrare & decorare voluit ipſe Deus; ſcribit idem Victor, tantos fuiſſe Carthaginenſis populi virtutum gratiæque prouentus, vt cùm Ariani Antiſtites incredibili noui Epiſcopi Eugenij fama ſtimulati, acerbam in Catholicos Carthaginenſes perſecutionem inueherent, nulli frangi potuerint, omneſque velut Eccleſiæ cœlique columnæ, immobiles perſtiterint: *Eorum nos*, inquit, *plurimos nouimus, nec ſcimus eorum aliquem, tunc etiam pœnis vr-*

gentibus

Digitized by Google

gentibus à recto itinere deſtitiſſe. Et tamen Ieſuita hinc probandum ſuſcipiet, Epiſcopi in perſecutione ordinationem, nec gaudio, nec ſolatio, nec vtilitati eſſe Eccleſiæ? Et hoc vno loco notam hæreſeos ſibi iure impactam elui poſſe ſperabit? ô Spongiam nihil hæreſibus ſuis aſpergentem niſi ſtupores; in tanta *aceti* illius, quo ſe *plenam* iactat, acrimonia, tantum inſulſitatis vomentem! *Spong. p. 157*

Patet igitur luce clarius, Eugenij Epiſcopi ordinationem ſummo gaudio, ſolatio, gratia, Carthaginenſem Eccleſiam cumulaſſe; S. Victoris & Epiſcoporum Africanorum, tum *facto*, tum *verbis*, nec humanæ ſolùm, ſed diuinæ etiam authoritatis teſtimoniis, ratam confirmatamque fuiſſe. Itaque priores illæ voces, *Interpoſitis his conditionibus periculoſis hæc Eccleſia Epiſcopum non delectatur habere*, eò pertinuerunt, vt S. Victor, & collegæ Epiſcopi palàm exertéque teſtarentur, conditiones regias ſibi nefarias videri, ſeque planè malle nullum ordinari Epiſcopum, quàm vt eas accepiſſe putarentur. Qua re declarata, cùm Legatus regius reſponſionem eorum, ſeu, vt Victor loquitur, *ſuggeſtionem*, accipere negligeret, neque tamen obſiſteret ordinationi, ſed liberam relinquere videretur; ſimulque populus vna voce, clamore conſtantiſſimo, Epiſcopum flagitaret; inſigni populi Catholici voluntati; quaſi diuinæ voci, nemine aduerſante, obſequendum putauerunt Africani Patres, vt viduæ tot ab annis Eccleſiæ ſuum ex Chriſti inſtitutione Epiſcopum, futura quam metuebant perſecutione

Digitized by Google

diuinæ prouidentiæ permiſſa, ſubrogarent. Has enim duas rationes ſparſit obiter S. Victor, ne Epiſcopi ordinato Eugenio conditionibus nefariis paruiſſe crederentur: Primùm, quòd Legatus regius eorum reſponſione neglecta, nec impedita tamen ordinatione, cônditionem viſus eſſet remittere, quaſi rex tentandi ſolùm euentus gratiâ eam proponi voluiſſet: Deinde, quòd populus inexorabili zelo ordinationem vrgeret, vt eius potius pio ſtudio, quàm regiæ impietati ordinatores Epiſcopi morem gerere cenſerentur. *Quam ſuggeſtionem*, inquit, *Legatus accipere neglexit. Simul & populus, vt tunc fieret, vt ignis exarſit, cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla poſſet ratione ſedari. Ordinato itaque Epiſcopo Eugenio viro ſancto, Deoque accepto, ſublimis nata eſt lætitia, & gaudium cumulatum eſt Eccleſiæ Dei.* Satis patet, duas illas rationes Eugenij ordinationi à S. Victore præmitti, quaſi ad purgandum factum Epiſcoporum; & deinceps ordinationem velut digniſſimam, Deo acceptam, Eccleſiæ lætabilem & optatiſſimam celebrari. Ac profectò perſecutioni, quæ deinde coorta eſt, ordinatio illa, nec cauſam, nec occaſionem dedit. Nunquam enim Victor ait, Regem propter ordinatum Eugenium, ſed variis aliis de cauſis, Eccleſias Africanas exagitaſſe, imò poſtremos omnium Eugenium, alioſque Epiſcopos inuadere auſus eſt, Arianis ipſis Epiſcopis, vbi in eos quippiam edicere parabat, furorem cohibentibus, & hoc modo monentibus, *ſi iſtud firmauerit præceptio veſtra, noſtri Epiſcopi in.*

Digitized by Google

partibus Thraciæ, & aliis regionibus conſtituti, peiora incipient pati. Quo factum fuit, vt in ſummo ſæuitiæ furore, quo populum Catholicum promiſcuè lacerauit, Eugenius, vt Primas Africæ, & Epiſcopi alij, ſumma pace fruerentur; donec ſimul omnes paucis pòſt annis in diuerſa relegati, iis pœnis, quas Ariani antiſtites in Oriente perferebant, ſubiecti fuerunt, quæſitis magis à republica, quàm à religione coloribus, *quia regnum filij Domini noſtri non optaſſent.* Arguebantur enim optaſſe vt Hunnericus Rex ſine Regni hærede moreretur.

Hæc paulò pluribus proſequi coacti fuimus, vt Ieſuiticæ mentis in hiſtoriæ huius productione præpoſtera & veternoſa temeritas clareſceret, multa interim alia falſa & inepta omittentes, ne longitudinem non neceſſariam quæſiiſſe iudicemur, quibus hiſtoriam hanc in Apologia inquinauit, quæ alibi commodiùs diſpungentur. Maneat igitur nota hæreſeos iure inuſta, malè negata, indignè, ſtupidéque repulſa. Spongia ſe norit tam ad eluendas cenſuræ notas imparem mentis ac veritatis inopia; quàm ad eluendos errores ſuos, inopia modeſtiæ & ſimplicitatis.

SPONGIA.

At author hanc Patrum ſententiam approbat. Certè quidem, non enim à iudicio tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum, & prælatorum diſſentire debebat; ſic tamen probat, vt explicet, & ſex limitationibus diſtinguat, nimirum intelligi, 1. non de Eccleſia vniuerſali, ſed par-

ticulari vnius ciuitatis, aut [a] *gentis.* 2. *De Eccleſia quæ perſecutionis tempore Sacerdotes ſine proprio Epiſcopo copioſè* [b] *habeat.* 3. *De perſecutione tam ſæua, vt non ſit tribunali, aut ſceptro Epiſcopali* [c] *locus.* 4. *Vt nulli publici conuentus, ad quos Catholici vnius ciuitatis promiſcuè conueniant, fieri* [d] *poſſint.* 5. *Quod Epiſcopus cogatur in domo priuata furtim reſidere ſine Eccleſia, ſine capitulo, ſine ſtatu* [e] *Epiſcopi.* 6. *Vt hæc difficultas & indignitas quoad Epiſcopum non ſit à caſu paulò poſt rem..uenda,* ſed ſtata & fixa, *vt ex propinquo nulla ſpes meliorum temporum* [f] *affulgeat. Perſecutione ita ſæuiente in vna gente nullum eſſe cenſent Africani Patres. ab Epiſcopo commodum*, nec proferri poteſt ex antiquitate Epiſcopi in his circumſtantiis conſtituti, vel vnum exemplum.

a *Cap. 4. n. 2. p. 118. lin. 25.*
b *Ibid. n. 3. pag. 119.*
c *Ibid. n. 4. pag. 120.*
d *Ibid. & n. 3.*
e *Ibid. n. 3.*
f *Ibid. n. 3.*

Responsio.

Nihil eſt quò imperita audacia non progrediatur. Iamque mirari deſino, ſæpè Catholicos ad antiquitatis Eccleſiaſticæ authoritatem ab hæreticis, qui ea non tam premuntur, quàm præfocantur, inſigni verborum temeritate prouocari. Etſi enim conditiones, quibus Ieſuita hæreſim ſuam inuoluit, voluntariæ, fictitiæ, ad errorem fulciendum compoſitæ ſint, tamen adeo ſunt imperitè, & infeliciter excogitatæ, vt Eccleſiæ antiquitatem, non vno, ſed cunctis propemodum capitibus, concutiant, & ab homine, vel tenuiſſima veterum Eccleſiæ ſæculorum cognitione imbuto, deſpui mereantur. In primis, ne longè abeam, hoc eodem Eccleſiæ Afri-

Digitized by Google

canæ, quod in manibus eſt, exemplo, doctrinæ iſtius peruerſitas, conditionum inanitas, conuincitur. Fieri enim non potuiſſe, vt Africani Patres cõditionum iſtarum rationem habuerint, vel inde manifeſtum eſt, quia Eccleſia Carthaginenſis, quo tempore de creatione Epiſcopi agi cœpit, publicos conuentus populi ad Eccleſias publicas habebat, vt ſuprà declarauimus, & ex eo etiam declaratur quòd iam à Genſerico Hunnerici patre paulò ante obitum redditas fuiſſe Catholicis Carthaginenſibus Eccleſias, & publicum cultum religionis Catholicæ Zenone Imperatore deprecante, idem Victor author eſt. Et ordinatus Epiſcopus Eugenius publicam ſui muneris functionem, & tribunal Epiſcopale Carthagine habuit, etiam tum cùm perſecutio ſæuiſſimè fureret; atque adeo non cogebatur in priuata domo furtim ignotuſque latitare, vt ex Victore toto ſecundo & tertio libro ad oculum patet. Præterea etiamſi Eccleſia Carthaginenſis ſufficientes haberet Sacerdotes, quando Eugenius creatus fuit Epiſcopus; tamen, perſecutione poſtea ingraueſcente, non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam Sacerdotibus & Clericis omnibus, ita demum orbata eſt, vnà cum cæteris vniuerſæ Africæ Eccleſiis, vt ſi qua vnquam fuerit perſecutio, in qua vlla Eccleſia Sacerdotibus, ac proinde Epiſcopis ad eos conſecrandos, indigere videretur, ideo tempore Eccleſiæ Carthaginenſi, aliiſque totius Africæ negari non poſſet. Quare ſecundum principia, & conditiones à Spongia poſitas, imminente potiſſimum eiuſ-

Vict. lib. 1. in fin.

Digitized by Google

modi perſecutione Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſi ordinari debuit, præcipuè cùm Regius Legatus apertè comminatus fuiſſet omnium, non ſolùm Epiſcoporum, ſed etiam Sacerdotum & Clericorum Africæ expulſionem, niſi conditionibus à Rege propoſitis pareretur. Ita nihil diſiunctius & alienius à Ieſuitæ propoſito, nihil aptius ad commentitiam eius doctrinam, quoad omnes propemodum quas præſcribit conditiones, refellendam fingi potuit., quàm Carthaginenſis ordinationis exemplum, ad quod ille tamen quaſi ad vnicum ſuæ hæreſeos præſidium adhæreſcit.

Quod ſi ad pleniorem illius euerſionem, Eccleſiæ veteris conſuetudinem, ſtatum intueamur, nihil in eo crebrius, quàm illuſtres iugulatæ huius hæreſeos notas reperiemus. Certum enim & perſpicuum eſt, nullas vnquam in Anglia extitiſſe perſecutiones, quantumuis acerbas, quæ cum iis quàs Eccleſia primæua pertulit, conferri debeant. Nec refert quòd Chriſtiani nihilominus ad ſynaxes, & Eccleſiaſticos cœtus in medio perſecutionum æſtu, plerumque conuenirent; quia id non perſecutorum lenitati, ſed ipſorum conſtantiæ & fortitudini tribuendum eſt. Nam plerumque in ipſis illis conuentibus vniuerſi opprimebantur, vt non ſolùm hiſtoriæ, ſed etiam Apologiæ veteres docent. Talem autem conueniendi poteſtatem, quæ periculo capitis ematur, neque Anglis perſecutiones, quas paſſi ſunt, neque vllis Catholicis vllæ vnquam perſecutiones auferre poterunt. Nec refert iterum,

Tertull. Apol. c. 7. Quotidie obſidemur, quotidie prodimur: In ipſis plurimum cœtibus, & cõgregationibus noſtris opprimimur.

quod perſecutiones illæ videantur, non ita fuiſſe longæ, ſed intra pauculos annos euaneſcere conſueuiſſe. Quia id quidem verum eſt de ſæuitia extraordinaria, & maiore quodam impetu perſecutionum, quæ ſtatis quodammodo temporibus velut maris tempeſtates intumeſcebant, ideoque celerius ex more rerum violentiſſimarum, quæ diuturnæ eſſe nequeunt, dilabebantur. Quamquam illi ipſi acriores perſecutionum turbines non adeo celeriter præteruolare ſolebant, quin ad plurium interdum annorum ſpatia manerent, vt liquet in primis ex ſæua illa Diocletiani & Maximiani perſecutione, quæ viginti vel eo amplius annos Eccleſiæ incubuit. Ac nihilominus Epiſcoporum ſeries, & ſucceſſio ab initio inchoata, non in ſingulis ſolùm gentibus, ſed in ſingulis etiam ciuitatibus, quamuis innumeri paſſim Antiſtites raperentur ad mortem, inconcuſſa permanſit. Sed tamen etiam falſum eſt, vbi tempeſtates illæ vehementiores effluxerant, Eccleſias recepiſſe plenam pacem, aut ea maiorem, qua nunc Catholici in Anglia, potiuntur. Erant enim etiã tunc non minus quàm in Anglia leges perpetuæ in Chriſtianos vniuerſos, multò etiam ſeueriores quàm ſub quibus Catholici Angliæ vitam degunt. Non enim ſolùm Epiſcopi & Sacerdotes, vt in Anglia, ſed minimi etiam laici, earum legum iudicio rei erant maieſtatis, imperii hoſtes, & omnibus omnium contumeliis, & inimicorum iniuriis in dies ac momenta obnoxii, vt ex Apologiis, earum legum iniquitatem to-

Ab anno Chriſti 286. ad annum 306. Vid. Baron.

ties expoſtulantibus, perſpicuum eſt. Neque ſolum magiſtratus Chriſtianis pertimeſcendi erant, ſed æquè, vel etiam magis, ipſum vulgus infidelium, vndique paratum & ardens in ſanguinem, & ſpolia Chriſtianorum, quos impunè ex prauo quolibet affectu, ad tribunalia & ad pœnam trahere poterant hoc ſolo crimine oppoſito, quòd ſe Chriſtianos confiterentur, vt patet vel ex illo decreto Trajani, ſatis in eos pro cæterorum crudelitate manſueti, quo puniri iuſſit oblatos, etſi eorum multitudine deterritus, neminem perquiri præciperet. Quare conuentus eorum non palam, neque liberè fiebant, ſed noctu & furtim in cryptis martyrum, aut locis aliis ſecretioribus, non ſolùm in perſecutionibus, ſed etiam in pace & tranquillitate, quæcunque per ea tempora eſſe poterat. Patet ex nota illa Plinii Secundi epiſtola ad Trajanum eundem Imperatorem, vbi Chriſtianorum mores & conſuetudinem ſub eius imperio, cùm nulla grauior perſecutio eſſet, referens, *cœtus antelucanos* commemorat ad quos illi coïre conſueuiſſent. Quod etiam declaratur obiectione illa vulgari, ab Apologiſtis omnibus commemorata, qua dicebantur in tenebris inceſta miſcere, & infanticidiis initiari. In eo igitur rerum ſtatu, nec publico religionis cultui, nec publicis conuentibus, nec tribunali Epiſcopali plus loci erat, quam nunc in Anglia. Nemo ad Epiſcopale obſequium cogi poterat. Nemo obtemperabat, niſi quantum voluntate libera, & timore

Vid. Tertull. Apol. c. 4. & 5. &c. Quoties in Chriſtianos deſæuitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quoties etiã præteritis vobis ſuo iure nos inimicum vulgus inuadit lapidibus & incendiis? Ipſis Bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, &c. *Tertull. Apol. c. 37. Plin. l. 10. ep. 103. Iuſtin. Apol. 2. Minut. in Octau. &c.*

Dei

Dei mouebatur, vt facile intellectu eſt ex tot hæreſibus quæ Eccleſiam per ea tempora impunè lacerauerunt. Sacerdotum quoque copia non magis per Eccleſiam deerat, quàm nunc in Anglia deſit; & nemo non videt, ſine tanto illo Epiſcoporum Africæ numero, qui ad Concilium, quod Diuus Cyprianus Carthagine habuit, confluxerunt, ſufficientes Eccleſiis Africæ Sacerdotes potuiſſe ſubminiſtrari. Idem iudicium eſto de Epiſcopis Italiæ, Græciæ, Galliæ, Orientis, aliarumque regionum, quarum ſingulis vrbibus ſuos Epiſcopos ab initio prædicationis Euangelij præfuiſſe, ſupra ex Patribus & Conciliorum decretis oſtendimus. Quæ tanta Epiſcoporū propagatio cùm ad copiam Sacerdotum ſuppeditandam minimè neceſſaria eſſet, aliud cauſæ habere debuit: nempe, quod antè declarauimus, vt in ſingulis Eccleſiis ſingularū vrbium ambitu comprehenſis perfecta religionis & cultus diuini ſocietas, ſuis membris & capite completa, cui præſideret Epiſcopus, à quo vt à fonte omnis actio, & poteſtas Eccleſiaſtica in Eccleſiis particularibus manaret, ſicut à Chriſto inſtitutum eſt, collocaretur. Sicut enim Apoſtoli in componendo rei Eccleſiaſticæ ſtatu ac regimine, proprias cuiuſque regionis diuiſiones ſecuti, ne reſ publica Eccleſiaſtica à ciuili republica diſcrepare vel abhorrere videretur, primarias & Metropolitanas Eccleſias in iis ciuitatibus conſtituerunt, quæ iam prouinciarum quarumque capita ſeu Metropoles reperiebantur: Sic in locis vbi propria ſeor-

Vid. Concil. Carth. apud Cypr. quod fuit Epiſcoporum 87.

Εἰ δὲ καί τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω· *hoc eſt,* Si qua vero ciuitas poteſtate Imperiali nouata eſt, aut ſi protinus innouetur, ciuiles diſpoſitiones & publicas, Eccleſiaſticarū quoque Parochiarum ordines ſubſequantur. *Conc. Chalc. can. 17.*

ſum ciuium corpora, ſeu ciuiles cœtus, ſeu ciuitates, iam conditæ fuerant, ſingula etiam Eccleſiarum particularium, ſeu ciuitatum Eccleſiaſticarum, corpora condiderunt, vt ciuilium rerum ordini diuinarum rerum ordo congrueret, & vterque ab eodem Deo exiſtere probaretur, ſicut docet Apoſtolus. Valeat igitur Ieſuitæ hæreſis; valeant 13. fictitiæ conditiones, non fictæ ſolùm, ſed malè fictæ, pr[illegible] infeliciter, & improbè, cùm eius hæreſim niſi re[illegible] Eccleſiæ [illegible]â, & conuulſâ funditus Apoſtolorum & Ec[illegible] [illegible]quæ diſciplinâ, ſtabilire non poſſint.

De prima [illegible]men conditione, qua Eccleſiam vniuerſalem excipe[illegible] ſe ait, & de particulari tantum ciuitatis aut gentis vnius Epiſcopo loqui, ſpeciatim monendum eſt, cu[illegible]m in hac conditione, non voluntario ſolùm, vt in a[illegible]liis, & temerario errore peccare, ſed etiam adulatione ac metu, ne Pontificis maximi authoritatem, & digni[illegible]atem ſubruere videatur, quam errore ſuo perinde vt Epiſcopalem, ſubuerti videt. Si enim Epiſc[illegible]opalis dignitas, & iuriſdictio Eccleſiæ particulari e[illegible]ientialis, & neceſſaria non ſit, quando abeſt cult[illegible]s externus religionis, & adſunt ſufficientes Presbyteri; quia videlicet Eccleſiarum particularium regimen à Preſbyteris ſuppleri poſſit; cur neceſſaria erit in eodem rerum ſtatu Pontificalis dignitas, cùm ſimiliter Eccleſiæ vniuerſalis regimen à Preſbyteris ſuppleri poſſit, & ſæpe ſuppletum fuerit, & Sede vacante etiamnum ſuppleatur? Hæc profectò vis eſt hæreſeos Ieſuiticæ, hoc telum er-

roris impij, quod neque Spongia, neque Ieſuitæ vllis vnquam inuolucris ita tegent, quin emineat, & erumpat, & in Apoſtolicam Sedem per Epiſcoporum latus, niſi Dei & Eccleſiæ prouidentia ictum maturiùs auerterit, tandem adigatur.

SPONGIA.

Quod vrgent Breue Apoſtolicum, quo conſtitutus eſt Epiſcopus Chalcedonenſis, contra ſe faciunt: nihil enim æquè ac illius inſtitutio illo tempore conuincit ſummos Pontifices ſenſiſſe ſemper, & ſentire non expedire pro ſtatu perſecutionis Anglicanæ Epiſcopum conſtitui. Angli quippe Catholici cùm ſexaginta annis Epiſcopis caruiſſent, tandem conſtitutus eſt Epiſcopus Chalcedonenſis, ſed quo tempore? nimirum non antequam perſecutio ceſſatura penitus diceretur, & iam magna ex parte ceſſaſſet, ſpe matrimonij Hiſpanici quod tractabatur. Nec vllus ignorat, modernum Epiſcopum Chalcedonenſem, non pro tempore perſecutionis inſtitutum, ſed in tempus pacis & quietis quæ ſperabatur futura, matrimonio Gallico conſtituto, vnde qui perſecutionis maximè tempore neceſſarium Angliæ Epiſcopum dicunt (vt dicit profectò Kellyſonus) ſummorum Pontificum praxi è diametro ſe opponunt. Nam quem dare Epiſcopum vrgente perſecutione conſtanter tot per annos recuſarunt, affulgente certiſſima ſpe pacis dederunt. Iam, opinor, ſereno ſub cœlo ſumus. Nam tempeſtas omnis, Cenſurarum fulminibus intermixta, falſæ, temerariæ, Eccleſiæ praxi contrariæ,

ſummo Pontifici iniurioſæ, hæreticæ doctrina, ab Anglia in Africam auerſa eſt: S. Victorem & Carthagine congregatos Epiſcopos cum Clero petit, qui flatus hos Richeriſticos ne flocci quidem faciunt.

Responsio.

Adeone floccis & flatibus tibi caput tumidum eſt, vt tantas ineptias, tam ridiculas, tam volaticas, Pontifici maximo iam propriè contumelioſas, quemquam audire arbitreris? Dimitte Africam, dimitte S. Victorem, à quo te iam toties diuellimus. Transfreta in Italiam: Ades ad Pontificem, cuius numen floccifacis, vt expoſito dedecore, quo eum onerare cogeris, vt te ipſum tuearis, non Pariſienſium Cenſurarum fulminibus, non Richeriſticis flatibus, ſed Romano anathemate, & Pontificiæ vocis oraculo præfracta & ſuperba, & Moliniſtica tua frons conteratur. Enimuerò iniurium & indigniſſimum Pontificiæ prudentiæ grauitate eſt, vel exiſtimare, vel dicere, ſanctiſſimum Vrbanum VIII. cùm Epiſcopum Chalcedonenſem in Angliam miſit, ſperauiſſe omnes eas conditiones, quas Ieſuita exigit vt Epiſcopus ſapienter, & vtiliter Eccleſiæ particulari præficiatur, in Eccleſia Anglicana continuò futuras. Speraſſe nimirum, non ſolùm perſecutionem deſituram (neque enim ſatis eſt Ieſuitæ perſecutionem deſinere, ad commodam Epiſcopi ordinationem) ſed etiam publicum vbique religio-

nis Catholicæ vſum fidelibus Anglicanis conceſſum iri, itavt reſtituerentur Eccleſiæ, templa publica, tribunalia Epiſcoporum Catholicorum, dignitas & ſolemnitas omnis Catholica & Epiſcopalis; ſine quibus omnibus Ieſuita negat eſſe in rem, aut vtilitatem, aut ſolatium Eccleſiæ, aut etiam in honorem dignitatis Epiſcopalis, ſuum Eccleſiæ cuipiam Epiſcopum deſtinari. Atque hæc omnia ſpe certiſſima ſperaſſe pro ſua prudentia & ſapientia Pontificem, & ſperaſſe ita certò hoc ſolo quo de matrimonio Hiſpanico, vel Gallico, cum Rege Angliæ agi audierat, etiamſi matrimoniis illis omnes eiuſmodi conditiones nec adhiberentur, nec vllius hominis iudicio ita adhiberi poſſent, vt ſpes, aut certiſſima ſpes, impetrandi affulgeret. Non pudet petulanter agere in Chriſti Vicarium, eiuſque prouidentiæ maturitatem in contemptum hominum, & in ludibrium trahere, ne Spongiæ deſit quod ad veriſſimas Facultatis Pariſienſis reprehenſiones reſpondeat? ſiccine Pontificis maximi exiſtimatione abuti ad ſua commoda Moliniſtas ceruicoſos fas eſt, etiam tum cùm ſedis Apoſtolicæ Apologias ſimulatis iactationibus crepant? Ea enim Pontificem *ſpe certiſſima* non ſperaſſe aiunt, ſed penitus confidiſſe, quæ Catholici vix tenuiſſimis votis adhuc optare auſi fuerunt, & quorum vel dimidiam partem eo ipſo tempore in ſummi beneficii loco accepiſſent; Atque ob rerum tantarum ſpem adeò remotam & minimè probabilem, grauiſſi-

cultatis Pariſienſis, & Antiſtitum Galliæ in iſtam peſtem fulgura Pontificium in eandem fulmen prænunciaſſe & elicuiſſe comprobentur.

PROPOSITIO NONA.

Ex cap. 5. n. 13.

Licet obligatio iuſtitiæ, quam intrant Curati, ſit ſtrictior, & maioris obligationis quoad peccatum, tamen obligatio charitatis, obedientiæ, & religionis, qua religioſi ſe obligant ad iuuandas animas, eſt altior, excellentior, & maior quoad meritum; præſertim quia tenentur ex ſtatu laborare in meſſe animarum puriori intentione, & liberiori à terrena mercede, quàm ſeculares Sacerdotes tenentur, qui non laborant ſine ſtipendio.

CENSVRA.

Iſta propoſitio, inquantum à vinculo quo obligantur Curati, excludit charitatem, falſa eſt, temeraria, & verbo Dei contraria; inquantum ex obedientia, & Religioſi ſtatus inſtituto animas iuuare, in merito præfert animarum curæ ex obligatione iuſtitiæ, falſa item eſt, temeraria, & præſumptuosè aſſerta: Inquantum denique religioſos puriori intentione teneri, ſæculares verò Sacerdotes pro ſtipendio tantùm laborare aſſerit, eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & toti Curatorum ordini malignè contumelioſa.

Quod de imperitis oratoribus dicere ſolebat Cicero, conuenit omninò in hos Cenſores, eos ad vociferationem tanquam claudos ad equum confugere: Vocis enim elatæ & turbidæ plurimum Cenſuræ ineſt, ſolidę ſinceræque veritatis, aut ſapientiæ nihil. In primis qui ſe acutos putant, tam ſunt obtuſi, vt diſtinguere neſciant inter vinculum ex obligatione charitatis, & vinculum iuſtitię ad opera charitatis. Curati obligantur ratione officij, atque adeò ex iuſtitia ad opera præſtantiſſimę charitatis; At non obligantur ex charitate per ſe & propriè. Nam ſepoſita obligatione officij, hoc eſt, iuſtitiæ, non magis obligarentur quàm cæteri; cęteri autem non tenentur ex charitate ea opera exercere, ad quę Curati tenentur: igitur per ſe & propriè horum obligatio non eſt charitatis, ſed iuſtitię, ſeu obligatio ex officio ad opera charitatis. Nam quamuis fortaſſis deficiat ſtipendium, tamen obligantur ex iuſtitia, ratione officij quod ipſis incumbit. Vnde ſuperiores Regularium, licet non habeant ſtipendium, tamen non ex mera charitate, ſed ex iuſtitia obligantur, vt notat Suarez tom. 4. in 3. p. d. 44. ſect. 3. n. 7.

Responsio.

Si imperitis oratoribus, & claudis eos qui ad vociferationes confugiunt annumeras, vide ne locum quem Cenſoribus tuis dare videris, ipſe occupes; qui nihil minùs, vel etiam ampliùs, & ſtolidius quàm illi vociferaris, eos *imperitos, elatos, turbidos,*

turbidos, ſolidę veritatis & ſapientię vacuos, obtuſos & claudos, increpitans. Eſtne periti oratoris, feriendo alterum, ſemetipſum iugulare? carpendo aduerſarium, peiùs in eo ipſo quod arguit impingere? Tu ipſe, vel quiuis alius, iudex eſto . Ne quidem hoc tibi reliquiſti, vt claudo ad equum confugere liceat. Ita enim miſerè claudicas, & ad defenſionem miſerrimam, quaſi ad exanguem equum, confugis, vt iam non claudices, ſed planiſſimè corruas, infelicis adminiculi fragilitate deceptus. Audi modò obtuſiſſimæ tuæ reſponſionis examen; & clariſſimè vide, te in eum locum tuis erroribus proceſſiſſe, vnde tam futili equo emergere nequeas.

Obtuſos vocas Cenſores, quod *diſtinguere neſciant inter vinculum ex obligatione charitatis, & vinculum iuſtitię ad opera charitatis.* Quæſo te, illi ne dicendi *obtuſi,* qui hoc non viderint, an tu qui videas? Hoc enim acumen otioſus aliquando ſomniaſti. Deinde vigilans adeò admiratus es, & in eo tibi placuiſti, vt teneri non potueris quin tui amore grauidus & tumens, illam primo quoq; loco opportunè importunè effunderes, velut ἔκτρωμα, & abortum leuiſſimæ mentis. Quid enim ad Cenſuram? Quæ clariſſimè de ipſo *vinculo charitatis* loquitur, damnans te quod *à vinculo, quo obligantur Curati, excludas charitatem,* ſeu quod *vinculum ex obligatione charitatis* eis adimas? Quàm ergo temerè diſtinctionem Cenſoribus obiicis, quæ eorum verbis excluditur ac repellitur? Quàm obtuſè *obtuſos* vocas, quaſi res à propoſito alieniſſima

Digitized by Google

eos latuerit, quam tu, ſi oculos habuiſſes, quibus eorum Cenſuram perpenderes, à te ſine graui ſtoliditate proferri non poſſe vidiſſes? Ipſa rei euidentia minùs poteſt in tuum animum, quàm turbidiſſima cupiditas, & tumultuariæ reſponſionis præſumptuoſus ardor, qui te ita torquet, ita rotat præcipiti vertigine, vt quod vides, videre nequeas. Hoc de tui acuminis exprobratione obtuſa; nunc de ratione æquè hebeti, qua illud ad propoſitum adhibes.

Negas Curatos obligari ad ſui muneris opera *ex charitate, per ſe & propriè;* quia *ſepoſita obligatione officij, hoc eſt, iuſtitię, non magis obligarentur quam cęteri.* O verè Spongiæ ſubtilitatem! Talia homines excogitare quî poſſint? Primò, turpiter principium petis, ſupponens in illis verbis, *ſepoſita obligatione officij, hoc eſt, iuſtitię,* officium Curatorum non eſſe niſi iuſtitiæ; qui cardo quæſtionis eſt, ideóque non aſſumi & ſupponi, ſed probari & demonſtrari debuit.

Deinde quæ tandem iſta ratio eſt; Non obligantur ex charitate, *quia ſepoſita obligatione ſui officij, non magis obligarentur quam cæteri?* Ita quippe probabitur, ne religioſos quidem ad iſta opera obligari ex charitate, vt tu vis, quia ſepoſita votorum obligatione, quæ iuſtitiæ aut religionis eſt, non plus quam cæteri obligabuntur. Imò probabitur nec Chriſtum Dominum mundum ex charitate debuiſſe redimere, quia ſepoſito mandato Patris, quod ad obedientiam pertinebat, non

Ioan. 10.18.

Digitized by Google

obligabatur. Verùm illo ipſo mandato Patris obligatio ei charitatis ſummæ impoſita fuit, quia obedientiam ab eo pater, non tanquam à ſeruo ac mancipio ſeruílem, ſed velut à filio dilecto filialem, ſinceriſſimam, amantiſſimamque exegit, ſicut ait ipſe Chriſtus, *diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* *Ioan. 14.* Totum igitur hoc argumentum craſſius eſt, & turpem principii petitionem continet. Supponit enim obligationem officii Parochorum non eſſe per ſe charitatis; de quo tota quæſtio eſt, & falſum eſſe probabitur; etiamſi obligationi iſti charitatis, obligatio iuſtitiæ adhæreat, vt infrà declarabimus: ſicut obligationi Chriſti inerat obligatio obedientiæ, & iuſtitiæ, & quidem, vt aiunt, *rigoroſæ*, ex *Iſa. 53. 10.* pacto cum Patre inito, è quo mutua obligatio iuſtitiæ inter Patrem & Filium naſcebatur; quamuis directa & principalis eorum obligatio eſſet charitatis, vt paſſim ſcripturæ teſtantur.

Præterea reſponſio Ieſuitica inſcitiam ſpirat, & ſeipſam interimit. Si enim obligatio Curatorum directa & propria; ſeu vt Spongia, *per ſe ac propriè* (de hac enim obligatione ſemper loquimur) ſolùm eſt ex iuſtitia, certè opera ad quæ illi obligantur, dici non poterunt opera charitatis, quatenus ex eorum officii obligatione naſcuntur, ſed neceſſariò dici debebunt opera iuſtitiæ. Atque ita rectè dici poterit, imò debebit, Curatos ad opera iuſtitiæ, non ad opera charitatis obligari. Qui haud dubie infandus error eſt, miniméque to-

Digitized by Google

lerandus. Nam externa opera per ſe indifferentia ſunt ad quodlibet virtutis, imò ad quodlibet vitii genus. Ex eorum enim quolibet perinde manare poſſunt. Quare ſpectata per ſe natura externi cuiuſuis operis, ipſum opus nulli ſingulatim virtuti, ſicut nec vlli vitio, abſolutè tribuendum eſt, ſed per ſe indifferens dici debet, quaſi materia cuiuſuis virtutis, atque adeò vitii; quod tum benè, tum malè fieri poſſit. Nec vlla eſt omninò virtus quæ vllum opus externum nominatim intueatur, ſed omnia obiecta materialia virtutibus inter ſeſe communia & indifferentia ſunt, ſicut omnibus formis omnes materiæ, materiis omnibus omnes formæ. Vnde externa opera, tam omnium virtutum dici poſſunt, quàm nullius. Atque hæc abſolutè ac per ſe loquendo vera ſunt. Scio enim eſſe aliqua externa opera, quæ quamuis abſolutè indifferentia ſint ad quoduis virtutis, vel etiam vitij genus; tamen maiorem quandam congruentiam, & quaſi affinitatem habeant ad aliquam virtutis ſpeciem; vt redditio debiti ad iuſtitiam, ſubleuatio inopiæ ad miſericordiam, &c. quæ proportionem quidem peculiarem, &, vt ita loquar, diſpoſitionem materialem, habent ad illas virtutes; ſed eiuſmodi tamen quæ alienarum virtutum formis non repugnet, ſed eas nihilominus admittat, & amicè complectatur. Hinc fit vt propter eiuſmodi affinitatem, talia externa opera vulgò quidem tribui ſoleant iis virtutibus quarum affinia ſunt, ſi non conſtet ea ab aliis virtutibus

Auguſt. l. 4. cont. Iul. c. 3. & alibi ſæpe.

ante occupata, & earum quodammodo propria facta eſſe. Si verò hoc conſtet; iam his virtutibus, in quarum quaſi dominium tranſierunt, non aliis, tribuentur. Nam etſi aliis benefacere, & eorum neceſſitatibus ſubuenire, charitati ſoleat aſcribi: tamen opificem operam valdè vtilem & neceſſariam præbentem ei à quo conductus eſt, opus charitatis facere, ſeu ad opus charitatis obligari, non dicimus; quia conſtat mercenariorum officij non eſſe niſi pactum, & mercedem propoſitam aſpicere, nec in eo charitatem includi. Sic nemo dubitat quin iudicis munus ad hominum vtilitatem & pacem, ad miſerorum egenorumque ſolatium, ad oppreſſorum leuamen & protectionem pertineat: neque tamen quiſquam dicat iudicis munus eſſe adminiſtrare charitatem, aut ad opera charitatis obligari; quia videlicet conſtat iſta opera ſpectari à iudicis officio, non quâ ad charitatem pertinent, ſed quâ ad ius ſuum cuique tribuendum, ſeu ad iuſtitiam referuntur. Imò, quamuis Sacramenta miniſtrare, aut ſtipem egenti dare, dici ſoleat opus charitatis, propter illam quam diximus, cum charitate congruentiam; tamen hæreticum, dum puerum baptizat, vel mendico dat ſtipem, opus charitatis facere negamus, quamuis ille puerum forte paulò poſt mortuum, ſuo baptiſmo ad cœlum miſerit: quia videlicet conſtat talis operis ſemen eſſe non poſſe charitatem. Quod ſi aliter Ieſuitis loqui placeat; fidem facient peruagatæ multorum virorum opinioni,

Digitized by Google

Moliniſtas eſſe ſobolem è ſucciſo antiquitùs Pelagij ſtipite fruticantem. Nam in Eccleſia minimè dubium eſt, quin, ſicut hæretici dum fidei myſteriis quæ in ſcripturis legerunt, aſſentiuntur, ſeque aſſentiri profitentur, opus fidei non faciunt: ſic dum Sacramenta conficiunt, aut ſubueniunt egenis, non edunt opus charitatis, ſed opus naturæ, & affectus ſeu inſtinctus naturalis, eodem modo
Iacob. 2. quo, vt ſancti Iacobi exemplo vtamur, *dæmones credunt & contremiſcunt*, & ægrorum morbos interdum ſubleuant. Sic igitur, quantumuis opera Curatorum, & quorumuis paſtorum Eccleſiæ vtilia ſint, & ſalutifera iis quibus adhibentur, ſi tamen conſtet ea à Parochorum & Paſtorum officio non ſpectari, niſi vt ad iuſtitiam pertinent, ſeu vt ſolutiones debiti, non vt miniſteria charitatis; manifeſtum eſt ea pro vt ſubſtant muneri Parochiali, non fore charitatis opera, ſed opera iuſtitiæ; ſicut opera iudicis, mercenariorum, & ſimilium, iuſtitiæ dicuntur, non charitatis, quamuis magnam hominum vtilitatem, & ſalutem annexam habeant, quia videlicet ab eorum officijs non ſub ea ratione ſpectantur. Atque ita ſicut nemo dicit iudicem aut mercenarium obligari ad opera charitatis; ſic rectiſſimè dicetur, & neceſſariò dicendum erit, Parochum vi ſui muneris ad nullum opus charitatis obligari, & ſuo munere legitime fungi poſſe ſine vllo opere charitatis, per ſola nimirum opera iuſtitiæ. Huc enim doctrinæ Moliniſticæ, & Spongioſæ diſtinctionis præ-

Digitized by Google

cipitio deuoluimur. Patet ergo cùm quis ex officio obligari dicitur ad opera charitatis, non ſolùm externum opus, ſed ipſam obligationem charitatis directam includi: Ideóque Ieſuitæ confitendum eſſe parochos obligari ex charitate, & quidem præſtantiſſima charitate, ſi verum eſt quod ait, eos *obligari ex officio ad opera charitatis, & præſtantiſſimæ charitatis*, vel ſi obligationem charitatis eis adimat, fateatur neceſſe eſt eos *ex ſtatu*, ſeu *ex officio*, ne ad vlla quidem charitatis opera obligari.

Tanti erroris cauſa, ignorantia grauis eſt, & tenuiſſima parochorum officii opinio. Nam parochorum officium non aliter concipiunt, quàm inſtar humanæ pactionis, ſeruilis famulitii, contractus oneroſi, quo alter alteri ad moleſtum laborem certis conditionibus adſtringitur, velut arator ad ſtriuam. Nec aduertunt obligationes omnes nouæ legis, eiuſdem eſſe naturæ cum noua lege, à qua naſcuntur & menſurantur. Noua vero ex hoc differt à veteri, quòd tota interior ſit, tota charitatis, tota amoris illius quem Chriſtus Diſcipulorum, & Eccleſiæ cordibus die Pentecoſtes infudit. Vnde tota cum præceptis, inſtitutis, & obligationibus ſuis, in charitate conſiſtit, vt docent ſcripturæ tot locis; nec in ea quicquam præcipitur niſi præcipuè amore charitatis, nec niſi eodem amore, ſicut lex primariò poſtulat, impleri poteſt. Imò ſanctus Auguſtinus apertè docet ſcripturam *nihil præcipere niſi charitatem;* quia

Ambr. l. 4. ep.28. *Aug. de ſpir. & lit. c.25. & lib.14. de ciuit. c.28. & l. in ep. ad Rom. c. 52. & alibi ſæpe.*

Matth. 22. *1. Cor. 13.* *1. Tim. 1.* finis præcepti eſt charitas de corde puro, &c.

Aug. l. 3. de doct. Chriſt.

cap 10. Non præcipit ſcriptura niſi charitatem, nec culpat niſi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.
Vid. eundem l. de nat. & grat. c. 69 & 70. &c.
Rom. 13.
Gal. 5.

omnia ex charitate fieri, & in omnibus dictis, factis, cogitatis, Deum ex toto corde & ſuper omnia, proximum ſicut ſeipſum, diligi præcipit. Vnde toties illa repetita à D. Paulo poſt Chriſtum declaratio, *qui diligit proximum, legem impleuit.* Imperitè igitur, & Euangelio indignè, Parochorum obligatio, eximia in primis obligationum nouæ legis, non in vinculo charitatis, ſed in ſola iuſtitia collocatur. Ineptè tantum officium, non quaſi Chriſtianum, ſed quaſi ſæculare, Iudaïcum, merè humanum, expenditur.

Ioan. 21.
Chry. l. 2. de Sacerd. c. 1. & 2.
Luc. 24. 49.
Act. 1.
Ioan. 10.

Deinde Chriſtus parochorum officia, & omnem generatim paſcendarum ouium ſuarum paſtoratum inſtituit, non vt mera iuſtitiæ vincula, & pactiones inter homines reciprocas; ſed vt officia quæ charitatis ardore ſuſcipi, eodemque adminiſtrari præciperet. Quare charitatem, & ampliorem charitatem, ab eis quibus eam curam mandauit, exegit, vt præclarè Chryſoſtomus; Nec eorum officiorum functionem prius iniri voluit, quàm miniſtrorum omnium animis ipſam diuini amoris & Spiritus ſancti plenitudinem infudiſſet. Hinc ſi Eccleſiæ Paſtores ſolo iuſtitiæ motu paſcendis ouibus inuigilent, non paſcunt ſicut paſcere iuſſi fuerunt, & ab implenda ſui muneris lege longè abſunt. Chriſtus enim eam curam, eumque amorem ouibus impendi iubet, vt non ſolùm omnia iis poſtponere paſtores, ſed ſe ipſos earum gratia proijcere, & morti offerre parati eſſe debeant; quo genere charitatis nullum maius eſſe

aut

Digitized by Google

aut præſtantius, ipſe docuit. Iubet ergo non ſolùm charitate paſcere, ſed ea charitate quæ cæterorum omnium Chriſtianorum in eaſdem oues charitatem exſuperet, cùm eas à nullis aliis vſque ad ſanguinem mortémque adamari iubeat, ne quidem à religioſis, qui vltro fatentur ſe vt martyrium pro iis ſubeant, nullo Dei præcepto teneri. Quid igitur ſupereſt, niſi vt etiam in Parochorum officio non ſolùm charitatis, ſed ſummæ charitatis vinculum ineſſe Moliniſtæ fateantur? Niſi fortè martyrium etiam Paſtoris pro ouibus, non charitatis actum, ſed ſolius iuſtitiæ faciant; & ridicula Spongiæ diſtinctione ad hoc quoque flagitium abutantur. Vnde ſequetur mortem à Paſtore pro ouibus oppetitam non eſſe rem per ſe meritoriam vitæ æternæ. Quia non ſolùm actus virtutum moralium, qualis eſt iuſtitia; ſed nequidem virtutum Theologicarum, niſi ſolius charitatis, per ſe meritorij ſunt, teſte Apoſtolo, *ſi habuero omnem fidem, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Atque hinc vlteriùs ſequetur, fieri poſſe vt paſtor animam ſuam det pro ouibus, & directæ ac propriæ ſui muneris obligationi ſatisfaciat, qui tamen pereat in æternum. 1. Cor. 13.

Præterea ſi Parochi ideò non obligantur ex charitate, quia ex iuſtitia, & tacita quadam pactione, obligantur; ſequitur nec religioſos ex charitate obligari, quia ipſi pariter ex pactione

Digitized by Google

& fide, quam Deo dederunt, obligantur. Quæ obligatio æquè iuſtitiæ eſt, vel religionis, quæ & ipſa quædam erga Deum iuſtitia eſt. Et ſi in nomine iuſtitiæ ac religionis cauillari voluerit Spongia; dico nullam eſſe cauſam, cur magis iuſtitia charitati, quàm religio; obligatio iuſtitiæ, obligationi charitatis, quàm obligatio religionis, obſiſtat. Nam non minùs religio quam iuſtitia, à charitate diuerſa eſt, adeóque nec obligatio religionis, quàm obligatio iuſtitiæ, ab obligatione charitatis. Nulla denique virtus, potius quàm alia, alij virtuti aduerſatur. Si ergo Eccleſiaſtica pactio, & ante data fides, impedit ne Parochi ex charitate obligentur ad ſuæ curæ miniſteria; impediet ſimiliter ne religioſi ad eadem ex eadem charitate obligentur; ac tanto magis impediet, quanto maior & arctior eſt pactionis monaſticæ nexus, quàm Parochialis. Suam enim obligationem Parochus ſoluere poteſt; religioſi non poſſunt: ideóque ad pactionis ſuæ iugum adſtrictiùs alligantur. Neque verò pactio Parochialis abiectè concipienda eſt, quaſi humanus quidam contractus, cum hominibus vltro citróque implexus, quo Paſtor ad miniſterium Eccleſiaſticum velut mercenarius ad laborem pactione mercedis adſtringatur. Pactio enim iſta primariò initur cum Deo, ouium Domino & principali paſtore, cuius eſt oues ſuas aliis paſcendas committere: non autem ouium ſeipſas ſuopte arbitrio tradere & ſubijcere quibus velint, cùm non ſint ſui iuris, vt ait

Digitized by Google

ſcriptura, ſed eius qui emit eas *pretio magno*. Eius ergo primariò eſt oues ſuas aliis paſcendas tradere, & ab eo illas accipiunt, eique ſe mercedis æternæ, non temporalis ſtipendij pactione Paſtores obligant. Nam debitum ſtipendij temporalis poſterius reſultat ex iſta pactione quaſi naturalis proprietas; non in eius natura & ratione includitur. Obligant igitur ſe Deo paſtores in perſona miniſtrorum eius, vicem eius obtinentium in terris: eo modo quo religioſi vota ſua ſpondent ſuperioribus ſuis, Deum ipſum cui illa fiunt, repræſentantibus. Cum populo autem propriè non paciſcuntur, vt patet euidentius ex electionibus hodiernis, quibus & Epiſcopi, & Parochi populis ſine vlla eorum optione, aut eorum arbitrij interpoſitione præficiuntur, ſolis Eccleſiæ Præſulibus ſtipulantibus & paciſcentibus, vt miniſtris Dei, cuius ſunt *propriæ oues*. Quare ſi pactio religioſorum cum Deo, non tulit eorum obligationem charitatis; nihil eſt cur Paſtorum Eccleſiæ pactio etiam cum Deo inita, eam tollere debeat.

1. Cor. 6.

Ioan. 10.

Poſtremò, obligatio iuſtitiæ, & obligatio charitatis, nihil habent quo diſcrepent inter ſe, non magis quàm iuſtitia & charitas: faciléque vnâ conſiſtunt. Alioquin non obligaremur ad Dei cultum ex charitate, quia ex iuſtitia ſeu religione obligamur. Vel, vt argumentum clariùs opponam, coniuges non obligarentur ex charitate, quia ex iuſtitia obligantur, contractu & mutua pactio-

ne. Nec tamen ideò obligatio coniugum in noua lege non eſt directè & primariò amoris & charitatis, cùm directè à Chriſto conſecrata ſit ad deſignandam ſummam illam Chriſti & Eccleſiæ charitatem, quaſi monimentum perpetuum ſummi illius amoris. Vnde Apoſtolus, præterita obligatione iuſtitiæ, obligationem amoris inter coniuges intuens, admonet: *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, &c.* Tantæque charitatis obligationem hanc ex vi coniugalis ſtatus eſſe docet, vt etiam naturali in parentes charitatis officio præferatur: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, &c.* Ac licet Paſtores ad ſui officij munia ex iuſtitia obligentur, præcipua tamen, & primaria eorum obligatio ex charitate eſt, cui obligatio iuſtitiæ, velut inferior & ſecundaria, annectitur. Primarius enim eorum officij ſcopus, & primaria Chriſti mens oues ſuas eis demandantis fuit, vt eas amarent ſicut ipſe amat; vt ex amore, eóque maximo, & minimè vulgari paſcerent, ſicut ipſe paſcit. Ideóque à Diuo Ambroſio Paſtores euangelici, non ſolùm curæ Paſtoralis Chriſti, ſed etiam *amoris eius Vicarij* appellati fuerunt. Quod etſi de Petro & de Epiſcopis primariò ſcripſerit, tamen ad Parochos perinde pertinet, prout hi curæ Epiſcopalis, & Paſtoralis oneris partem gerunt. Hanc enim Paſtoratus Euangelici naturam eſſe declarat. Præcipua igitur, &, vt ita dixerim, capitalis Paſtorum omnium obligatio, eſt charitatis; cui alia

Eph. 5.

Amb. l. 10. in Luc. c. 24 Aug. ſerm. 106. de diu. in feſt. Apo. Pet. & Pau. c. 2. 3. & 4. Vid. Bernar. ſerm. 76. in Cant.

Digitized by Google

minor, & velut ſecundæ claſſis obligatio iungitur; ex qua ideò eorum muneris natura ſpectanda non eſt, quamque ideò ipſi minùs intueri debent, oculis animi in primariam illam amoris, & charitatis obligationem erectis. Quod idem de religioſis proportione dicendum eſt: qui quamuis votorum vinculis teneantur adſtricti, non tamen in iis perpetuò hærere, nec eorum nexibus animos aſſiduè irretire, ſed ſuperiùs euolare debent ad altiſſimæ in Deum charitatis apicem, cui ſe primariò, licet minùs quàm Eccleſiæ Paſtores, obligauerunt. Sicut enim eorum vocatio à charitate fluere debet; ita vt ſi conſilia Euangelica, eo modo quo Euangelium ſuadet, ſuſceperint, omnia reliquiſſe debeant ſolo Chriſti amore, quòd ipſum ante omnia diligerent, vt ei charitatis glutine arctius copularentur. Ita omnis eorum vitæ actio, omnis religioſi cultus obſeruantia, ab eadem origine charitatis exiſtere, & ſuaui iugo amoris innexa eſſe debet; voti obligatione, & virtute religionis, Dominam principemque charitatem non præeunte, ſed ancillante. *Iugum* enim dominicum, quod Chriſtus ipſe *ſuaue* vocat, & *leue onus*, amore ſuauè ac leue effici docet Auguſtinus.

Matth. 19. Propter nomen meum. *Marc.* 10. Propter me.

Matth. 11.

Aug. lib. de nat. & grat. c. 69. & ſer. 9. de verb. Dom in Euang. Matt. & ſer. 12. de verb. Apoſt. &c.

Quo magis miror Spongiam tanto in Eccleſiæ Paſtores ſtudio concitari, vt eius impetu in regularium etiam ſuperiores abripiatur, & dicat, imò ſui Suarez authoritate confirmet, *Superiores regularium, non ex mera charitate, ſed ex iuſtitia obli-*

dicat iuuare animas ex obedientia, & religioſi ſtatus inſtituto, in merito præferendum animarum curæ ex obligatione, mutant textum, & aliam propoſitionem damnant ab ea quam ex Authore retulerant. Hæc quippe eſt Authoris propoſitio: Obligatio ex voto obedientiæ, & ex virtute religionis eſt altior & excellentior obligatione ex iuſtitia, atque adeò (*cæteris paribus*) maior quoad meritum: *quæ eſt ipſiſſima ſententia S. Thomæ 2. 2. quæſt.* 88. *a. 6.* vouere (*inquit*) eſt actus latriæ, quæ eſt præcipua inter virtutes morales; nobilioris autem virtutis eſt opus melius, & magis meritorium, vnde actus inferioris virtutis eſt melior, & magis meritorius ex hoc quod imperatur à ſuperiore virtute, & ideò actus inferiorum virtutum ſunt meliores & magis meritorii ſi fiant ex voto; quia ſic iam pertinent ad diuinum cultum tanquam ſacrificia. *Ecce ſanctus Thomas dicit opus factum ex obligatione nobilioris virtutis eſſe nobilius, & magis meritorium; religionem autem eſſe inter virtutes morales præſtantiſſimam, & ideò iuſtitia excellentiorem. Quod ſi Richeriſtæ aliter ſentiunt; fortaſſis ſine errore poſſunt (nam quæ virtus ſit præſtantiſſima non ita claret) tamen quod ſententiam S. Thomæ dicunt falſam, temerariam, præſumptuoſam, non poteſt à crimine excuſari.*

Responsio.

Non ſolùm mentem, ſed neque oculos habes. Negas te dixiſſe, *iuuare animas ex obedientia & re-*

tiæ & religionis ad idem miniſterium, in qua religioſi verſantur. De hac hypotheſi ſeparatim, non de illa theſi generatim fuit ſermo. Tantum autem abeſt vt ſanctus Thomas vſquam dixerit eiuſmodi obligationem iuſtitiæ, quæ in Curatis ineſt, eſſe minus præſtantem, aut minoris meriti quàm obligationem obedientiæ & religionis propriam regularibus; vt contrarium ex ipſa eius doctrina, & ex illis ipſis vocibus, quas hoc loco affers, manifeſtè eliciatur. Cùm enim iuxta ſanctum Thomam, *actus inferioris virtutis ſit melior ac magis meritorius ex hoc quod imperatur à ſuperiore virtute*; ſequitur, etſi iuſtitia ſit virtus religione minor, (quod tibi non inuiti damus) tamen obligationem iuſtitiæ Curatorum, eſſe præſtantiorem obligatione religionis regularium, quia obligatio iuſtitiæ Curatorum charitatem multo maiorem ſupponit, & ex charitate multo ampliore naſcitur, vt ſuperiori reſponſione probauimus. Adde quod & obligatio iuſtitiæ Curatorum multo latiùs patet, & effectibus multo amplior & plenior eſt, quam obligatio obedientiæ religioſorum, quæ ad multo pauciores effectus, quod ad ſubſidium animarum pertinet, extenditur, vt per ſe manifeſtum eſt. Itaque ſeu obligationem Curatorum à radice & origine, ſeu à fructu, & opere intuearis, vtrinque obligationi regularium longe præferenda eſt; cùm & charitatem multo maiorem ſupponat vnde naſcatur, & effectus multo plures magiſque multiplices complectatur. Vt meritò

Digitized by Google

falſitatis, temeritatis, & præſumptionis nota, quam Cenſura in contrariam opinionem incuſſit, in Moliniſtarum audaciam tantæ nouitatis inuentricem cadat, non in S. Thomam, apud quem nihil vſquam eſt iſti præſumptioni affine, vt regulares qui ab Eccleſiæ Paſtoribus ad animarum meſſem, quaſi operæ ſubſidiariæ, humaniter admittuntur; illis ipſis, à quibus beneuole admiſſi fuerunt, ſubitò ſeſe anteferant; nec ſolùm pares merito, ſed etiam ſuperiores & excellentiores in labore alieno & in aliena meſſe colligenda eſſe velint; contra illud conſiliorum Euangelicorum, quorum ſectatores ſe profitentur, nobiliſſimum: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus ab illo: & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere, &c.*

Luc. 14.

SPONGIA.

Quod perfectionem & meritum curę Parochialis in iuuandis animabus pręferunt merito & perfectioni ſtatus religioſi, præſertim illi ſtatui, qui ex inſtituto ad Sacerdotium, & auxilium animarum ordinatur, non poſſunt neſcire ſe repugnare ſancto Thomæ. Sic enim ille 2. 2. quęſt. 184. *art.* 8. Si comparatio, *inquit*, inter ſtatum Religioſum & officium curæ fiat ſecundùm bonitatem, ſic præfertur ſtatus religionis officio Presbyteri Curati, vel Archidiaconi, quia religioſus totam vitam ſuam obligat ad per-

fectionis ſtudium: Presbyter autem Curatus, ſiue Archidiaconus, non obligat totam vitam ſuam ad curam animarum, ſicut Epiſcopus, nec etiam ei competit principalem curam ſubditorum habere, ſicut Epiſcopo: ſed quædam particularia circa curam animarum eorum officio committuntur. Et ideò comparatio ſtatus religioſi ad illorum officium eſt ſicut vniuerſalis ad particulare, & ſicut holocauſti ad ſacrificium, quod eſt minus holocauſto. *Ita S. Thomas clariſſimum lumen Chriſtianæ Theologiæ & orbis. A tenebrionibus iſtis hunc non ſolùm contemni, ſed etiam falſæ, temerariæ, præſumptuoſæ doctrinæ notari, quis ęquo animo ferat?*

Responsio.

Ex alio in aliud deterius laberis. Tantæ te tenebræ imperitiæ, & arrogantiſſimæ temeritatis circumfuderunt. S. Thomam citas, nec vides, nec intelligis. Alieniſſimum enim à Cenſura locum velut cruda mente vomis.

Primò enim Cenſura non prætulit meritum aut perfectionem Parochorum regularibus; ſed tantùm te regulares Parochis ratione adhuc inaudita præferentem modeſtiæ admonuit.

Secundò, locus ſancti Thomæ agit de toto ſtatu regulari per ſe ac generatim ſpectato, quatenus propriæ perfectionis ſtudium eſt, cum officio Parochorum & Archidiaconorum, quatenus alienæ ſalutis curam gerunt, præferens. At non agit de

SPONGIA.

Quod dicunt Authorem aſſerere ſeculares Sacerdotes pro ſtipendio tantùm laborare, calumnia eſt, cuius conuincuntur ex verbis Authoris, quæ ipſimet citant. Adeò enim non dixit pro ſtipendio tantùm laborare, vt ne quidem dixerit pro ſtipendio laborare, ſed tantùm ſine ſtipendio non laborare. *Stipitis eſt putare ſine ſtipendio non laborare, idem eſſe ac pro ſtipendio tantum laborare. An dicent eum qui ſine ſudore non laborat, pro ſudore, & tantum pro ſudore laborare? Author autem modeſtè, & verè dixit, Curatos ſine ſtipendio non laborare, quia officio ſemper ſtipendium ſolet eſſe annexum: Noluit autem dicere pro ſtipendio laborare, quia cogitauit eos habere poſſe, & verò habere eorum pleroſque à terrenę mercedis cupiditate puriſſimas mentes: benè tamen loquendo non de intentione perſonæ, ſed de intentione ſeu ordinatione ſtatus, dixit, religioſos ex ſtatu habere puriorem intentionem, quia ſtatui eorum terrena ſtipendia non ſunt annexa, imò voto paupertatis longiſſimè arcentur. Quis autem non dicet Mendicantes, qui nihil prorsùs terrenę mercedis poſſidere poſſunt, ex quibus nonnulli tenentur ex voto nihil prorſus accipere, quo labores eorum compenſari videantur, non eſſe* ex vi ſtatus *minus intentos in mercedem temporalem, quàm quorum ſtatui terrena merces per ſe ſemper annexa eſt? De puritate* ſtatus *loquor, non de puritate* cordium, *ex quibus Deus tantùm quæ ſint puriora nouit.*

ſæpe *ſine ſtipendio laborare.* Cùm verò Moliniſtarum conſilium non aliud appareat, quàm deiicere Parochos, omniaque ad eorum imminutionem, & ad ſui ſuper eos exaggerationem vndiquaque conquirere; meritò propoſitiones eorum in hoc genere dubiæ, pro minimè dubiis habentur, quia nemo in aduerſarij contemptum dubiè loquitur niſi ex certiſſimo contemptu, quem cùm apertiùs expromere non audeat, ſub tenui verborum velamine audaciùs iaculatur. In tanti momenti rebus ipſa ambiguitas crimen eſt. Quod autem addit ad iſtius criminis purgationem, *eum qui ſine ſudore laborat, non laborare pro ſudore, neque pro ſudore tantum;* eoſque qui hoc non videant *ſtipites* pro ſua humanitate appellat, ſibilo dignus eſt, quo vel ad ſudorem adigatur. Quorſum enim comparatio ruſticana, & vertiginoſa? Nam ſudorem nemo vt finem operis ſpectare conſueuit, niſi fortè mente vel corpore æger; contrà, laborantes eum omni ope, vt laboris impedimentum, defugiunt.

Deinceps fatetur Parochos *habere poſſe, & verò habere eorum pleroſque à terrenæ mercedis cupiditate puriſſimas mentes*, eo videlicet artificio, quod toties notauimus & riſimus, quo grauibus contumeliis leues verborum leuiorum aſpergines ſubiicere ſolet, ad eludendos quidem ſimpliciores, ſed ad eos quibus mens non ita fatua, vt ridiculi artificii fatuitatem non videant, vehementiùs commouendos. Sed tamen nunquam fateri vult Pa-

rochos ad iſtam terrenæ cupiditatis puritatem ſui muneris inſtituto obligari; imò id aperte negat, dum ait *loquendo non de intentione perſonæ, ſed de intentione ſtatus, Religioſos ex ſtatu habere puriorem intentionem, & eſſe ex vi ſtatus minus intentos in mercedem temporalem, quàm quorum ſtatui terrena merces per ſe ſemper annexa eſt.* Atque ita ſtatum Parochorum, eademque ratione Epiſcoporum (eſt enim eadem prorſus vtrorumque ratio) non purum à terrena cupiditate, ſed in eam per ſe intentum, & terrenæ mercedi ſemper annexum facit, prorſus eodem ſenſu quo paulò antè dixit, parochos *non ſine ſtipendio laborare*, ſicut expoſitum eſt. Hinc enim patet ſenſum iſtius locutionis verè fuiſſe eum quem diximus, nimirum Parochos ex ſtatu ſuo ſemper eſſe intentos ad mercedem temporalem, & ſemper propter eam laborare. Quæ verè grauiſſima contumelia eſt in Parochos, in Epiſcopos, & in omnes Eccleſiæ paſtores, Clerúmque adeò vniuerſum, & diuinæ inſtitutioni, paſtoraliúmque munerum creationi
Ioann. 10. perſpicuè inſultat, Paſtores Eccleſiæ, ex vi ſtatus
1. Timoth. 3. terrenos, impuros, mercenarios faciens, adeóque non veros Paſtores, ex modo argumentandi quem ab Euangelio didicimus. Cùm enim ſupra docuerimus Paſtoralia officia eſſe officia charitatis, & charitatis ſummæ miniméque vulgaris, ſed quæ omnium omninò fidelium charitati ſupereemineat; ſequitur ea eſſe à terrena quauis cupiditate remotiſſima, nec vllum omnino eſſe ſtatum à terrena

cupi-

cupiditate puriorem,ſeu quo homines ad maiorem cupiditatis immunitatem obligentur: Charitas enim, & cupiditas ſeſe inuicem perimunt, & de mutua velut cæde naſcuntur, & propagantur. Quo fit vt Parochi, & quicumque ouium Chriſti Paſtores, ipſa ſuorum munerum conditione puriſſimo charitatis impulſu ferri, & à terrenorum commodorum cupidine, temporalique omni contage puriores, ſi fieri poſſit, eſſe debeant, quàm vlli graduum inferiorum fideles, quantamcumque perfectionem profiteantur.

Denique ait Spongia, *Religioſos ex ſtatu habere puram intentionem, quia ſtatui eorum terrena ſtipendia non ſunt annexa, imò voto paupertatis longiſſimè arcentur.* Probat ex Mendicantibus, *qui nihil prorſus terrenæ mercedis poſſidere poſſunt.* Quo loco me nonnihil hærere fateor, nec ſatis videre, quonammodo Spongiæ pronunciatum accipiam. Nam ſi de ſolis iis Mendicantibus ageretur, quibus Mendicantium appellatio vulgò tribui conſueuit; minor eſſet dubitatio. Horum enim pleroſque videmus pauperculos, ac vel nihil rei, vel anguſtæ admodum, & exilis poſſidentes, qua ſimul cum ſtipis quotidianæ corrogationibus ægrè vitam tueantur. Quanquam neque in hos ipſos omni ex parte conuenit Ieſuitæ propoſitio, eos eſſe à terrenis ſtipendiis puriſſimos, *ab iiſque voto paupertatis longiſſimè arceri*, niſi de ea puritate loquatur, quæ etiam Parochos in ſocietatem excipiat. Nam ſi puritatem illam intelligat, qua om-

Aug. ep. 29 ſerm. 12. de verb. Dom. & l. 6. cont. Iul. c. 7.

Vid. Ambr. lib. 1. de offi. c. 50.

Chryſ. l. 2. de ſacerd. c. 2.

Ὅσον πρὸς τὰ ἄλογα τῶν λογικῶν ἀνθρώπων ἡ διαφορὰ, τοσοῦτον τοῦ ποιμένος, καὶ τῶν ποιμαινομένων ἔστω τὸ μέσον, ἵνα μὴ καὶ πλέον τι εἴπω. *id eſt.* Quantum rationalium hominum ab irrationalibus diſcrimen eſt, tanta ſit, ne quid amplius dixerim, corũ qui paſcunt ab eis qui paſcuntur, differentia.

Hieron. ep. 1. ad Heliod. Clerici paſcunt oues, ego paſcor.

Vid. & S. Greg. lib. 2. Paſt. c. 1. & Greg. Naz. orat. 1.

Digitized by Google

nis penitus ſtipendij ſuſceptio excludatur; non probabit puros eſſe à terrenis ſtipendiis religioſos, qui paſſim dum confeſſiones audiunt, dum ſacra faciunt, mercedem ſibi reponi non minus quàm Eccleſiaſtici Sacerdotes, & Parochi patiuntur. Quos tamen, dum id faciunt, non arbitror Ieſuitam dicturum ſua vota perfringere. Nulli enim ſunt propemodum religioſi Mendicantes, quantumuis ſeuerum, & reformatum vitæ genus colant, qui non anniuerſaria ſacra & preces ex ea
Luc. 10. mercede, quam Euangelium probat, peragenda ſuſcipiant, varioſque ſumptus annuos, & vt vocant, *fundationes*, quibus eorum opera compenſari videantur, ſine dubitatione admittant. Vnde conſequetur, ſi Ieſuita vera ſentiat, iſtos religioſorum ordines, quorum plerique haud paulo maiori virtutis & pietatis exemplo ſunt Eccleſiæ quàm Ieſuitarum ſocietas, tamen non paululum terrenæ impuritatis inuoluere, nec eſſe omni ex parte à terrenarum mercedum inquinamentis defœcatos. Atque ideò ſignanter addidit Ieſuita, non omnes religioſos Mendicantes, ſed ex iis *nonnullos teneri ex voto nihil prorſus accipere, quo labores eorum compenſari videantur;* Vt indicet puritatis iſtius eximiæ laudem, non ſolùm Parochis & Eccleſiæ paſtoribus, ſed etiam pleriſque omnibus arctiſſimorum ordinum religioſis à ſe eripi, & ſolis Ieſuitis, (qui eam præ ſe ferunt) integram, illibatam, ſolidam & limpidam vindicari: vt vni Ieſuitæ regularium omnium à terrenis opibus alie-

Digitized by Google

niſſimi, à terrenorum commodorum lucrorumque quæſtibus expurgatiſſimi habeantur, quaſi quidam inter religioſos *Curij* aut *Diogenes* diuitiarum contemptores, Philoſophica frugalitate reliquo humano generi vt ſordidiori præſtantes, Καθαροὶ videlicet noui quidam, præ quibus alij *animales* & *pſychici* videantur. Quæ ſi milleſimo cuique ex omnibus gentibus perſuaderi queant, tum & mihi perſuadebuntur: Sin totius orbis fides, & diuturna rerum tantarum experientia, indigniſſimam oſtentationem reſpuit, & Ieſuitas ſicut religioſorum omnium ditiſſimos, ita diteſcendi & cupidiſſimos, & ſcientiſſimos exiſtimat: patiantur me à totius orbis communi ſenſu, vt eorum paradoxo aſſentiar, diuelli non poſſe. Tantum enim abeſt, vt puritatem illam quam omnibus Mendicantium ordinibus, nedum Parochis & Paſtoribus, præripere geſtiunt, ipſis potiſſimùm, reiectis aliis, adiiudicem; vt ſi aliis adiiudicandam eſſe conceſſero, ipſis tamen ſim abrogaturus, quippe hominibus iniquiſſimis, qui non ſolùm diuitiarum, ſed etiam paupertatis præ cæteris omnibus poſſeſſionem, & præcellentiam ad ſe trahant.

Argumenta autem quibus iſta eorum adumbrata puritas, & terrenorum ſtipendiorum immunitas labefactatur, varia & grauia ſunt, ne ſe affectu potius quam iudicio damnari querantur. Primum, ſi tam puri ſunt, & operum ſuorum compenſationes tantopere repudiant, quid cauſæ

eſt cur in Gallia, & ferè alibi, laborum ſuorum ſtadia intra vrbium ambitus circumcludentes, in agros, & rura non perinde excurrere ſoleant? Magna enim illic meſſis, magna cœleſtium ſtipendiorum ſeges, ea ſola quærentibus, parata eſt. Nec ipſis operarij deſunt, quos cùm ciuitatibus, vel non magnopere deſiderantibus, vel etiam interdum inuitis, & nauſeantibus inuidioſè obtrudant, in agros cum ſumma omnium laude, & gratia effundere poſſent. Sed nimirum, iſti qui Parochos, *ſine ſtipendio non laborare* exprobrant, labores pauciſſimos ambiunt qui ſine mercedis odoratu venatúque ſuſcipiantur. Cuius venationis intra vrbes campi patent; ruri, venationes aliæ exercentur. Longum eſt commemorare quos fructuum prouentus in ciuitatibus decerpere, & quàm ſupra vllius operarij, quantumuis in temporalem, vt aiunt, mercedem intenti, votum, carnalia metere ſoleant, vbi ſpiritualia ſeminauerunt. In ſola vrbe Pariſienſi è ſolis Concionibus Quadrageſimalibus amplius octo librarum millia annua ſæpiſſimè conficiunt. Dum enim ſua illa Ieſuitica puritate pecuniam in ſtipendium numerari non patiuntur, eò rem deducunt, vt commutato in eleemoſynas & donaria ſtipendij nomine, longè amplius quàm vlli eorum quos à terrenæ mercedis cupiditate puros eſſe inficiantur, emulgeant; vt Eccleſia-

rum Ædiles non ſemel profeſſi ſunt. Hinc eorum illæ concurſationes quibus templorum Cathedras tanto ante ambiunt, quarum octo interdum aut decem in eadem Ciuitate vna Quadrageſima, factionis magnitudine occupant, Concionatores videlicet non optimi, imò multis tum è Clero, tum ex aliis religioſorum familiis, omnium iudicio & ſine controuerſia inferiores. Plerumque enim è Scholis Rhetoricæ adhuc recentes aduolant, & toti ſpumei, feruidi pingue ſonantes, ridiculè geſtientes, ad populum; quaſi ad puerorum gregem, fabularum & apophthegmatum ſæcularium cantica, & popularia aduerſus Dei gratiam blandimenta declamitant. Quo fit vt illa Spongiæ particula, *ex quibus* (Religioſis Mendicantibus) *nonnulli tenentur ex voto nihil prorſus accipere, quo labores eorum compenſari videantur*, quæ ad Ieſuitas ſupra cæteros regulares exaggerandos inſerta fuit, minimè omnium illis conueniat, qui dum ſuperciliosó faſtidio minora & vſitata cæterorum ſtipendia repudiant, maiora, & illis inuſitata eliciunt, viam eorum ſimplicem ſolertia quæſtuoſiore declinantes.

Quid beneficia Eccleſiaſtica, quibus nulla manifeſtiora laborum ſtipendia in Eccleſia ſunt, eorum poſſeſſionibus inſerta referam? Tot Abba-

Digitized by Google

tias nobiles, tot opimos Prioratus, etiam Parochiales; quæ vndique tota Gallia longè latéque captarunt? In ciuitate Rhotomagenſi tres Prioratus ampliſſimos, inuidioſos, vrbis mœnibus circumquaque obiacentes occuparunt, ſermonis hominum, & publicæ famæ ſecuri; vt nec iis quidem Mendicantibus annumerandi ſint, quos Spongia ait, *nihil terrenæ mercedis poßidere poſſe*. Sed, quod grauiſſimum eſt, tam locupletium Sacerdotiorum fructibus non contenti, in ſubiectos iis Sacerdotiis Parochos paſſim iniiciunt manus, exiguas eorum penſiunculas ad eam tenuitatem redigentes quæ vix alendo homini ſufficiat. Vnde manant ruralium Parochorum, Canonum iura ſubuerti, ſe penè ſpoliari lugentium, miſeræ voces, quarum viri primarij omni fide digni ſunt teſtes, earumque nos ipſi aliquas non ſine admiratione audiuimus. Quis ferat iſtos terrenorum compendiorum puritatem oſtentare, terrenis copiis diffluentes? Parochis cupiditatem obiicere, quibus illa ipſa ſtipendia, quorum cupiditatem exprobrant, ipſi valentiori cupiditate eripiunt?

Huc adde ſingularem illam in priuatorum quorumcunque liberalitate prolectanda dexteritatem ac peritiam, cui eos ipſæ Regulæ ſocietatis operam dare iubent ſtudioſiùs, *Vt quærant diligenter eleemoſynas, eaſque ſimpliciter, & amore Domini petant, nec-non & eas augere, & conſeruare ſtudeant, opportunéque eos viſitent à quibus petendæ erunt.*

Reg. ſociet. de procur. dom. prof. §. 2.

Hinc eſt, vt omnes quæſtuum norint vias, & vna eorum domus Profeſſa Lutetiæ, priuatarum largitionum tantum ad ſe contrahere dicatur, quantum cæteræ omnes Regularium domus, quæ in ea vrbe frequentiſſimæ ſunt, non colligant, vt religioſos, etiam inſtituti ſeuerioris, teſtificantes audiuimus. Denique iam eoúſque proceſſerunt, vt nulli ſint vllarum ciuitatum Parochi, nequidem Pariſienſes, quos cæteris copioſiores exiſtimant, qui ſtipendia & beneficia ſua, cum eorum opibus & beneficiis non facilè commutari patiantur; veréque & ſine vlla veritatis ſuperlatione aſſeuerare liceat, nullum nec regulare, nec Eccleſiaſticum eſſe commune, quod cum iſtorum omnis generis facultatibus æquiparandum videatur.

Declarant id, vt cætera omittam, ſplendidiſſima paſſim ædificia, variis ſurgentia regionibus, quibus nihil ſimile in cæteris ordinibus ſumptu magnificentiáque cernitur. In vna Pariſienſi ciuitate triplicem ſtructuram attollunt tribus locis, vno tempore; in Collegio Claromontano, vbi ædium faſtigia toti Academiæ late minantia erigentes, nouam Sorbonæ inſtaurationem, & Eminentiſſimi Cardinalis Richelij munificentiam æmulari cœperunt: In domo Probationis ad ſuburbium D. Germani, vbi varij ſimul generis opera, templum, tecta, moliuntur. In domo denique Profeſſa, vbi præter vaſtam templi molem, inſignes vnius è totius Gallicani ærarij Quatuoruiris ædes,

Digitized by Google

quibus paucas ex omni Pariſienſi opulentia anteferas, eximiis operibus auróque fulgentes, magno pretio coëmptas, ſuæ domui inſtar appendicis adiecerunt. Atque hæc illis exigua, & tenue neſcio quid videri ſolent. Quanta enim facerent, niſi publicæ inuidiæ formidine continerentur? Itáque pauperes & tenues enixè ſimulant in mediis opulentiæ indiciis vndiquáque patentibus. Sciunt enim liberiora in Gallia fieri, pro gentis genio, de rebus opibuſque ſuis iudicia: quæ penitus contemnere pro innato illo honoris & gloriæ ſtudio non poſſunt; quamuis illo ipſo ſtudio gloriæ ſtimulati ea ſæpe perrumpere cogantur. Quare nec templum domus Profeſſæ auſpicari voluerunt, niſi vbi templum Presbyterorum Oratorij iam ad tectum proceſſerat; nec Collegij Claromontani ædificia, ante inchoatas ab Eminentiſſimo Cardinali Richelio ſubſtructiones Sorbonicas; nec domus Probationis opera, antè impoſitam vicino Patrum Diſcalceatorum templo tholum. Cohibent denique & comprimunt publicæ offenſionis metu multo maiorem opum copiam, multo maiorem animorum ſublimiâ ſpirantium elationem, quàm quantam cum omnium admiratione patefaciunt. Quid templum illud Antuerpienſe, toto Belgio, aliiſque regionibus famoſum, marmore Italico Genuâ per vtráque maria delato exædificatum commemorem? Quod homines Belgæ Catholicorum Hollandiæ pecuniis magnam partem acceptum referunt. Quamuis

modeſti

modeſti humiléſque religioſi, cùm omnes quorumuis aliorum ſplendores exſuperare, & inſigni miniméque vulgari Ieſuiticæ moderationis monimento celebrare nomen ſuum, & gloriam ſpargere, contenderent, eos nummorum exhauſerint gurgites, vt prodeuntibus vltra modum ſumptibus, ingenti & penè incredibili ære alieno ſe implicauerint. Hinc Generalis grauis indignatio in Prouincialem Belgicum: quam tamen hic lenire & ſopire conatus eſt, ſanctiſſimè ſpondens in ſeſeque recipiens, ſi ſibi negotium iſtud relinqueretur, totum illud alieni æris, quantumcumque magni, breui tempore diſpunctum iri. Quod an religioſa illa à temporalibus commodis, & compendiis puritate perfici potuerit, viderit Spongia.

Quid rurſus enumerem, non iam ſpiritualia, ſed prorſus temporalia eorum Mercimonia pluribus locis inſtituta, vnde naues in oras Indicas, & variorum marium regiones, deſtinarunt? An qui ne hoc quidem commercij genus ſibi inconceſſum putant, ij ſunt quorum ſtatus à terreno quæſtu, & lucrorum temporalium cupidine, & quidem peculiaribus votis receſſiſſe debeat exiſtimari; cùm eum nec à mercatoria nauticaque fortuna, qua nihil terrenius, terreniſque compendiis deditius, abhorrere, ſed cum ea bellè conſentire ipſimet iudicauerint? Nimiùm malè de hominum iudiciis Ieſuitæ opinantur, ſi tantam dictorum factorumque ſuorum, oſtentationis &

veritatis, diſcrepantiam latere putant. Errant inquam, grauiſſimè, ſi quem eſſe cenſent adeò plumbeum, qui non ſentiat ludi ab iis penéque proſcindi Bullas Pontificias, quibus ordinum Mendicantium & pauperum claſſibus adſcribuntur.

Quæ breuiter exponere neceſſe habui, multa in eo genere non leuia neque pauca præteriens, vt videant Moliniſtæ, & ab aliis videri ſciant, qua iniquitate ac proteruia ſe ipſos Parochis à terreno quæſtu alieniores purioréſque profiteantur, quaſi illis ad ſtipendia temporalia toto ſtatu vergentibus, ipſi ſolas æthereas puritates ab humo procul elati rimarentur. Illi equidem fœminæ ſimillimos ſe exhibent, *quæ comedit & tergens os ſuum dicit: Non ſum operata malum;* Illi populo qui poſt exſatiatam cupidinum ſuarum ingluuiem, procaciter ingerebat, *Quid feci?* Illi hominum ſocietati, *qui excolabant culicem vnum, camelum autem glutiebant*.

Prouerb. 30. *Hierem. 8.* *Matth 23.*

SPONGIA.

Quod autem dixit Author de puriori intentione ex vi ſtatus, tanquam certum & indubitatum aſſerit doctiſſimus huius æui Theologus Franciſcus Suarez, cuius (rumpatur licet inuidia) memoria viuet, cùm fuerintne hi Cenſores, niſi fortaſſis ad infamiam, poſteritas ignorabit. Quamuis, *inquit*, Prælati (Epiſcopo inferiores) ſemper in hoc ſuperent, quod magis

ex officio, maioríque obligatione iuſtitiæ ad talia opera præſtanda teneantur, nihilominus poteſt hoc in religioſo compenſari, tum ex obligatione voti paupertatis & obedientiæ, tum ex maiori feruore charitatis, & ex puriori intentione, quam ex vi ſtatus habere poteſt & debet, nulla temporalia lucra vel honores per huiuſmodi miniſteria quærendo. *Ita Theologus toto Catholico orbe laudatus, quem hactenus ob hoc dictum nemo reprehendit.* Lacon *quidam cùm luſciniam deplumaſſet, conſpecto tenuiſſimo corpore*, vox, vox, *inquit*, es, & præterea nihil. *Hoc verè in Cenſuram; ſed intereſt, quod luſciniæ vox varia, ſuauis, & amœna; Cenſura ſemper eiuſdem ſoni triſtis, & funeſta,*

---- ſtrepitat ferali carmine Bubo.

Responsio.

Superiori reſponſione Ieſuitarum abundantiam patefecimus: nunc arrogantiam ipſi vltrò patefaciunt, abundantiæ indiuiduam comitem Paulo teſte, *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere.* 1. Tim. 6.

Quid enim neceſſe fuit impotentiſſimo homini, niſi Moliniſtici ſpiritus afflatu raperetur, in Franciſci Suarez laudationem intempeſtiuam, ſtultitiæ inſolentis plenam, odioſam, inuidioſam, erumpere, qua non ſolam Facultatem Pariſienſem petulanter impetit, ſed vnà omnes Eccleſiæ, & hominum religioſorum ſocietates ſuperbo la-

Digitized by Google

ceſſit faſtu, Franciſcum Suarem *doctiſsimum huius æui Theologum* ore Ieſuitico, ſupercilio Phariſaïco, nuncupans?

Nec tamen iſta vox Ieſuitæ huius propria eſt. Non is Author, ſed præco. Longè anteà hunc ei ſenſum alumniſque ſuis ingenuit glorioſiſſima ſocietas, eumque in orbem infundere conata eſt, tantum ſibi veri nominis arrogantiæ profeſſione adimens, quantum falſi proprio præconio & tumidiſſima buccinatione ambiuit. Cùm olim immodicus parentum in filios amor, prima idololatriæ initia pepererit, vt ſcriptura teſtis eſt: *Sap.* 14. Nunc ſimiliter iſta ſocietas ambitioſo filiorum ſuorum ſtudio elata, eos ſupra cæterorum hominum ſortem efferre, primos rerum omnium facere, eorum quandam velut idololatriam fingere molitur. Quid enim humanum de Franciſco Suares, vt de hoc vno loquamur, de quo nobis quæſtio eſt, ſenſerunt Ieſuitæ Conimbricenſes, in iiſque eorum Rector, communi omnium nomine ita ſcribens in præfatione tom. 3. de Religione, *Magnum Soarium*, alterum *Alexandrum* Magnum, *vnum Appollinem eſſe*, COMMVNEM ORBIS MAGISTRVM, *à quo Philoſophiæ & Theologiæ candidati* OMNES *reſponſa in dubijs referant Delphicis multo oraculis certiora.* Si hic paucos adhuc tomos *docto calamo exprimere potuiſſet, habituros fuiſſe Theologos, vnde de quouis argumento* NVLLIVS ALIVNDE EMENDICATO SVBSIDIO cumulatè docerentur. En oracula Ieſuiticæ hu-

Digitized by Google

militatis. Qua *Magnum* illum *Soarium* non mirum eſt opponi, velut ad inuidiam, Pariſienſi Facultati; cùm toti quantus eſt orbi opponatur; cæteríque vniuerſi homines præ *communi* hoc orbis *Magiſtro*, diſcipuli numerentur. Non habet ergo Facultas Pariſienſis, cur in contumeliam propriam accipiat, quod ab iſtis generatim in communem omnium Theologorum contemptum ſpargitur. Quamuis quod dicat Spongia, in eam *rumpi inuidia*, Soaraïcæ videlicet eruditionis ſplendore percuſſam; non facultatis amplitudinem minuit, ſed ſuam ſuorumque ſuperbam oſtendit fatuitatem, qui adeò ſe ſuáque admirantur & amant, vt ea ſibi ab omnibus inuideri ſuſpicentur. Quæ propria eſt ſuperbarum, & ſimul ſtolidarum mentium omnium cogitatio. Nam Suarem nihil eſt quod Ieſuitis inuideat nobiliſſima Facultas, quæ Chriſtianum orbem virtutis, & eruditionis fama multis ante ſæculis impleuerat, quàm non ſolùm Suarez, ſed ipſum etiam Ieſuitarum nomen, non modò notum, ſed omninò natum eſſet. Quæ plures eruditiſſimos celeberrimóſque Doctores in omnes Eccleſiæ Catholicæ regiones profudit, quàm & Suarez, & vniuerſa Ieſuitica Societas bonos diſcipulos effecerint. Quos Doctores *Magnus* ille *Suarez* niſi Magiſtros inueniſſet; niſi eorum præuia face mentem accendiſſet ſuam, non modò lumen, ſed ne fortè quidem ſcintilla; non modò *communis orbis Magiſter*, ſed ne fortè quidem Theologicæ ſcholæ

diſcipulus fuiſſet. Conſtat enim, ſicut ex Vniuerſitate Pariſienſi omnes propemodum occidentis Academiæ, velut è fonte, manarunt; ſic Theologiæ Scholaſticæ ſcientiam in ea natam, adultam, & ab ea in omnem Theologorum nationem propagatam fuiſſe. Quo factum eſt vt eam Theologiam Itali generatim *ſtudij Pariſini* nomine vocarent; & hæretici cùm in eam petulantiùs inſiliunt, exclamare ſoleant, *Scholæ Sorbonicæ errorum omnium matres;* & Theologos Scholaſticos communi nomine dicant, *Sorboniſtas, Sorbonicos Sophiſtas, Sorbonicos rabulas.* Huic igitur Facultati, Theologorum omnium Scholaſticorum, ac proinde ipſius Soarij, ſiquidem Theologus Scholaſticus ſit, totiúſque adeò ſcientiæ Scholaſticæ verè parenti, Suarium ad inuidiam proponere, quantæ dementiæ eſt? Id verò à Ieſuita fieri, quàm ſtupidæ arrogantiæ? Nam Ieſuitæ ſpeciatim, ſeu vniuerſa ſimul Ieſuitarum Societas, quicquid probæ ſcientiæ Theologicę habere ſibi videatur, huic profectò Facultati debet, à qua non priuati aliqui homines, ſed totum primum naſcentis Societatis vnà cum ipſo capite corpus, illum doctrinæ riuulum, quo nunc velut in torrentem intumeſcunt, hauſerunt & expreſſerunt, vt ipſi eorum ſcriptores interdum etiam gloriantur. Vt iam non ſit ſuperbia, non ſtupor, ſed ingratitudo fœdiſſima, eos aduerſus illam Facultatem inſoleſcere, à qua id ipſum habent propter quod inſoleſcunt, quæque magno iure illud eis in os ingerat,

Calu. Inſt. l.3.c.15.§.7.

Ribad.lib.2. vit.S.Ig.c.4 Richeom.Remerciement auec vne Enſeigne de treize pierres precieuſes, &c. preſentee au Roy Louys 13. pag.21.

Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Sed Moliniſtæ, dum vim harum vocum erga Deum in rebus diuiniſſimis neſciunt, eam erga homines in rebus humanioribus & minoribus facilè ſe neſcire patiuntur. *1. Cor. 4.*

Interim quia ſuum Suarem tam elatis oculis intuentur, nec ei æquale quicquam vident in omni tot omnium gentium Theologorum huius æui caterua; conſulant ad ſanandam tantæ ſuperbiæ lippitudinem commentarios Theologi Sorbonici in ſanctum Irenæum, Franciſci Feu-ardentij, Ordinis Minorum religioſi, Doctorum Pariſienſium ſuo tempore antiquiſſimi, & agnoſcent fuiſſe hoc etiam æuo in Facultate Pariſienſi Theologos qui Soarium Theologorum huius æui doctiſſimum non eſſe facilè demonſtrauerint. Idque non inuidiâ ab illo factum, non odio, aut maleuolentiâ: ſed cùm à Soario laceſſitus vltrò & temere fuiſſet, vti nos nunc à Spongia; inſpectis paululum Commentariis illius in tertiam partem ſancti Thomæ Lugduni editis anno *1594.* menda reperit grauia, craſſa, & in communi orbis magiſtro minime toleranda, quæ vt in tertia ſaltem editione expungeret, & præceptum Euangelicum, *Ejice primum trabem ex oculo tuo*, in poſterum meminiſſet, admonuit. Hoc ipſum plures alij ex eadem facultate facilè præſtare potuiſſent, ſi Ieſuitis ſuum inuiderent Soarium, nec eum illis, quanti quanti ipſum putant, æquiſſimis animis relinque- *Feu-ard. in Iren. l. 3. c. 33 n. 3.* *Luc. 6.*

Digitized by Google

rent. Licet enim ſine fuco, ex puriſſima veritate profiteri, paucas eſſe Soarij paginas, in quibus mox aperto libro non ſe offerant legentis oculis errata & hallucinationes modò ridiculæ ac leues, modò maioris momenti, & quæ inſigniter vapulare mereantur apud Eccleſiaſticæ doctrinæ & traditionis, & ſcientiæ verè Theologicæ conſcios. Quæ ſi Theologi Pariſienſes, vlla inuidia ſtimulante, colligere voluiſſent, & in volumina redigere; non pauciores quàm ille tomos, de hoc ſolo argumento contexere potuiſſent; illamque Spongiæ gloriationem, Suarem hactenus à nemine reprehenſum fuiſſe, multò antè præcidiſſent. Verùm homines ſunt, omnium iudicio, præterquam Ieſuitarum, modeſtiæ amantiſſimi, à contentione, æmulatione, & ambitu remotiſſimi, tam Moliniſtis virtute, quàm ſolida eruditione ſuperiores, qui aliena peccata Ieſuiticáſque oſtentationes lugere malint, quàm prodere; niſi cùm vſque adeò inſoleſcunt, vt ſine magno Eccleſiæ vulnere videantur non poſſe tolerari. Si eo iactandi ſui nominis, quærendæ falſæ gloriæ, zelo feruerent, quo Ieſuitæ æſtuant; ſi tantis opibus, tanta Sociorum per omnes regiones ad libros quantumuis leues diſſeminandos conſpiratione valerent, quanta Ieſuitæ valent; ſi denique tam externis Facultatibus, quibus Ieſuitæ abundant, inſtructi eſſent, quàm internis inſtructi ſunt, quibus Ieſuitæ carent; Europæ bibliothecas libris haud paulò melioribus refercirent, quàm quibus Nicolaus Smithæus eas *Diſcuſ. q. 5. n. 12.*

à Ieſuitis

à Ieſuitis repleri iactauit. Sunt enim in familia Sorbonica viri præſtantes, & in Theologiæ Schola abhinc triginta & quadraginta annis illuſtranda emeriti: quorum ipſi diſcipuli, quæ eorum eruditio eſt, & Ieſuitarum in ſuos ambitioſus amor, vel maximis doctoribus in Societate Ieſuitica exæquarentur. Cæterùm quæ tum ſuperiore, tum præſenti ſæculo, ex illa Facultate prodierunt opera, nihil habent, ne quid amplius dicam, quod Ieſuitæ deſpiciant: imò habent, vt iam vidimus, ſpecimen aliquod, vnde *Magnus* ille Suarez, non eſſe *communis orbis Magiſter*, aut Deus aliquis oraculorum opifex, intelligatur. Si falsò reprehenſum putant, ſi eos errores, quibus totas eius pagellas conſperſas eſſe diximus, non agnoſcunt; dicant vbinam dictorum noſtrorum veritatem ſibi confirmari velint; & nullo negotio videbunt, vel ipſis amore ſuo cæcis, alij intuebuntur, quàm explorata cognitione, & conſtanti iudicio, non vllo animi impetu, hæc à nobis in medium prolata fuerint, ad refringendam eorum arrogantiæ temeritatem. Nihil enim tam magnum habet Suarez, quàm ſuorum voluminum molem; quam vere dixeris, ex variis priorum Scholaſticorum ſcriptis collatitiam farraginem, nullis propemodum Theologicis fundamentis extructam, ſed errabundæ ſine duce humanæ rationis excurſionibus compilatam. Quo magis iſtos pudeat hunc *Theologorum huius æui doctiſſimum*; *Communem orbis Magiſtrum* fingere; Imò toti interdum primo-

rum temporum antiquitati, ſancti Thomæ, ipſi nominatim diuo Auguſtino vel æquare, vel præferre, vt ex quodam Ieſuita profeſſore me ipſum audire memini, & alios audiſſe accepi. Quam eandem comparationem à Caluiniſta quodam primario inter diuum Auguſtinum & Caluinum inſtitui aliquando cùm audirem, mirari non potui hominem hæreticum id iudicij de ſuæ religionis ipſo Authore habere, quod Catholici homines, humilitatis profeſſores, de ſui ordinis ſocio habuiſſent. Alium Ieſuitam audiui, cùm diceret *Gabrielem Vaſquez*, quem aliqui ipſorum Soario anteponunt, incedere ſolitum cum hoc conclamantium vndique diſcipulorum acroamate, *Mortalium doctiſſimus Vaſquez*. Eſt enim ordo inordinatiſſimæ elationis. Eſt hominum genus *qui amant primos recubitus, & primas cathedras, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, & Magiſtri orbis*; qui primi illius Angeli animoſiſſimos impetus æmulantes, aſcendunt ſemper, vt à Deo deijciantur, quo deinde ſalubriùs erigi poſſint. Qui cùm in Eccleſiam venerint, penè poſtremi omnium, primi eſſe geſtiunt, illam Euangelij vocem malè ſibi aſſumentes, *erunt nouiſſimi primi*, vt aliâ iuſtiſſimè feriantur, *& primi nouiſſimi*.

Matth. 23. *Matth. 20.*

Non tali machina Facultatem Pariſienſem ad *infamiam poſteritatis* detrudent ventoſiſſimi homines. Hæc enim ſicut ingenti fama toto orbe fulſit tot ſæculis antequam ipſum Ieſuiticum no-

Digitized by Google

men in rerum naturam prodiiſſet; ſic ſtabit & florebit, ipſis exoletis, & vel ſola hæreſium, quas ad Sacramentorum, & Eccleſiæ ſtatus euerſionem proferunt, damnatarum & proſcriptarum gratiâ, in laude & in benedictione erit apud æquiſſimam poſteritatem, Eccleſiæ & myſteriorum Dei, & traditionis Eccleſiaſticæ, qua ſtat Chriſtianum nomen, amantem. Ipſi verò dabunt pœnas, & perenne infamiæ ſupplicium pendent quamdiu Chriſtiana poſteritas, & procellæ huius quam in Eccleſia excitarunt memoria manebit : Nec quiſquam improbum & audaciſſimum eorum facinus meminiſſe vnquam poterit, quin ſimul eximiam Facultatis Pariſienſis in eo comprimendo gloriam recordetur, & immortalem ei pro tanto in Eccleſiam beneficio, & pro ſuſceptis vindicandæ illius gratia à Moliniſtica gente, hæreticorum more, mendacibus contumeliis, gratiam & gloriam referat. *In memoria enim æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit.* Psal. 111. Moliniſtarum verò hæreſes, & in iis improbe tuendis peruicacia, & imperitia, & præſumptio, *& gloria, in confuſione ipſorum.* Philip. 3.

Vt verò tandem ab ipſo Soario, quem Ieſuita temerè nimium, & faſtuosè omnibus huius æui Theologis antetulit, ad eius doctrinam huic loco propriam, quam *certam, & indubitatam* vocat, veniamus; hæc ipſa eſt qua, velut ſpecimine quodam, ea quæ de hoc Authore generatim ſupra dicta fuerunt, omnibus æquis iudicibus proba-

Digitized by Google

primum in quoque genere eſt norma & menſura cæterorum. Vnde clamat Apoſtolus, *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Et ideò ſicut Chriſtus per amorem ſummum, & per *ſupereminentem ſcientiæ charitatem*, redimendas oues, paſcendas ſeruaſq; ſuſcepit, etſi ex obedientia erga patrem id ipſum fecerit, vt teſtatur Apoſtolus, & ipſemet ſæpe in Euãgelio teſtatus eſt; Ita Paſtores omnes, qui, vi Paſtoralis officij cuiuſcumque, ad eius, vt primarij Paſtoris, & ſui exemplaris, imitationem obligantur, vi ſui officij paſcere debent è ſumma charitate, & longè maiore illa ad quam cæteri Chriſtiani talis muneris expertes adiguntur; etſi idipſum & ex obedientia erga Deum, & ex fide ſeu iuſtitia erga greges ſuos facere debeant, *ſapientibus & inſipientibus* cum Apoſtolo *debitores*. Eſtque hæc res ita certa & clara, vt niſi à contentioſis, & veritatem perſpicuam intueri nolentibus, negari non poſſit.

1. Cor. 11.
Eph. 5.
Philip. 2.
Ioann. 4. 5. & 6. &c.
Aug. lib. de Paſtor. c. 13.
Rom. 1.

Secundò quod ait Suarez, Religioſos habere debere *ex vi ſtatus puriorem intentionem* quàm Parochos, alioſque Prælatos Epiſcopis inferiores, *nulla temporalia lucra, vel honores per huiuſmodi miniſteria quærendo*; ſine ratione ac ſoliditate dictum eſt. Nam ſi nomen *lucri temporalis*, intelligat *turpe lucrum*, ſeu quamlibet cupiditatem; negare non poteſt quin Parochi non minùs quam religioſi, imò quin Chriſtiani omnes cuiuſcumque ſortis, habere debeant puriſſimas mentes ab omni temporalis ſeu ſordidi lucri, &

Digitized by Google

ab omni cuiuſlibet cupiditatis inquinamento. Quia dubitari non poteſt quin in lege Chriſtiana, & proinde in omni Chriſtianæ legis conditione ſeu ſtatu, prohibitio ſordium & cupiditatis cuiuſcumque includatur. Et contrarium, non error, ſed hæreſis indubia eſt, eſſe videlicet aliquam cupiditatem & auaritiam quæ non ſit peccatum, & à qua Chriſtiana lex Chriſtianos non auocet, multo magis Chriſtianorum Paſtores ac Magiſtros.

Quod ſi nomine *temporalis lucri* ſimpliciter intelligat victum, & cultum Chriſtianis Paſtoribus neceſſarium, qui eis à populis, quos paſcunt, ſuppeditari debet; impropriè loquitur, nec idoneum habet talis locutionis Authorem. Nunc enim in Eccleſia ex vulgari ſermonis conſuetudine, *temporale lucrum* in vitio eſt, & malè ſonat, nec in Paſtores Eccleſiæ conferri poteſt, niſi forte ſi quis eos in odium & inuidiam populorum trahere conetur. Etſi enim res ipſæ quas Paſtores à ſubdi-
Rom. 15. *1. Cor.* 9. tis percipiunt, ſint temporales, &, vt cum diuo Paulo loquamur, *carnales;* tamen, ſicut dum à fidelibus offeruntur, & à Paſtoribus accipiuntur, deſinunt eſſe temporales, & ſacræ ac ſanctæ fiunt, vt ſæpe aiunt ſcripturæ; ſic etiam à fidelibus of-
2. Cor. 9. ferri, & à Paſtoribus accipi debent ſacro ſanctó-
Philipp. 4. que affectu, *Quaſi benedictiones, non tanquam auaritia; quaſi odores ſuauitatis, hoſtiæ acceptæ, placentes Deo;* itavt Paſtores Euangelici *non quærant datum, ſed requirant fructum abundantem in ratione* popu-

Digitized by Google

lorum. De perſonis non agimus : De officiis loquimur. Sicut enim vbique, & in omni vitæ genere, perſonæ ſunt à ſui instituti ratione degeneres; ita ipſa eorum inſtituta, ſeu ſtatus, certa & immota manent, neque illorum præſtantia & ſanctitas hominum vitiis inquinatur aut minuitur. Quare de ſtatu ipſo Paſtorali loquendo, certum eſt dici non poſſe eum non eſſe puriſſimum â *temporalibus lucris*, & illius ſtipendia ſine contumelia affici non poſſe temporalium lucrorum nomine : ſed poſtquam Deo in Paſtoribus oblata fuerunt, fieri ſacra & ſpiritualia, duplici ratione ante allata ex ſcripturæ ſenſu, tum propter ipſam oblationem fidelium, ſeu conſecrationem; tum propter puriſſimum intuitum animi quo ab his offerri, ab illis ſuſcipi debent, ex norma Chriſtianæ legis ab Apoſtolo Paſtorum patre ouibus ſuis luculenter expoſitæ.

Ac profectò neceſſe eſt quacumque ratione Paſtorale officium in ſumma lucrorum temporalium puritate collocare, ne etiam Apoſtolicum ſtatum ad ſordes & temporalium lucrorum contagem deuoluamus. Certum enim eſt non minùs Apoſtolico muneri, quàm Parochiali, & Paſtorali cuiuis, annexa fuiſſe ſtipendia temporalia, itavt ſine illis Apoſtoli laborare non iuberentur, vt toties à Paulo de ſe aliiſque Apoſtolis, & de omnibus generatim Euangelicæ operæ miniſtris declaratum eſt; quia *dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euãgelio viuere*. Vnde ſi Ieſuitæ

Rom. 15.

1. Cor. 9.

Digitized by Google

ex ſtatu ſuo puriores ſe Parochis faciant à temporalium lucrorum fœce, quia Parochorum officio, non ſuo, adiuncta ſunt ſtipendia temporalia; eadem opera præferant ſe Apoſtolis, quibus ſtipendia temporalia, non minus quàm Parochis, debebantur; & ſuum ſtatum, ſtatu Apoſtolico puriorem prædicent. Sin hoc cogitare nefarium eſt, fateantur vanam & falſam eſſe doctrinam Suarez, è qua res tam ira conſequitur, vt ſtatus Ieſuiticus puriorem in obeundo opere Euangelico animum, quàm ſtatus Apoſtolicus, exigere dicendus ſit.

Deceptus autem fuit Suarez, quia modum tendendi in obiectum, cum ipſo obiecto; intentionem rei, cum ipſa re commiſcuit & confudit, idem eſſe ſupponens tendere ad mercedem temporalem, ſeu mercedem temporalem reſpicere, & ad eam temporali affectu adhæreſcere, illiuſque contagione ſordeſcere, itavt quia Parochi & Eccleſiæ Paſtores ex ſuo ſtatu ſtipendia temporalia vt ſibi debita reſpiciunt, inquinentur illis, & minus puri ſeu temporales efficiantur. Quæ profectò aberratio & confuſio puerilis, & vt in *Magiſtro orbis*, craſſior & minimè ferenda eſt. Quis enim neſciat aliud eſſe intueri rem, aliud ea implicari, & impurum effici? Deus creaturas omnes intuetur, imò amat; nec tamen ad eas alligatur affectu, nec ſordem ex eis contrahit. Qui pecuniam quærit, vt alienæ ſaluti ſubueniat, ſpectat pecuniam, & ad eam fertur; nec tamen polluitur

Vid. Aug. in Pſal. 146. circa finem.

illo

illo aſpectu. Similiter qui neceſſaria vitæ ſuæ ſubſidia accipere conſtituit, vt vitam ad ſalutem gregis & ſuam, ad cultum Dei, ad Eccleſiæ amplificationem tueatur, non maculatior, neque impurior efficitur illo actu, ſed purior potius ac ſplendidior apud Deum, quia *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. *Pet.* 4.

Hanc verò charitatem, & hunc Charitatis intuitum includit Paſtorale officium, provt in Eccleſia à Chriſto inſtitutum eſt. Specialem inquam & ſingularem charitatis impulſum iubentur Paſtores ſuſcipere, ipſo ſui Paſtoratus officio. Nam generatim Chriſtiani omnes, non Paſtores ſoli, habere debent animos ab omni terrenarum rerum corruptione puriſſimos, ab omni temporalium commodorum labe deterſos; nec contrarium ſine hæreſi ſuſtineri poteſt, vt iam ante monuimus. Hæreſis enim eſt, non omnem cupiditatis impuritatem noua lege prohiberi, ſeu non eſſe malum, ideóque Chriſtianis omnibus vetitam. Quo inanior eſt argumentatio Soarii, qui eam puritatem officio Paſtorali negat, quàm generali Chriſtianorum officio negare non poteſt. Vnde fiet vt non ſolùm religioſorum, ſed etiam omnium Chriſtianorum, ſtatus, ſit purior & perfectior, quàm ſtatus Parochorum Paſtorumque Eccleſiæ. Quod per ſe parodoxum eſt. Niſi fortè ſicut Spongia paulò antè ex eiuſdem Suarii doctrina perfectiorem fecit, & maioris charitatis, ſtatum ſimplicium religioſorum, quàm Superio-

Sit amoris officium, paſcere dominicũ gregem, *Aug. tract.* 123. *in Ioan. Vid. late. & tract.* 5. *in ep. Ioan.*

Aug. lib. de Vera Relig. c. 35. 38. 41. 46. 47 *&c. lib.* 4. *contra Iul. c.* 14. *& lib.* 10. *cõf. c.* 31. 33. *&c. Aug. lib. de Perf. Iuſt. reſp.* 11.

Generalis prohibitio eſt: Non concupiſces, & generalis iuſſio: Diliges, &c.

tum regularium, qui ipſorum Prælati patreſque dicuntur; ita vulgarem Chriſtianorum omnium conditionem puriorem, charitatis maioris, proindéque perfectiorem, & altiorem fateatur eſſe quàm Parochorum Paſtorumque conditionem. Quam doctrinam qui fingere voleryt doceat, fingat quoque diſcipulos qui audiant. Ab hominibus enim qui nunc ſunt, faciliùs explodi poterit quàm audiri.

Maneat igitur, ſtipendium temporale ſpectari poſſe non temporaliter; ſicut opera corporea fieri poſſunt, ac fiunt à veteris omnibus Chriſtianis ſpiritualiter. Atque ad hanc intentionem non temporalem, non carnalem, ſed ſpiritu & Charitatis igne excoctam, obligari generatim quidem fideles vniuerſos, ſpeciatim autem, & præ cæteris omnibus, animarum Paſtores; tanto nempe amplius, quanto maior à Paſtoribus charitas, quàm ab ouibus, poſtulatur. Fateor quidem videri faciliùs obtineri poſſe à religioſis hanc puritatem, quatenus plura eius impedimenta remouerunt; quia facilius multo eſt, integrum ſeruare animum à rerum temporalium cupidine, vbi abſunt, quàm vbi præſentes adſunt; ſi careas quàm ſi poſſideas, & circumpoſitas tibi habeas, velut materia flammam. Sed etſi difficilius videatur, fieri tamen poteſt, imò faciliùs fiet in tali ſtatu, quamuis ex ſe periculoſiori, ab eo quem ad illum verè vocauerit Deus, quàm ſi ad quemuis alium, ad quem non vocatur, ſe conferret. Qui enim Chriſtum

ſequitur, in tenebris non hærebit: Nemo autem ſequitur, niſi qui vocanti obtemperat. Fieri igitur hoc poteſt, ac fieri debet non ſolùm à Paſtoribus, ſed etiam ab omnibus Chriſtianis, quibus illud diui Pauli vniuerſim propoſitum eſt: *Qui poßident, tamquam non poßidentes; qui vtuntur hoc mundo tamquam non vtantur.* Alioquin neque Mendicantium Ordines, neque ipſi Ieſuitæ, qui eorum numero ſe inſeri voluerunt, puritatem illam, quam Parochis præripiunt, aſſequentur. Quia cum ex natura ſui inſtituti ad temporalia ſubſidia, non ſolùm optanda, ſed etiam conquirenda, deſtinentur (quod Mendicantium proprium eſt) neceſſario carebunt illa *à rebus temporalibus puritate*, quam ſe *ex vi ſtatus* habere prædicant, ſi quilibet temporalium commodorum aſpectus & appetitio, animi aut ſtatus puritatem imminuat. *Quo modo exibunt de hoc laqueo alieno, ſic exeant de ſuo.* Ioan. 8. 1. Cor. 7. Aug. ep. 6.

Atque hæc in doctrinam illam Soaraïcam ſufficiant, propter quam Spongia Theologis omnibus huius æui Soarium præferre viſa eſt; quæ quàm dilucide iudiciũ eius refellat, & ipſis Chriſtianæ religionis elementis; vt inanis & vaniſſima refellatur, neminem iam eſſe arbitror æqui animi qui non agnoſcat. Vt ſemel dixerim, fruſtra adhũc authorem properes, vt ab eo Eccleſiaſticorum ordinum graduumque naturam, officia, dignitatem, ſanctitatem, docearis. Omnes enim ab

Tt

eo violatos eſſe reperias vno eodemque capite, in quo propoſitiones iſtæ leguntur: *Cæteri infra ordinem Sacerdotis conſtituti, ex vi ſolius ordinationis non obligantur, nec deputantur ad opera perfectionis. Et licet ratione ſtatus Clericalis, vel ſpecialem aliquam obligationem habere poſſint ex præcepto Eccleſiæ, vt ad recitandas horas, vel etiam maiorem vitæ honeſtatem ac decentiam requirant. Nihilominus hæc omnia non attingunt proprium aliquem perfectionis gradum, ſed pertinent* AD COMMVNEM VIAM PRÆCEPTORVM. *Nam etiam in laicis pro diuerſitate ſtatuum poſſunt plures vel pauciores obligationes reperiri. Quapropter* STATVS TALIVM CLERICORVM NON EXCEDIT COMMVNEM STATVM VIÆ CHRISTIANÆ. Item de Preſbyteris: *Clerici etiam Sacerdotes, ex vi ſuæ ordinationis non obligantur ad perficiendos alios, nec ad propriam perfectionem acquirendam, nec ad opera ſupererogationis, præſcindendo nunc à voto caſtitatis. Et quamvis teneantur dignè miniſtrare, in rigore ſatisfaciunt huic obligationi, ſeruando præcepta, & in gratia miniſtrando. Quam obligationem habet etiam populus Chriſtianus ſuo modo, quatenus tenetur communicare, & digne ad tantum Sacramentum accedere.* Quamuis libratis deinde variarum rationum argutiis, eo tandem adigatur vt ſaltem agnoſcat, *Sacerdotes ex vi ſui ordinis ad nonnulla perfectionis opera obligari, ratione cuius obligationis dici poſſunt* ALIQVO MODO *ſaltem* INCHOATIVE *in ſtatu perfectionis.* Denique de Epiſcopis: *Si comparetur conſecratio Epiſcopi ad or-*

Tom. 3. de relig. l. 1. c. 17. n. 1.

Ibid. n. 3.

Ibid nu. 4.

Ibid. n. 2.

Digitized by Google

dinationem Sacerdotis, in eo præciſè quod vnaquæque per ſe confert, ALTIOR VIDETVR SACERDOTIS ORDINATIO QVAM EPISCOPI CONSECRATIO. Poſtremò de Parochis & Prælatis inferioribus: *Inferiores Paſtores & Curati, licet ex vi iuris videantur immutabilitatem habere; nihilominus conſiderato communi vſu, quo receptum eſt vt facilius mutentur; & conſequenter vt talia beneficia non aſſumant animo permanendi in illis perpetuò, ſed vel* AD ALIA PINGVIORA ASCENDENDI VEL RENVNTIANDI CVM ALIQVO EMOLVMENTO, VEL SIMPLICI PENSIONE, SINE OBLIGATIONE ANIMARVM: HOC, *inquam,* VSV CONSIDERATO, *ſatis probabilis modus loquendi eſt, quod iſti non ſtatum aſſumere, ſed miniſterium, &c. pro illo tempore habere dicantur.* Habes ordinum & graduum omnium Eccleſiaſticorum labefactionem ac ſtragem vno eodemque capite comprehenſam, vt alia plura non leuia errata prætereantur. Quæ propoſitiones ita nouæ, & inauditæ, & Eccleſia indignæ, & tum nouis tum veteribus Theologis, & Scripturæ ſacræ contrariæ ſunt, vt non Theologo huius æui doctiſſimo, aut *communi Magiſtro orbis*, ſed homini doctrinæ Eccleſiaſticæ, & veræ Theologiæ rudi, & diuiniſſima myſteria humanarum opinationum libidine, & ſui ſenſus alea ventilanti, conueniant. Quis enim ferat Eccleſiaſticos omnes ordines infra Sacerdotium, nullam ſpecialis perfectionis obligationem includere ſupra communem vitam Chriſtianorum? Quarto aliter ex antiquis Patribus philo-

Ibid. 18.

Digitized by Google

S. Th. 2.2. q.184. ar.8. in corp.

ſophatus eſt ſanctus Thomas, quem citat & corrumpit Suarez: *Ad miniſteria Eccleſiaſtica requiritur maior ſanctitas interior, quàm requirat etiam religionis ſtatus: quia ſicut Dionyſius dicit ſexto capitulo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Monaſticus ordo debet ſequi Sacerdotales ordines, & ad eorum imitationem in diuina aſcendere. Vnde grauiùs peccat cæteris paribus Clericus in ſacris Ordinibus conſtitutus, quàm aliquis Religioſus qui non habet Ordinem ſacrum.* Non ſolùm communi vitæ Chriſtianorum, ſed etiam perfectioni Religioſorum anteponit perfectionem, quæ à Clerico in ſacris Ordinibus conſtituto requiritur. Quanto denique aliter, vt omiſſo torrente Patrum & Conciliorum, Scripturam ipſam intueamur, Apoſtolus dotes Diaconis neceſſarias enumerans, eaſdem pene ab iis, non magno diſcrimine adhibito, exigit, quas paulò antè ab Epiſcopis exegerat, vt inter alia ſint *vnius vxoris viri*; *pudici*, Græcè σεμνοὶ, graues, venerabiles; *non turpe lucrum ſectantes; habentes myſterium fidei in conſcientia pura*; probari, irreprehenſibiles, &c. Quem ſolùm locum ſi *Magiſter* ille *orbis* meminiſſet, numquam in opinionem tam apertè cum eo pugnantem corruiſſet. Quid de illo figmento dicas, quo ordinem Epiſcopalem infra Sacerdotalem deiicit, contra totius Eccleſiæ perpetuum conſenſum, contra rationem manifeſtam, qnod vna Theologorum omnium voce ordo Epiſcopalis ordinis Sacerdotalis per-

Vid. Ambr. l.1.Off.c.50 & l.3. ep.25 ad Eccleſ. Vercell.

1. Tim. 3.

Ἀνέγκλητοι. Sicut paulo ante de Epiſ. Ἀνεπίληπτον, id eſt reprehenſibilem, eſſe vult.

Digitized by Google

fectio ſit? Quod eſſe non poteſt, ſi imperfectior eſt: Nihil enim perfectionem ſuam ab eo quod eſt imperfectius, mutuatur. Nec eſt quod perfectiones accidentales vel integrantes obiiciant, quia perfectionem, qua Sacerdotium ab ordine Epiſcopali perficitur, longè altioris ordinis eſſe alibi declarabimus. Quid denique de indigna illa, &, vt ita loquar, terrena doctrina, qua *communi vſu receptum eſſe*, ait, Curati & Prælati Epiſcopo inferiores ſua beneficia ſuſcipiant, *animo ad alia pinguiora aſcendendi, vel renunciandi, cum aliquo emolumento, &c.* Quis miretur iſtum parochorum officio puritatem à lucris temporalibus detrahere propter laborum ſtipendia, cùm etiam ipſum per ſe eorum officium animo lucrandi *pinguiora beneficia*, & *emolumenta* captandi, ſuſcipi poſſe, & hoc ipſum *communi vſu receptum* & probatum eſſe docuerit? Quid iſtis Doctoribus piis purique conſilii ſperabimus, qui ſanctiſſima Eccleſiæ munera, ad quæ Scripturæ & Patres tantum gratiæ ſpiritualis & virtutis eximiæ poſtulant, atque in primis cupiditatis & turpis lucri vacuitatem, in has ſordes, in cogitationes adeò degeneres abiiciant? Nihil enim adeò Eccleſiaſtico homini metuendum aiunt, nihil adeò repugnans, quàm cupiditas & quæſtus: quia nihil adeò charitati contrarium eſt, quæ graduum munerumque Eccleſiaſticorum apex eſt ac velut anima, cùm nihil aliud ſint niſi profeſſiones quædam, & officia charitatis.

Quis denique ab iis Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurationem expectabit, qui cùm ex ſcripturarum & Eccleſiæ legibus abuſus inolitos emendare, & ſanare debuiſſent; contrà, ex ipſis illis abuſibus perpetuam Eccleſiæ diſciplinam delere, eoſque in veras probataſque leges efferre conantur? Non tales hoc æuum *Theologorum doctiſſimos*; non tales hic orbis *communes Magiſtros*, nouit. Nouum aliquod æuum, alium quendam orbem ſuo iſti *Alexandro* Magno quærant, vbi nemine religionis, & diſciplinæ Chriſtianæ conſcio, vaſtiſſima & imperitiſſima ſua vanitas faciliùs approbari explerique poſſit.

TITVLVS IV. DE HIERARCHIA ET REGVLARIBVS.

PROPOSITIO PRIMA,

Ex cap. 5. §. *50*. n. *3*.

Quod Regulares ſunt de Hierarchia abſolutè, & non tantum in hoc aut illo ſenſu, articulum fidei eſſe puto.

CENSVRA.

Author nouum, eumque falſum, fidei articulum fingit.

SPON-

Digitized by Google

SPONGIA.

Author non nouum articulum fingit, ſed collector antiquum obtinet, hoc eſt, calumniari pergit, malignéque Authoris ſententiam referre. Author loquitur de Hierarchia in ea ſignificatione, quam D. Kelliſonus ſuo opere tractat, nimirum vt ſumitur pro corpore in quo ſunt caput, oculi, manus, pedes, aliaque membra *diuerſarum functionum; pro exercitu, in quo Imperator, Legati, Legionarij, Centuriones, Decuriones, Milites gregarij, &c. hoc ſenſu Hierarchia, aliud non eſt, quàm Eccleſia Catholica: Tam autem certum eſt Regulares eſſe de Hierarchia, quàm eſt de Eccleſia eſſe: quod opinor, iſti non audebunt apertè dicere non eſſe fidei.* *Vid. Auth. n. 3.*

Responsio.

Rurſus ad effugia & ad ſtrophas redis: errorum tuorum falſitatem nimium inſipidam fore putans, niſi mendaciis condiatur. Cæterùm mendacia adeò pinguia inſpergis, vt ipſis viciſſim ſua condimenta quærere debeas, ne nihilominus totius apparatus inſulſitas reſpuatur. Dicis te, dum articulum fidei cenſes, *Regulares de Hierarchia eſſe abſolutè*, & Hierarchiam idem eſſe facis, atque Eccleſiam Catholicam, Kelliſoni ſenſu loqui. Primùm, quid tandem intereſt te illius nec ne ſenſu loqui, modò verè tuo loquaris? Quid eum obijcis Facultati Pariſienſi, quaſi in illius verba iurauerit? Quid tua reſpon-

ſione ineptius? Non enim homines, ſed doctrinam notat Cenſura Pariſienſis Facultatis, vt ſæpius initio reſponſum eſt. Vnde cuiuſcumque ſit doctrina tuæ propoſitionis, quicumque ſit illius Author, ipſa ſine perſonarum diſcrimine reprobatur.

Deinde ex tuis ipſis probationibus falſum apparet, Kelliſonum Hierarchiam eo ſenſu, quem tu fingis, accepiſſe. Si enim putauit Hierarchiam idem eſſe atque Eccleſiam; quonam modo negare potuit regulares eſſe de Hierarchia, cùm eos non neget eſſe de Eccleſia, ſed *eminentia Eccleſiæ membra* vocet, vt tu ipſe ais? Profectò nemini probabitur eſſe vllum hominem rationis lumine præditum, qui conceſſo Hierarchiā eſſe idem atque Eccleſiam, & regulares eſſe eminentia Eccleſiæ membra, deinceps negare poſſit, Regulares eſſe non ſolùm de Hierarchia, ſed etiam eminentia membra Hierarchiæ. Quanto minus id neget Doctor Theologus, & is Doctor, cuius eruditionem multi laudant, & tu ipſe non deſpicis? Atqui Kelliſonus obnixè negauit, vt ais, Regulares eſſe de Hierarchia; non igitur dicere potuit Hierarchiam & Eccleſiam idem eſſe. Quare manifeſtum eſt te illi fraudem facere, & id quidem quod ais, ex ipſius dictis inferre conari, ſed illo inuito & repugnante; vt ſit magnæ audaciæ, id ipſi pro ſuo tribuere quod ab eo neceſſariò ſupponitur eſſe falſum.

In præfat. Apol. nu. 1. Apol. c. 5. n. 1.

Quomodo enim argumentaris ex verbis Kelliſoni; vt probes eum Hierarchiam pro tota Eccleſia Catholica accepiſſe? Quia videlicet Kelliſonus

Hierarchiam probat *ex eo quod diuus Paulus Eccleſiam humano corpori confert, in quo ſunt oculi, manus, pedes, aliáque membra:* item exercitui, in quo eſt Imperator, Duces, Legati, gregarij milites, &c. Quaſi inde ſequeretur vim, & rationem Hierarchicam in omnibus membris Eccleſiæ à Kelliſono conſtitui; aut polemarchiam in omnibus qui de exercitu ſunt, etiam gregariis militibus. Mala ratio, minime Ieſuitica, id eſt, ingenioſa, erudita, elegans; ſed turbati animi, & Cenſuræ dolore præſtincti erratio. Ex eo enim loco diui Pauli, & ex iſtiuſmodi comparationibus ita demum recte probatur Hierarchia, quia ille locus & illæ ſimilitudines probant graduum in Eccleſia variorum diſcrimina, & membrorum non vnimodas & æquales, ſed multiplices multigenaſque functiones, ita vt alia aliis ſuperiora ſint, & ab aliis regantur & gubernentur, quod ad Hierarchiæ rationem neceſſarium eſt. Vnde cùm in Eccleſia reperiri pateat ex illis locis, inde ſequitur in Eccleſia eſſe Hierarchiam, ſeu ſacrum Principatum. Similiter recte probo in caſtris eſſe polemarchiam, quia non omnes milites æquali ſunt iure ac poteſtate; quo poſito polemarchia tolleretur; ſed alij gregarij, alij Centuriones, Duces, Legati, alius Imperator. Vnde ſi inferas totum exercitum eſſe polemarchiam, aut hanc in toto exercitu, aut etiam in gregariis militibus reſidere, & hos illius eſſe compotes: nemo non videat, quàm ſtolida futura ſit conſecutio. Quare cum Ieſuita hoc modo argumentetur,

abijciendus eſt, & ad ſcholas ablegandus, vbi ei ingenium, & rerum Theologicarum notitia refingatur.

Omiſſis igitur argumentationibus fatuis, de ipſa Ieſuitæ ſententia dicamus. Verè enim ipſius, non alius cuiuſquam eſt, vt ipſa per ſe propoſitio clamat, *quod Regulares ſint de Hierarchia abſolutè, articulum fidei eſſe puto:* Quæ verba ſunt non alieno, ſed proprio ſenſu loquentis, & nouum articulum fidei, vt rectè Cenſura, fingentis, de quo antè hoc tempus apud nullum Theologum auditum eſt. Patet id etiam ex ipſo initio capitis, vbi doctrinæ ſuæ capita deinceps probanda enumerans: *Tria probanda ſunt,* inquit, *Regulares eſſe in Hierarchia abſolutè, & non ſenſu quodam (vt Doctor alijs perſuaſum cuperet.) Deinde, eſſe eos in Hierarchia eo gradu quo excluduntur à Domino Doctore. Tertiò, eminentiori eſſe in Hierarchia gradu quàm ſæculares Sacerdotes.* An hoc eſt alieno ſenſu loqui? Pudeat cauillationis indignæ. Doctrina iſta Ieſuitica eſt, non Kelliſoni, vt ipſe Ieſuita hîc fatetur, etſi deinceps eam ex verbis illius argumento ad hominem probare conetur, falsò & imperitè, vt paulò antè vidimus.

Cap. 5. §. 1. n. 3.

Mirum verò Ieſuitam in tanta argumentorum, quibus doctrinam temerè prolatam approbet, inopia verſari, vt ad eam tuendam cogatur Hierarchiæ cancellos eo hiatu, ea diruptione laxare, qua nemo ſit in Eccleſia quin ad Hierarchiam Eccleſiaſticam irrumpere poſſit. Quod profectò eſt Regularibus dare nihil, & priuilegium ſeu excellentiam

Digitized by Google

vt de Hierarchia ſint, eadem ratione qua iis attribuitur, adimere & euertere, vt ſolo iam verborum honore afficiantur. Si enim de Hierarchia ſunt, quia de Eccleſia ſunt, & Eccleſia ac Hierarchia idem ſunt: patet nihil eis priuilegij aut excellentiæ dari præ laïcis omnibus, etiam fœminis, etiam infantibus, qui eodem quo ipſi iure ad Hierarchiam pertinebunt, quia de Eccleſia ſunt. Quare non arbitror Regulares Ieſuitæ gratiam habituros pro præſtantia, & dignitate adeò exili ratione ipſis aſſerta, vt antequam ad eos peruenerit, euanida fiat, & in promiſcuum fidelium gregem ex eorum manibus dilabatur. Nulla enim præſtantia, nulla prærogatiua in eo eſt, quod omnibus ex æquo conuenit.

Sed multo grauiùs Hierarchiam violat, eam toti vulgo fidelium dilapidandam proijciens, vt nemo ſit Catholicus qui in Hierarchiam non propriè & abſolutè collocetur. Quod nouum, in Eccleſia Catholica inauditum, Hierarchiæ iniurium, Conciliis aduerſarium, hæreticorum tantum huius æui erroribus affine eſt. Quando enim apud Catholicos auditum eſt, laïcos, infantes, fœminas in Hierarchia eſſe. Faceſſant *profanæ vocum nouitates: Nos talem* 1.*Tim.* 6.
conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Deſinat ſperare Ieſuita, ſe errorem qui ſine perpetui ſermonis Eccleſiaſtici, & generalium notionum Chriſtianorum euerſione fulciri nequeat, Cenſoriæ notæ ſubtrahere poſſe. Sicut polemarchia non ad omnes qui in exercitu ſunt; Nauarchia non ad omnes qui naui vehuntur; ſed ad eos tantum qui exercitui 1.*Cor.* 11.

aut naui præſident, & ad eorum miniſtros, qui præfecturæ partem aliquam gerunt, pertinet: ita Hierarchia non ad omnes patet qui in Eccleſia continentur, ſed intra eos conſtringitur, qui rebus ſacris ſeu Eccleſiæ præſunt, eorumque miniſtros, quibus pars aliqua miniſterij ſeu præfecturæ Eccleſiaſticæ committitur. Sunt quidem fideles omnes ſub Hierarchia, ſed in ipſa Hierarchia non ſunt, nec Hierarchiæ ipſius conſortes ſunt: Sicut omnes regni alicuius ſubditi, ſub Monarchia quidem ſunt, ſed non ſunt in ipſa Monarchia, ſeu Monarchiæ ipſius conſortes. Hoc enim ſolius Regis, & Magiſtratuum miniſtrorumque regiorum proprium eſt. Vnde non minus explodendus eſt qui Chriſtianos vniuerſos in Hierarchiæ conſortium inuehat, quàm qui omnes regni alicuius populares, ruſticos, fœminas, pueros, in partem Monarchiæ vocet. Quare Concilium Tridentinum, hæreticorum huius temporis hæreſes abdicans, non alios in Hierarchia collocat, niſi Epiſcopos, Preſbyteros, & Miniſtros; & Eccleſiæ perturbationem fieri cenſet, ſi quis omnes promiſcuè fideles in Hierarchia conſtituat, quod ante illud tempus ſoli hæretici fecerant. Quis cum hoc decreto conciliet & doctrinam Ieſuiticam, qua poſita Concilium in Hierarchiæ Eccleſiaſticæ deſcriptione multo maximam Hierarchiæ partem omiſerit, ſi tota generatim Eccleſia nihil ſit aliud quàm Hierarchia Eccleſiaſtica? Si enim reſpondeatur, Concilium alió ſenſu capere vocem Hierarchiæ, quàm Ieſuita ceperit dum ait Hierarchiam & Ec-

cleſiam idem eſſe; fateri neceſſe eſt nouam contra Concilij vſum locutionem, ad nouum errorem ſuſtinendum obtrudi; & confirmatam ab Oecumenico Concilio locutionem, quæ proinde totius Eccleſiæ locutio cenſenda eſt, contemni, & labefactari. Et quamuis non dubitem quin Ieſuita aliquam ſuæ ſententiæ expoſitionem ſit allaturus, qua ſe ab erroris hæreticorum à Concilio Tridentino damnati communione eripiat: tamen velit nolit, agnoſcere debet, ſe in eiuſdem cum iis locutionis communione verſari, dum Hierarchiam Eccleſiaſticam omnibus qui intra Eccleſiam ſunt communem facit. Vnde ſequitur doctrinam eius, in regione hæretica apud ſimplices Catholicæ plebis animos proſeminatam, nihil eſſe aliud niſi lapidem offenſionis & petram ſcandali, qua & hæretici Catholicis inſultent quaſi ad ſua deliria tranſgreſſis; & Catholici rudiores in errorem hæreticum reuera tranſgrediãtur. Quare ſeuera animaduerſione coërcenda fuit Ieſuitæ temeritas, hoc zizanium, hoc hæreſeos ſeminarium in Eccleſia Anglicana hæreſi circumfuſa ſpargentis, & ea potiſſimùm ſpargentis audacia, vt haberi velit *articulum fidei*, totius videlicet Eccleſiæ Catholicæ conſenſione firmatum, quò altius Catholicorum animis infigatur, & grauioris ruinæ periculum ſtruat.

PROPOSITIO SECVNDA.

Ibidem num. 6

Regulares, vt Regulares, ſunt Preſbyteri & prædicatores, non quod ex inſtitutis ſuis fiant formaliter Sacerdotes: ſed quia officium & vocatio Preſbyteri eſt cum inſtituto ſuo & ſtatu connaturaliter & neceſſario coniuncta.

CENSVRA.

Iſta Propoſitio eſt falſa, temeraria, ordinis Hierarchici perturbatiua, & erronea.

PROPOSITIO TERTIA.

Ibidem.

Religioſus qui non eſt adhuc Sacerdos, nondum venit ad perfectionem ſuæ vocationis.

CENSVRA.

Iſta Propoſitio abſolute prolata eſt falſa, temeraria, ordinis Hierarchici perturbatiua, erronea, multis ſanctis religioſis, imò & nonnullis ordinum regularium primis authoribus iniurioſa.

SPON-

SPONGIA.

Hanc geminam Cenſuram vna Spongia eluo, nimirum hac quâ ſæpe vſi ſumus, ac vti ſæpe debemus, miram eſſe collectoris ſeu interpretis in mentiendo libidinem. Authori propoſitiones imponit, quas tum ex titulo paragraphi, tum ex tota ſerie diſputationis conſtat eſſe aſſerta Doctoris Kelliſoni, *quæ author non recipit abſolutè, ſed cum explicatione & reſtrictione. Hoc oſtendo. Dixerat Doctor Kelliſonus religioſos qua religioſos eſſe eminentia membra Eccleſiæ, & ordinari vt Epiſcopos iuuent, ijſque aſſiſtant in habendis concionibus, & confeſſionibus audiendis. Ex hoc dicto contendit Author ſequi Religioſos, qua Religioſos, eſſe Sacerdotes. Nam ſi quâ Religioſi, ordinantur ad audiendas confeſsiones, aut nullus poßit confeſsiones audire niſi Sacerdos, ſequitur, quâ Religioſos, eſſe Sacerdotes. Ita Authoris conſequentia euidens eſt.*

RESPONSIO.

Nunquamne deſines pueriliter tergiuerſari, & calumnias alienas inſectando, tuas augere ac prodere? Non enim *mentiendi libidine* capiuntur Cenſores aut interpretes, ſed tu excæcaris. Non tibi quicquam imponunt, ſed tu illis, & Kelliſono tuos errores, & tuas fraudes ſumma inuerecundia, te ipſo teſte affingis. Nam ex vera Kelliſoni propoſitione, errorem peſſimum, quem antè animo malè conceperas, male inferre conaris,

Digitized by Google

vt eum illi aſcribas quaſi ſuum, & illius ſocietate flagitij tui inuidiam deoneres. Quæ tandem iſta eſt Ieſuitica fides, quis Moliniſticus pudor, vt id quod ex alterius vera doctrina, tuæ mentis vitio male colligis, in illum referas, vt in Authorem? Sic quæcunque hæretici ex doctrina Eccleſiæ malè argumentando eliciunt, Eccleſiæ aſcribentur. Hoc verò tunc potiſſimum nefarium eſt, cùm is, ex cuius veris vocibus peruerſa doctrina eruitur, & eam, & conſecutionem qua eruitur, diſertè inficiatur, vt Kelliſonus te ipſo teſte inficiatus eſt
Apol. c. 5. §. 3. nu. 7. claris verbis, *Regulares vt tales, Sacerdotes eſſe, aut ad eos prædicandi munus pertinere.* Qua de cauſa tibi *pugnantia loqui* viſus eſt; quia videlicet conſequentiam ſtupidiſſimam, qua id infers, *euidentem*, Philoſophus haud Theologo melior, arbitraris. Quid enim ſtupidius, quàm ex eo quod à Kelliſono vere ſcriptum eſt, Religioſos, ſeu aliquos, ſeu omnes, nihil enim hoc loco intereſt, *deſtinari vt Epiſcopos adiuuent, ijſque aſsiſtant in habendis concionibus & confeſsionibus audiendis*; dicere rectè colligi, & quidem *conſequentia euidenti*, *Religioſos qua Religioſos, eſſe Sacerdotes*: quia videlicet nemo confeſſiones audire poſſit, niſi Sacerdos? Quæ ineptia tanta eſt, vt mirum ſit vel eam Ieſuitæ excidere potuiſſe, vel Spongia ſaltem non eſſe abſterſam, cùm ſit fœdiſſima macula. Nam ſicut qui ad vitam religioſam deſtinatus eſt, ad eamque ſuſcipiendam ſeſe voto alligauit, non ideò Religioſus cenſeri debet, nec ſtatus Religioſus ei de-

Digitized by Google

betur, quamuis votum Religionis, ſit pium, & probatum à Deo, & Euangelio congruum; Sic ridiculum dictu eſt aliquem ideò eſſe Sacerdotem, vel ei deberi Sacerdotium, quia ad Sacerdotium deſtinatur, & ad illud voto adſtrictus eſt. Nam votum nihil aliud efficit, niſi vt is qui vouit, quantum in ſe eſt, elaborare debeat ad implendam voti ſponſionem, ſeu Sacerdotium, ſeu Religioſam vitam vouerit. Danda ei ſolum opera eſt, ne per ipſum ſtetiſſe videatur, quominus explerit votum, & ad Sacerdotij vel ſtatus Religioſi aſſecutionem, idoneus paratúſque euaſerit. Non enim ſuo voto minuere potuit eorum ius & officium, quorum eſt regularem ſtatum, vel Sacerdotium iis ſolummodo, quos idoneos probauerint, & quibus commodum viſum fuerit, impertiri. Sicut ergo Religioſi, quantumuis quiſpiam ſtatum Religioſum vouerit, eum illi à ſe deberi non putant, niſi non ſolum probum, ſed etiam Monachalem aut Religioſum animum præ ſe ferat; Ita quantumuis Religioſi alijve vouerint Sacerdotium, hoc eis ab Eccleſia deberi non poteſt, niſi animum non ſolùm Monachalem, ſed etiam Clericalem, & Eccleſiaſticum exhibeant, aut quouis alio modo eis recte dari iudicetur.

Zoſim. ep. 1. c. 1. Leo. ep. 85. ad Epiſc. Afric.

Sequeretur etiam Seminariſtas variis locis ad animarum curam ſubeundam educatos hoc ipſo quo Seminariſtæ ſunt, eſſe Sacerdotes, quia ad Sacerdotium ab ipſa Eccleſia, & ab ipſis Epiſco-

Digitized by Google

pis deſtinantur. Eos qui Theologiæ dant operam in Academiis, iam eſſe Doctores, quia ad Doctoratum ipſo ſtudiorum curſu properant. Eum qui vouit militiam, iam eſſe militem aut militarem gradum ei à Rege deberi. Quæ omnia nec dici nec cogitari poſſunt ſine ridicula inanitate. Nec enim Rex militiam debet niſi habenti militarem animum & cætera quæ ad militiam poſtulantur; atque ita demum, ſi militibus egeat: Imò ne ſic quidem verè debet ei præ alio qui pariter dignus videatur. Eodem pacto nec Eccleſia, nec Epiſcopus, Sacerdotalem aut Clericalem ordinem, qui à Patribus & Conciliis, *Eccleſiaſtica ſeu ſacra Militia* dicitur, niſi aptis ad eum ordinem debet; atque ita debet, ſi Eccleſia Presbyteris, aut Clericis pluribus egeat; ac ne tum quidem propriè vni cuipiam debet præ altero quem vel æque dignum, vel digniorem repererit. Nullam denique cuiuſcumque voti vel obligationis rationem habere poteſt, quia certum eſt nullis votis, vel obligationibus antè initis, Antiſtitum Eccleſiæ, aut Eccleſiaſticorum Canonum iura mutari. Quamobrem magnæ reuera temeritatis, & altæ præſumptionis eſt aſſerere Sacerdotium talibus vouentibus ſuo iure deberi, quaſi eis negari non poſſit ſine graui iniuria, & ſine rei iam partæ, iam neceſſariò ſuæ ereptione. A qua præſumptione abfuerunt Religioſi veteres, qui partim *concionandi* munus *nec nouitio expedire, nec profeſſo conuenire* dixerunt; vt ſanctus Bernardus: par-

Siric. Pap. ep.1.c.10.& 15. Concil. Carth.1.c.6. Felix 3. Pap. ep.7. ad Ep. vniuerſ.

tim, *ordini Monachorum Clericalem ordinem, & cæteros ordines ſacros qui Clero proprij ſunt*, SECVNDVM INDVLGENTIAM *concedi*, vt Hugo de ſancto Victore: Partim, *ordini Canonicorum Regularium per ſe competere, vt ſint Clerici Religioſi: ſed ad Religionem Monachorum* NON PER SE COMPETERE *vt ſint Clerici*; vt ſanctus Thomas. Vt innumera alia teſtimonia omittam tum recentiorum ſanctorum Religioſorum, tum præcipuè ſanctorum Patrum, quorum authoritate hic error Moliniſticus alibi comminuetur. Nam, vt iſtum locum clariſſimo argumento concludamus, ſi dici non poſſit inferiorum graduum Clericos, ipſo ſuo Clericatu iam eſſe Sacerdotes, ſine graduum Hierarchicorum confuſione; nec iis deberi Sacerdotium, ſine perverſione Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ tam accuratam in deligendis ad Sacerdotium digniſſimis quibuſque Clericis ſolicitudinem præcipit; quamuis certum ſit inferiores ordines ad Sacerdotium deſtinari, non tam Eccleſiæ voluntate, quam ſuapte natura, & Chriſti ipſius inſtituto: Quanto minus fas erit dicere Regulares, quâ Regulares, & ipſa Religionum ſuarum conditione, eſſe Sacerdotes, licet ſuæ Religionis propoſito ad Sacerdotium deſtinentur? Labat igitur collectio Ieſuitica, & turpiter labat, deſtinatione ad Sacerdotium pro ipſo Sacerdotio accepta, ſeu vt ſcholæ more loquamur,

S. Bern. ſerm. 44. in Cant.

Hugo l. 2. de ſacr. p. 3. c. 4.

S. Th. 2. 2. q. 189. ar. 8. ad 2.

eſſe intentionali in eſſe reale commutato. Qui error tantus eſt, vt cæcum, aut Spongiam eſſe neceſſe ſit, qui conſequentiam quæ illo nititur, videat, & euidentem vocet.

SPONGIA.

Author tamen non abſolutè admittit antecedens, atque adeò neque conſequens, ſed cum reſtrictione quam adhibet his verbis: Quod dicitur regulares, quâ Regulares, ordinari ad confeſſiones audiendas (intellige aliquos Regularium ordines) confirmatur ex alio dicto Doctoris, &c. *Vides, Lector, hoc dictum, Regulares quâ Regulares, ordinari ad audiendum confeſſiones, atque adeò eſſe Sacerdotes, Doctoris Kelliſoni eſſe, ab Authore non approbatum niſi cum reſtrictione, quod non de omnibus, ſed tantùm de aliquibus ordinibus intelligi debeat, nimirum illis, quibus ex ipſa natura inſtituti debeatur Sacerdotium, cùm ad actiones ex inſtituto ordinentur, quæ ſine Sacerdotio peragi non poſſunt. Author quidem nunquam reprehendit hoc dictum Doctoris Kelliſoni, quia nunquam ipſi venit in mentem aliter intelligere ipſius dictum, Religioſos quâ Religioſos ordinari ad audiendum confeſſiones, quam quod hoc tantum diceret de quibuſdam, & cùm ſit indefinita in materia contingenti, non eſt de rigore vniuerſalis. Quicquid ſit, Author adhibuit reſtrictionem. Unde videas iniquitatem Cenſuræ: propoſitionem abſolutè prolatam cenſent falſam, temerariam, ordinis Hierarchici deſtructi-*

uam, croneam, multis ſanctis Religioſis, & Religionum nonnullis fundatoribus iniurioſam: propoſitionem abſolutè, & ſine vlla reſtrictione protulit Doctor Kel*liſonus, in quem tamen hoc nomine non commouentur, nullam in eo maculam ſeu notam dicunt. Author propoſitionem ex eodem refert, nec abſolutè approbat, ſed cautè, diſtrictè, & expreßè monens de aliquibus intelligi, non abſolutè de omnibus; eum tamen velut abſolutè de omnibus aſſerentem omni qua poſſunt verborum acrimonia inclamant, falſum, temerarium, Hierarchiæ deſtructorem, neſcio quibus ſanctis, & ordinum fundatoribus iniurioſum. Recte Ageſilaus,* ſi iuſti omnes eſſemus, fortitudine opus non eſſet; *ita è contra vbi regnat iniuſtitia, muſcæ capiuntur aranearum & calumniarum telis, quas fortiores beſtiæ facilè perrumpunt.*

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas:

Quod etiam fit in Cenſura, quæ proxime ſequitur.

Responsio.

Apage ineptias, ſatyricos verſus, ridicula apophthegmata, quæ nequidem intelligis, ſed temerè iactas & torques ad inſulſitatis, & imperitiæ tuæ omnigenæ oſtentationem. Quid enim ſimile eſt fortitudini, quam Ageſilaus ad tuendam iuſtitiam requirebat, cum *magnarum* tuarum *beſtiarum* robore, quo illæ beſtiæ non niſi ad violentiam & ſæuos impetus vti ſolent?

Quid deinde ſimile *fortibus beſtiis*, quarum in numerum te coniicis, cum *columbis* imbellibus, quibus te ſimul comparas, quarum ſimplicitati, manſuetudini, candori nihil diſſimilius fingi poteſt quàm tuæ fraudes continuæ, contumelioſa tua ferocitas, ſplendidiſſima mendacia? *Coruis* ſimilior es, tum veſte, tum mente, tum voce craſſá, hebeti, abſona. Mitto cæteras abſurditates, ad quarum exprobrationem doleo me toties cogi. Nunc ad rem vt accedamus, reſponſio Ieſuitica hic iterum ſui ſimilis, iudicij & ingenij expers, plena fraudis & Ieſuitici artificij, æquiuoco videlicet turpi ſubnixa. Exclamat in Cenſuram vt calumnioſam, quod propoſitionem damnarit *abſolutè* prolatam, cùm ipſe eam *non abſolutè protuliſſe* ſe dicat, ſed *de aliquibus tantum* regularium ordinibus. Quaſi Cenſuræ interſit, de quibus eam protulerit, modò de aliquibus. Nam de quocumque tandem ordine Religioſorum is error aſſeratur, idem error, & idem vitium eſt, eadem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ perturbatio, quia Hierarchia non perturbari non poteſt, ſi Hierarchici gradus deberi dicantur iis quibus deberi non poſſunt. Nulli autem regularium ordini deberi poſſunt, vt iam antè diximus, & iterum dicturi ſumus. Quare turpiculam fallaciam nectit ex ambiguo Ieſuita, dum voculam *abſolutè*, qua Cenſores vſi ſunt, accepit pro *generatim*: Non enim propoſitionem eius damnarunt temeritatis & erroris, generatim ſolùm intellectam, ſed ad quoſ-

cumque

cumque regulares accommodetur, temerariam & erroneam eſſe cenſuerunt *abſolutè prolatam* ſine aliquo additamento, quo indicetur regulares, ſiue omnes, ſiue aliquos, non ſolùm non eſſe ſuis inſtitutis *formaliter* Sacerdotes, ſed nequidem iis abſolutè deberi Sacerdotium, neque in eorum vocationis perfectione includi. Hoc enim non ſolùm de omnibus Religioſis non aſſerendum, ſed etiam de omnibus negandum eſt, vt ſupra. Nam quod aliqui Religioſi ſpeciatim præ aliis ad Sacerdotium ſuis votis deſtinari videantur, non eis maius ad Sacerdotium ius acquirit, neque magis eos Sacerdotes facit, quàm eos qui non deſtinantur. Aliud deſtinari eſt, aliud eſſe; aliud tendere, aliud habere ius, quo ſibi id ad quod tenditur, debeatur. Nam profectò impium eſt quod Ieſuita ait in Apologia, neque in Spongia iterare auſus eſt; Religioſis qui ſuo inſtituto ad Sacerdotium deſtinantur, deberi Sacerdotium, perinde vt iis qui ad Epiſcopatum, aut ad curam Parochialem promoti ſunt, necdum Sacerdotes; adeóque Religioſorum illorum ſtatum eſſe ſtatum Sacerdotii, perinde ac Epiſcopalem ac Parochialem gradum. Quæ arrogantia inſignis eſt, & peruicacia irreligioſa & irregularis, & digna cui os totius Eccleſiæ iudicio obſtruatur. Nam qui ad Epiſcopatum, aut ad Parochi munus euectus eſt, non deſtinari ad Sacerdotium, ſed iam electus, imò factus cenſetur Sacerdos; & ſi fortè nondum ſit, per accidens eſt; iam enim eſſe de-

bebat, iuxta diſciplinam Eccleſiæ, & ſacros Canones, qui Epiſcopatus & Paſtoratus Eccleſiæ,

Conc. Sard. c. 10. Syric. ep. 1. c. 8. 9. & 10. &c.

niſi iis qui inferiores omnes Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus emenſi fuerint, demandari vetuerunt. Vnde quod ſubinde aliter fiat, extraordinarium & per accidens eſt, Eccleſiæ interdum diſpenſatione conceſſum. Ac qui eo modo promo-

Can. Ap. 37

uentur, intra breuiſſimum tempus, quod Canones definierunt, conſecrationem ſuſcipere debent,

Conc. Later. ſub Alex. 3. cap. 4. Conc. Lugd. ſub Greg. 10. de elect. & elect. poteſt. c. 13. & 14.

ad quam ideò non ſolùm eos eligit, ſed etiam compellit & cogit Eccleſia. Quæ omnia longè ſecus habent in quibuſcumque regularibus, qui ſola votorum ſuorum deſtinatione ad ordines ſacros feruntur, non modò ſine vllo ad eos iure ſuo, ſed etiam ſine vlla Eccleſiæ electione, aut probatione, aut promiſſione. Etſi enim Eccleſia probet, eos, & quoſuis alios, etiam non Religioſos, ad Sacerdotium omnibus votis tendere, & ad illud ſeſe quàm ſtudioſiſſime parare; non tamen eis vllum ius addicit, neque pollicetur quicquam, ſed ſuum ſibi iudicium & ſuum arbitrium reſeruat, vt eos quando, & quomodo viſum erit, ad Sacerdotium vel admittat vel repellat, ſi quid erit quamobrem iure ita faciendum videatur. Quod modeſtius perpendens D. Thomas quàm Ieſuita & cæteri Moliniſtæ, dum agit de iis Religioſis *qui inſtituti ſunt* AD DOCENDVM *& confeſſiones audiendum;* manifeſtè docet eos *non agere*

S. Th. 2. 2. q. 183. a. 4. ad 1. & 2.

virtute PROPRIA, *ſed ex virtute alterius, & per modum inſtrumenti, vt* MINISTROS *videlicet Præ-*

latorum ſuperiorum & INFERIORVM. Et ideò etiamſi tales Religioſi *authoritate Prælatorum prædicent, non* SVPERGREDI DISCIPVLATVS VEL SVBIECTIONIS GRADVM, QVI PER SE COMPETIT RELIGIOSIS. Non ergo illis authore diuo Thoma, quantumcumque ad conciones aut confeſſiones inſtitutis, per ſe competit Sacerdotium; aut ius vllum ad ordines ſacros, quorum virtutem *alienam*, non *propriam* Religioſorum facit diuus Thomas, tribuens iis *per ſe diſcipulatus & ſubiectionis gradum*, non magiſterij, aut iudicij vllius Eccleſiaſtici, atque ita docens nullum iis eſſe ius vt in Eccleſia doceant, ſed vt doceantur; quod diſcipulorum proprium eſt. Neque verò Moliniſtæ, ſoli ſancto Thomæ contrarij ſunt, & eius modeſtiæ inimici; ſed etiam iniurij ſunt plurimis tum Religioſorum ordinibus generatim, tum multis nominàtim Religioſis inſignibus, quorum vtinam virtutem & humilitatem imitarentur. Nam dum ordini ſuo Ieſuitico Sacerdotium per ſe annexum, & debitum, & quodammodo naturale faciunt, ſicut Epiſcopali, & Parochiali ſtatui, primo longè plurimis & nobiliſſimis Religioſorum ordinibus proteruè ſe anteponunt, vt ordini Benedictinorum, quibus fallaciter in hac duntaxat contentione adulantur; Carthuſianorum, quibus ſe fœderatos ſimulant; Ciſtercienſium, Cœleſtinorum, Hieronymitarum, aliorumque plurium, quorum ordines cum per ſe inſtituti non fuerint ad concio-

nandum & confeſſiones audiendum, ideóque dici nòn poſſint, Sacerdotium intra ſuæ vocationis perfectionem includere, profectò longo interuallo cedent Ieſuitici ordinis perfectioni ac præſtantiæ, ſi Sacerdotalis dignitas ei ſit quodammodo naturalis & debita. Nam ſanctus Thomas præ-
S.Th.2.2.q. 189.a.8. ad 2. fert ordinem Canonicorum Regularium (qui per ſe ſunt Canonici, & Clericalis ordinis pars, hoc ſolo à cæteris Clericis ex primæua ſua inſtitutione differentes, quòd ſint votis alligati, vt latiùs alibi exponetur) ordini quorumuis Monachorum & Religioſorum; à quibus ideò ad ordinem Canonicorum Regularium tranſiri poſſe docet, non autem à Canonicis Regularibus ad Religiones Monachorum, ſine venia Superiorum, quemad-
19.q.3.c. Mandamus modum etiam in iure conſtitutum eſt. Si igitur ordini Ieſuitarum per ſe competit Eccleſiaſticus ordo, & Sacerdotium, itavt Ieſuita, qua Ieſuita, ſit Sacerdos, nec Ieſuiticæ vocationis perfectionem expleat, donec ad Sacerdotium peruenerit; dubium non eſt, quin Ieſuitici ordinis eminentia, omnium antiquiorum & nobiliſſimorum ordinum, & eorum quos nouerat S. Thomas, quibus *diſcipulatus & ſubiectionis gradum per ſe competere docuit*, magnopere antecellat.

Sed grauiſſimè omnium iniurij ſunt Seraphico Minorum ordini. Non enim in eo Religioſos duntaxat aliquos vnos è multis, aut in paucis eximios, violant; ſed ipſum eius fundamentum & principium deiiciunt. Nam ſi Religionibus ad confeſſiones

Digitized by Google

inſtitutis officiú, & vocatio Presbyterij *neceſſariò & connaturaliter* coniungitur, ita vt Religioſus, qui nondum eſt Sacerdos, ad perfectionem ſuæ vocationis nondum venerit; manifeſtiſſimè ſequitur S. Franciſcum, cuius familia non minùs ad conciones & confeſſiones obeũdas deſtinata eſt, quã Ieſuiticus ordo, ad perfectionẽ ſuæ vocationis non perueniſſe, atque adeò ordinem Franciſcanũ, ordinũ omnium fœcundiſſimũ & latiſſimũ, ſemipleno capiti, & imperfecto fundamento inſiſtere. Hæc vis eſt doctrinæ & argumentationis Ieſuiticæ, Religioſis ordinibus, & communi Eccleſiæ ſenſui refractaria. Tantum enim abeſt vt S. Franciſco detrimẽti quippiam attuliſſe cenſeatur Sacerdotij derelictio, vt contrà ob eam ipſam perfectio ipſius religioſa, & totius eius ordinis laus amplior & illuſtrior effulgeat: quòd videlicet perfectam virtutem perfectæ prætulerit poteſtati, tantúque ſe à Moliniſtici ſpiritus elatione remouerit, vt Sacerdotium non ſolùm non in ſuę vocationis perfectione concludi, neq; ſibi ab Eccleſia deberi cenſuerit, ſed cùm eo digniſſimus eſſet, indignũ ſe putauerit cui illud ab Eccleſia per gratiã cõferretur. Quo facto inſignius Religioſæ perfectionis exẽplum poſteris ſuis ſe tradere arbitratus eſt, quàm ſi Sacerdotij dignitate cumularetur. Quare humillimi patris humiles filij, quãdiu in illud ſuę perfectionis exemplar referẽt animos, non poterunt quin Ieſuitici dogmatis temeritatem & faſtum Moliniſticum; vt ſpiritui patris ſui, & primæuæ ſui ordinis perfectioni, & virtuti Seraphicæ iniurium auerſentur. Quo enim arrogantius humilitatis Franciſcanæ f[illegible]

aſpernaretur Spongia, cùm Cenſores doctrinâ eius *nonnullis ordinum Regularium primis Authoribus iniurioſam dixiſſent*, contemptim reſpondit, *Eam neſcio quibus Sanctis, & ordinum fundatoribus, iniurioſam* vocari; quaſi ſanctus Franciſcus, tanti ordinis fundator, vt hic de cæteris ſileam, cui doctrinâ iſtâ inſignis contumelia inuritur, vt ſuæ vocationis perfectionem non aſſecuto, apud eos pro homine neſcio quo, ignoto, terræ filio, pro nihilo denique habeatur.

Quin etiam, ne quid ſani in ea doctrina reſideat, non ſolum omnibus laïcis ſeu conuerſis omnium Religionum fratribus officit, qui iuxta eam ad ſuæ vocationis perfectionem nunquam perueniunt; ſed etiam in ipſos Ieſuitas quoſcumque, votis ſimplicibus poſt biennem probationem adſtrictos, reuoluitur. Et hos enim iſta doctrina negat ſuæ vocationis perfectionem attigiſſe, proindéque non eſſe perfectos religioſos, perfectóſque Ieſuitas, contra Bullam Gregorij Papæ XIII. qua tam perfecti Religioſi eſſe dicuntur, quàm qui vota omnium poſtrema nuncuparint.

Bullarij Mag. tom. 2 Greg. 13. Bull. 89.

Hæc aliaque plurima, quæ Breuitatis gratia miſſa facimus, doctrinæ Ieſuiticæ damnationem & Cenſuram pepererunt, non futiles cauſæ quas Ieſuita commentus eſt, non æquiuocæ illius fallaciæ, quibus eam doctrinam non magis abſtergere potuit, quàm ſtolidis apophthegmatibus, & verſibus Satyricis, quos ſuæ orationi inuenuſtè ac temerè quaſi turpi faciei turpius fucamentum inſperſit.

PROPOSITIO QVARTA.

Ex cap. 5. §.50. n. 8.

Hic diuus Paulus, 1. Cor. 12. v. 28. *duo intendit. Primùm, deſcribere varietatem ſtatuum, miniſtrorum, & officiorum in Eccleſia, id eſt, ordines Hierarchiæ, vt D. Doctor dicit, nec aliquis dubitat. Secundum, numerare officia illa in ordine 1. 2. & 3. ſecundùm gradus & eminentiam loci, vti textus oſtendit. Hinc ſi in hoc loco diuus Paulus collocat Regulares antè Sacerdotes ſæculares, tunc locus Regularium eſt altior & eminentior & propior capiti. Sed quomodo hoc probari poteſt? quia ſanctus Paulus ponit opitulationes, id eſt, auxiliatores, ante gubernationes ideſt gubernatores. Nam ſicut opitulationes ſunt Regulares, quorum officium eſt adiuuare Epiſcopos & aſſiſtere illis: gubernatores ſunt ſæculares Sacerdotes habentes gubernationẽ animarũ, &c.* Et paulò pòſt: *Ergo ſecundùm Paulum & veritatem, Regulares ſunt altioris gradus in Eccleſia, quàm ſæculares Sacerdotes.*

CENSVRA.

In quantum ex ſancto Paulo deducere intendit Regulares eſſe gradus excellioris in Eccleſia, quàm Sacerdotes ſæculares qui animarum regimen habent, eſt falſa, temeraria, erronea, & præſumptuosè aſſerta. Inquantum verò Apoſtolum nomine *opitulationum* Regulares intelligere aſſeue-

ſat provt aſſiſtunt Epiſcopis, & abſque guberna-
tione immiſcentur Sacramentorum adminiſtratio-
ni, ridicula eſt, & vel ignoranter, vel malitioſè
Apoſtoli verba in alienum ſenſum detorquet.

SPONGIA.

Expoſitio quæ nomine opitulationum *apud diuum Paulum Regulares intelligit, non eſt Authoris, ſed Doctoris Kelliſoni. Hoc patet ex titulo paragraphi, ex initio numeri, ex quo propoſitio ſumitur: Et verò potuiſſet etiam vel ex ipſo textu, quem citant, ſi eum integre retuliſſent, & niſi textum recitando hæc verba tranſiliyſſent,* hoc quî probari poteſt; ſcilicet à ſancto Paulo Regulares dici opitulationes? Quis ita exponit? ipſe D. Doctor. *Ita Author, & citat locum Doctoris, quo expoſitionem illam tradit. Hæc verba collector, ſeu iuratus teſtis tranſilit, & ita ſaltitat de ſententia in ſententiam, de Authore in Authorem, quodque ab vno dicitur, alteri imponit. Hoccine Sacerdotem & Theologiæ magiſtrum decet? Cicero ſaltationem dicit in nequitia eſſe extremum, nihil probroſius nomine ſaltatoris dici in Conſulem populi Romani potuiſſe. Quantæ ergo turpitudinis Sacerdotem populi Chriſtiani de Authore in Authorem periuri teſtimonij leuitate deſultare? ſcribit ille Philoſophus quod ſaltationis pudebit mulierem geometriæ gnaram, & perjuræ ſaltationis non pudebit ſacræ Theologiæ magiſtrum? O quàm ipſum pigeret, ſi reuera ſapientiſſimus Magiſter, ſi Theoſophus, Ouranometra eſſet, ſi*

ſaperet ac intelligeret, & nouiſſima prouideret, ſi iudicem audiret arguentem & minantem, *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* *Pſal. 49.*

Responsio.

Si Spongiarum natura ſtultitiæ capax foret, hæc omnium meritiſſimò ſtultiſſima diceretur. Æſtuat enim & abripitur noui afflatus impetu, quem neque diuinum, neque humanum dixeris. Non diuinum, quia profanus eſt, à Cicerone & Plutarcho hauſtus: Non humanum, quia è ſcripturis ſanctis, & Spiritus ſancti voce deducitur. Non igitur diuinus, non humanus ſit; ſed in genus aliquod inter hæc medium reiiciatur. Nam nec diuini motus falſitatem; nec humana ratio ſtoliditatem, ſuſcipiunt: Quæ vtraque in iſta Spongiæ euagatione eminent quaſi certatim. Falſitas magna eſt, quod neget expoſitionem, qua in textu diui Pauli *Opitulationes* pro Regularibus ſumuntur, eſſe ſuam, & in Apologia à ſe traditam ſub nomine Danielis; Kelliſono autem tribuat, falsò penitus, & fallaciter, quantum ex eius probationibus iudicare eſt, quibus eam ex illius verbis elicere ſolùm conatur argumento ad hominem, ſed inepto & hebeti, eodem prorſus modo quo eam ad ſuperiores propoſitiones cauillantem

Digitized by Google

cauillantem audiuimus. Nam Danielem hanc expoſitionem ſuo ſenſu protuliſſe patet, quia poſt allatum illum locum Pauli, ita concludit: *Ergo ex iudicio ſancti Pauli, atque veritatis, altiori in Eccleſia gradu ſunt conſtituti Regulares quàm Sacerdotes ſæculares.* Atque hanc expoſitionem allatis aliis argumentis, & authoritate ſancti Thomæ confirmare conatur, & apertè *probabilem* vocat. Imò ſequenti paragrapho multò apertius ſic incipit, *Oſtenditur ex dictis quàm aptè Regularia inſtituta Opitulationes nominentur à ſancto Paulo.* Et infrà: *Iuſtiſsimam ſancto Paulo rationem fuiſſe, cur in Eccleſiaſtica Hierarchia Regulares collocaret ante Sacerdotes ſæculares;* ſine vlla amplius mentione Kelliſoni, cuius nomen nuſquam toto paragrapho ineſt. Denique tam clarè verba omnia ſenſum Ieſuiticum clamant, vt nemo qui ea legerit, aliud ex iis concipere valeat, præcipuè audito hoc exordio Ieſuitæ; *Tertio loco probandum ſuſcepi, Regulares in altiori eſſe Hierarchiæ gradu, quàm Sacerdotes ſæculares: quod ex Apoſtoli verbis demonſtro* 1. Cor. 12. 28. *adiuncta Doctoris interpretatione, &c.* Ex quibus & toto contextu paragraphi, nihil aliud percipi poteſt, niſi Ieſuitam ſuas opiniones exprimere, quas tamen ſimul ex aduerſarij principijs, quaſi eo inuito, comprobare nitatur. Vt mirum ſit tantum in Ieſuiticis animis latere peruicaciæ, tam parum verecundiæ, vt in rebus apertiſſimis tenebràs ſpargere, ambigua miſcere, fallacias, tum cùm maximè fallunt, inclamare non horreant.
Digitized by Google

Iam Kelliſoni non eſſe hanc expoſitionem, adeoque fraudulenter & inſulsè à Spongia ex eius verbis colligi, facilè demonſtrabitur. Nam verba Kelliſoni quæ affert, nihil habent de hoc loco Pauli. Tantum aiunt, *Regulares honorare debent Sacerdotes ſæculares, qui ex diuina inſtitutione Eccleſiæ gubernatores ſunt: Et ſæculares honorare debent Regulares, vt Opitulatores.* Hæc verba ſunt Kelliſoni à Spongia relata ad ſuæ expoſitionis confirmationem: Quem in finem Daniel, ſeu Ieſuita cum quo agimus, ea transfingere & interpolare aggreſſus eſt in Apologia, aſſutis ad marginem notulis, & in ipſam Kelliſoni orationem intertextis, vt ſimul cum vocibus Kelliſoni à lectore ſimpliciore commiſceantur. Qua futiliſſima ſtropha hæretici ſcripturas ſacras turpare, & ſenſim ſine ſenſu adulterare cœperunt. Atqui quicquid aſtutiæ in ſubſidium euocet Spongia, nunquam efficiet quod vult, nec his verbis Kelliſoni ſuam expoſitionem ſuffulciet. Quod enim ait Kelliſonus, hoc idem vulgò ab omnibus dici ſolet, Sacerdotes Eccleſiaſticos ſeu Clericos diuina inſtitutione eſſe Eccleſiæ gubernatores; Religioſos autem gubernatorum diuinitus inſtitutorũ opitulatores, ſeu auxiliarios. Nec tamen ideo quiſquis ita loquitur, locum illum diui Pauli ſpectat animo, aut in eum commentaria meditatur, aut illum eo modò quo Ieſuitæ placet, intelligit. Rem ipſam intuemur cùm ita loquimur, non certum vllum Pauli locum. Ad quem ſi locutionem noſtram

Digitized by Google

ſeuiter alludere contigerit; friuolum & inſulſum eſt, inde nos quaſi obſignatis tabellis ad talem illius loci expoſitionem obtorto collo rapere. Imò quamuis Latina verſio verborum Kelliſoni à Ieſuita concinnata aliquid ſimile voce tenus præ ſe ferat cum illo textu Apoſtoli; non ideò ſequitur vulgaris linguæ voces, quibus ea ſententia à Kelliſono concepta eſt, eandem ſimilitudinem exhibere, cùm eadem res iis verbis efferri poſſit, non ſolùm vulgari, ſed etiam Latino ſermone, quæ nulla ſpecie ad locum Apoſtoli, de quo agimus accedere videantur. Quare labat ac ruit vndique Ieſuitica collectio, imò aſſertio audaciſſima, effrontibus querimoniis, & inſulſiſſimis apophthegmatibus intermixta. Qui ſic agere, ſic reſpondere audet nobiliſſimæ Facultati, nec eam, nec totius orbis iudicium reueritus, dignior eſt qui ſaltando vitam agat, vel apophthegmata ridicula decantando, quàm qui Theologicæ rei vllam partem vnquam attingat. Quod ſi quicumque alterius opinionem affingit alteri, is noua Ieſuitæ elegantia *ſaltitare* dicendus ſit, videamus ipſius *ſaltitationes*, pro vna quam Cenſoribus obiecit, longè plurimas, & leuiſſimas inanis animi circulationes in imponenda ſua iſta expoſitione ſcriptoribus clariſſimis, qui eam illis ipſis locis quæ annotat, luce clarius euertunt ac reſpuunt.

Digitized by Google

SPONGIA.

Hæc oſtendunt Authorem excuſari, licet expoſitio digna notâ aliquâ eſſet, quanto magis cum ſit Catholicorum interpretum, tantæ authoritatis, vt eam vocare ridiculam, verbi Dei abuſiuam, impiam, propè blaſphemia ſit. Incipiam ab Authore quem Sorbona magni facere debet, de quo Gerſon ipſorum Cancellarius ſic ſcribit : Ille ſingulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium ſalua, videtur idoneus, & ſecuriſſimus ad illuminandum intellectum. *Hic eſt Doctor Seraphicus ſanctus Bonauentura, qui verba ſancti Pauli de Regularibus interpretatur :* Fratres, *inquit*, qui miſſi prædicant in humilitate & paupertate, ſimiles ſunt Apoſtolicis viris & non pſeudo-Prophetis : quia vero non habent illam plenitudinem poteſtatis quam habent Prælati & habuerunt Apoſtoli, ideò inter Opitulationes numerandi ſunt dicente Paulo, Poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde Opitulationes.

Tom. 1. col. 571. tract. de lib. legend. conſid. 8.

De paupert. Chriſti p. 422. edit. Venet. anno 1534.

RESPONSIO.

Quo maior eſt ſancti Bonauenturæ, eorumque quos deinceps profers, authoritas, hoc deterior habenda eſt expoſitio quam damnat ; & quo apertiùs damnat eam hoc ipſo loco, quo tu

Digitized by Google

abuteris ad eius conſtabilitionem, hoc immanior habenda eſt tua ſtoliditas, & verborum tuorum væcors amarulentia. Nam primò ſanctus Bonauentura non ait illo loco diui Pauli nomine opitulationum intelligi ſolos Regulares, ſed *inter opitulationes numerandos eſſe.* Imò hic habet paulò pòſt: *Gloſſa, opitulationes, id eſt, eos qui maioribus ferunt opem, vt Titus Apoſtolo, & Archidiaconi Epiſcopis.* Quibus ipſe addit: *Inter eos etiam numerari poſſunt, quos Paſtor Eccleſiæ Dei ſtatuit opem alijs ferre.* At Ieſuita nomine *opitulationum* propriè ac definite ſolos Regulares intelligi voluit, prout à Sacerdotibus non Regularibus differunt. Ex eo enim quod Apoſtolus *opitulationes* prius poſuerit, quàm *gubernationes*, colligit regulares eſſe altiore loco in Hierarchia quàm Sacerdotes Eccleſiaſticos, quia videlicet nomine *opitulationum* regulares ſoli, nomine *gubernationum* alij Sacerdotes intelligantur. Quæ argumentatio corruet, & ſupra modum Spongioſa & ſpumea efficietur, ſi intra opitulationum nomen ſimul cum regularibus quoſlibet Clericos incluſeris. Hinc enim nulla regularium ſuper alios Sacerdotes eminentia confici poterit. Non igitur adiuuat S. Bonauentura, ſed abiicit, & iugulat expoſitionem Ieſuiticam, dum negat textum diui Pauli de ſolis regularibus, ſed ſimul de omnibus qui Epiſcopis opitulantur, ſeu regularibus, ſeu aliis, interpretandum eſſe.

Deinde, quo maior appareat ſententiæ diui

Bonauenturæ à Ieſuitico ſenſu diſcrepantia, Seraphicus Doctor non Epiſcoporum tantum opitulatores facit Religioſos, vt Spongia, ſed etiam Parochorum; adeoque non eos illis præfert præſumptione Moliniſtica, ſed Seraphica humilitate poſtponit. Quare dum nomen Opitulationum accommodat regularibus, nunquam ſolius Epiſcopi mentionem facit, ſed vel diſertè addit eos etiam Parochorum eſſe opitulatores, vel generatim iis opitulandi partes aſſignat, non definito Paſtorum genere cui opitulentur. Ita verbis paulò antè allatis: *Inter eos etiam numerari poſſunt, quos Paſtor Eccleſiæ Dei ſtatuit opem alijs ferre*. *Alijs*, inquit, generatim, non ſolis Epiſcopis. Similiter in loco à Ieſuita citato, opitulationibus accenſuit eos ſine adiunctione certæ perſonæ, cuius ſint opitulationes. Et eodem loco paulò antè multo apertius: *Nec hoc factum eſt in præiudicium, ſed potius in adiutorium Parochialium Sacerdotum. Nec ex hoc Eccleſia proſtituitur, ſi* CVRATIS *Deus prouidet* ADIVTORIVM, *vt animas ſibi commiſſas, quarum habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius cuſtodiant incorruptas*, ADMINICVLANTIBVS *ſibi viris ſpiritualibus* NON VT DOMINIS VEL CVRAM HABENTIBVS, *ſed potius* VELVT SERVIS *per charitatem Chriſti. Tales igitur, quia miſſi prædicant in humilitate & paupertate, ſimiles ſunt viris Apoſtolicis, non pſeudo-Prophetis.* En quorum opitulatores diuus Bonauentura regulares putauerit, non Epiſcoporum videlicet

tantum, vel etiam ſolius Pontificis Maximi, vt paulò pòſt dicere conabitur Spongia, quamuis hîc nondum audeat, ſed etiam Parochorum, ſeu Parochialium Sacerdotum: quorum adeò non ſolum adiutores eos facit, ſed etiam *ſeruos*, per Charitatem nimirum Chriſti, non per mancipationem. Quid igitur ab eo diſcrepantius quàm Ieſuitica & præſumptuoſa opinio, qua ex textu diui Pauli Regulares Parochis & Sacerdotibus Eccleſiaſticis in Hierarchia Eccleſiaſtica etiam anteponuntur? Diſcant tandem aliquando Moliniſtæ à Doctore Seraphico, non ſolum veritatem doctrinæ, ſed etiam humilitatem; cuius penuria, doctrinæ veritatem amiſerunt.

SPONGIA.

Eandem expoſitionem ſequitur Doctor Angelicus. Nam dicit nomine Opitulationum intelligi eos qui iuuant Prælatos Maiores in regimine Vniuerſalis Eccleſiæ. His autem maioribus Prælatis deſeruire & Opitulari eſſe proprium iſtius Religionis, quæ ordinatur ad prædicandum. Sanctum Thomam citat & ſequitur Salmeron, qui dicit, Nuſquam legi ſeptuaginta duobus Diſcipulis, Apoſtolorum Opitulatoribus, determinatas Parochias fuiſſe aſſignatas, & ideò Opitulationum nomine rectè intelligi Regulares, qui ſummo Pontifici ex voto obligantur, vt animas iuuent in quauis orbis parte. Idem docuerat & notauerat longè antè Cardinalis Caietanus 2. 2. qu. 188. art. 4. ad 3.

vbi

vbi dicit hoc munus Opitulationum magis conuenire delegatis, hoc eſt, Regularibus, quàm Curatis. Et nota, *inquit*, rationem quare oportuit tales Religioſos ad huiuſmodi miniſterium aſſumere, ſcilicet propter multitudinem fidelis populi & difficultatem inueniendi Curatos ſufficientes & idoneos; & ſub hac ratione includitur alia, quia ſcilicet de facto malè conſultum populo Chriſtiano inuenitur ſine huiuſmodi ſupplemento, quod Deus dedit, & Romanus Pontifex gratioſè ſuſcipiendo approbauit. Sed non omnes capiunt verbum iſtud. *Et hæc, opinor, ſufficienter demonſtrant, quàm temere hæc expoſitio velut ridicula, & impia contemnatur.*

Responsio.

Impiæ quidem notam Cenſores non inuſſerunt expoſitioni Ieſuiticæ, ſed vt iure inuri poſſit & debeat, Spongiæ temeritas efficit, Sanctorum authoritatibus, modò ſancti Bonauenturæ, modò ſancti Thomæ, dehinc aliorum Theologorum, ad eius corroborationem impiè ludens per apertiſſimarum fàlſitatum piacula. Nam vel luculentiſſime falſata ſunt quæcumque hoc loco ex his Authoribus congerit, vel de Religioſis & de textu ſancti Pauli, de quo nunc quæritur, nihil habent. Mirum talia obiici in luce orbis à ſanis hominibus, à Theologis, à Ieſuitis. Miſerum, ad talia refellenda cogi, quorum viliſſima

& abiectiſſima ſtupiditas infra humanæ mentis ordinem eſt.

Primò, nego quicquam eorum quæ D. Thomæ tribuis, vſquam apud eum extare. Quod tu præclarè ſentiens, nulla eius verba citare auſus es, neque vllum eius locum adſcribere, ne mendacium tuum ipſis legentium oculis cerneretur. Iſta verò citandi ratio nonne indigna Theologo eſt? Nónne tantominus eſt ferenda, quanto ad falſitatis latebram fraudulentiùs eam quæſiſti?

Nam diuus Thomas Commentario in priorem ad Corinthios, vbi ex profeſſo agit de expoſitione loci diui Pauli, de quo agimus, quo maxime loco ſuum de hoc textu ſenſum pandere debuit, non modò Opitulationum nomen non addicit Religioſis, ſed nequidem eis accommodat. *Opitulationes*, inquit, *ſunt minores, ſiue ſecundariæ adminiſtrationes, quarum quædam ordinantur ad regimen Eccleſiæ, &c. quædam verò ad doctrinam. Ad regimen Eccleſiæ pertinent in generali quædam Opitulationes, id eſt, illi qui opem ferunt maioribus Prælatis in vniuerſali regimine, ſicut Archidiaconi Epiſcopis. Ad doctrinam autem pertinet ſecundario quod ſubdit, linguarum genera, quantum ad illos qui varijs linguis loquuntur magnalia, &c.* Quænam hic Regularium mentio eſt? Quàm vero aperta fraudulentia Spongiæ, quæ verba à diuo Thoma hîc ſcripta reſpiciens, nomine ſcilicet Opitulationum *intelligi eos qui opem ferunt maioribus Prælatis in vniuerſali regimine*; aſſerere audet ea referri ad Religioſos, de

S. Th. in c. 12 1. ad Corint. lect. 3.

quibus hoc loco nequidem loquitur ſanctus Thomas; & ſequentia verba diſſimulat, *Sicut Archidiaconi Epiſcopis*, quæ ſanctum Thomam Opitulationum nomine Archidiaconos intellexiſſe demonſtrant, Spongiæ frontem quamlibet duram, ſua vi & ſua luce confundunt. Hæc prima & indigniſſima fraus, quam illa ſuppreſſo loco ſancti Thomæ tegere voluit; nos eo prolato retegimus.

Altera multo grauior eſt. Id enim quod ſanctus Thomas ait de illis *qui opem ferunt maioribus Prælatis in vniuerſali regimine*, Ieſuita inflectit in hunc modum, *qui iuuant Prælatos maiores in regimine vniuerſalis Eccleſiæ*, fingitque ſanctum Thomam ea etiam Regularibus propriè tribuere, vt nimirum inſinuet id quod infra latè diſputat, Religioſos eſſe in vniuerſali Eccleſiæ regimine adiutores tantùm Pontificum maximorum, quos *maiorum Prælatorum* nomine à ſancto Thoma intelligi vult. Quæ ſanè inſignis falſitas eſt, & infelix ſuperbia, ipſis diui Thomæ verbis hoc ipſo loco conuicta. Nam diuus Thomas ſua illa verba, *Qui opem ferunt maioribus Prælatis in vniuerſali regimine*, ipſemet ſtatim exponit hoc modo, *Sicut Archidiaconi Epiſcopis*, declarans ſe nomine *Maiorum Prælatorum*, non ſolùm Pontifices maximos intelligere, vt iſti volunt, ſed omnes generatim Epiſcopos; nomine autem *eorum qui ipſis opem ferant in vniuerſali regimine*, non Regulares, de quibus nihil loquitur, ſed Archidiaconos, alioſque

Vid. infrà prop. 5. huius tit.

his ſimiles inferiores Prælatos, qui Epiſcopis in generali regimine populi ac Diœceſeos deſeruiunt, nec certis ad certum locum officiis alligantur, vt Parochi, quos ideò ſanctus Thomas maluit nomine *gubernationum* ab Apoſtolo notari, quàm *Opitulationum.* Aug. ep. 201. *Quæſo, ſiccine cæcum eſt humanum genus aduerſus veritatem, vt tam aperta & tam manifeſta diſſimulet?* Quanta perfidia, quanta impudentia Ieſuitici ſupercilij atque faſtus, vt, licet toties reclamante ſancto Thoma, tamen fingere audeant ſe doctrinam ejus ſequi, & eum Authorem citent, dum nolunt non modò Parochorum Opitulatores & adminiſtri haberi, ex humilitate Seraphica, quam iis paulò antè ſanctus Bonauentura, & ex Angelica, quam etiam antè ſanctus Thomas propoſuit; ſed nequidem Epiſcoporum, ſed ſolius Pontificis Maximi nullum agnoſcentes in Eccleſia ſub ipſo faſtigium, cui faſces ſubmittere velint, inaniſſimi homines, & tanto contemptu odioque digniſſimi, quantum arrogantiæ inauditæ profitentur. Quod etiam clarius faciunt paulò poſt, vbi extollunt eas Religiones Spong. p. 98. hæc eod. tit. *quæ ſunt ex inſtituto Opitulationes, & ſubſeruiunt ſummo Pontifici in regimine vniuerſalis Eccleſiæ.* Vt deinceps Ieſuitas velut ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ deſtinatos, vniuerſali quadam poteſtate præditos, legatos quodammodo per totum orbem Pontificios, Epiſcoporum non iam adiutores, ſed collaterales, imò, vt etiam prædicant, quodammodo præſtantiores & eminentiores, venerari de-

Digitized by Google

beamus. *Spreuerunt te, & ſubſannauerunt te, virgo filia Sion*, Eccleſia Dei ſanguine genita, ſpiritu formata: *Poſt tergum tuum caput mouerunt, filia Ieruſalem. Cui exprobraſtis, & quem blaſphemaſtis? Contra quem exaltaſtis vocem veſtram, & eleuaſtis in excelſum oculos veſtros? Contra Sanctum Iſraël*, contra Chriſtum Dominum, eius Eccleſiam, Ordinem, Legem ea præſumptione calcantes, cui ſimilem Eccleſia nondum penes Catholicos audierat, antequam Ieſuiticum nomen extitiſſet. Nulli enim ante ipſos natos Religioſi Catholici fuerant qui gloriari auderent, ſe non eſſe ex inſtituto Opitulationes niſi ſummi Pontificis, ei ſoli, non Epiſcopis ſubſeruire in Eccleſiæ regimine, ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen vniuerſali quadam poteſtate deſtinari; cum tamen nullam reuera poteſtatem abſolutè habeant, nec eis vlla poteſtas à Romano Pontifice conferatur niſi pendens & ſubiecta Epiſcopi cuiuſque voluntati; vt non ſolùm à Pontifice, ſed etiam ab Epiſcopis accipere poteſtatem, nec ſolùm Pontifici, ſed etiam Epiſcopis ſubſeruire, & auxiliari dicendi ſint. 4. Reg. 19. *Concil. Trid. ſſ. 23. cap. 15. & ſſ. 24. c. 4.*

Quod autem addit Spongia ſanctum Thomam docere: *His maioribus prælatis* (hoc eſt, eius ſenſu, *Pontificibus in regimine vniuerſalis Eccleſię*) *deſeruire & opitulari eſſe proprium Religionis quę ordinatur ad prędicandum;* iterum inquinat locum S. Thomæ ex Summa Theologica repetitũ. Ad duos enim S. Thomæ locos, alterum ex Summa, alterũ ex Commentario Paulino iam expoſitum alludens,

Digitized by Google

appellauit. Deponant inſolentem audaciam Moliniſtæ, deponant animos, deponant purulentas Spongias, & nocentiſſimas defenſiones, quibus multo indigniùs quam ipsâ Cenſurâ Sorbonicâ produntur & infamantur.

Magna verò fiducia eſt, dicere S. Thomam cùm ait, *Ita ſubſeruire Prælatis in tali miniſterio, eſt huiuſmodi Religionis proprium;* id proprium feciſſe Religionibus eiuſmodi, etiam præ gradibus & ordinibus Cleri, & Sacerdotibus Eccleſiaſticis; contra manifeſta ipſius teſtimonia ſuperiùs memorata, & contra manifeſtum eius orationis contextum. Liquet enim ex ſcopo & ſerie articuli hoc ab eo dici Religionibus iſtis proprium, non præ Sacerdotibus Parochialibus, aut Clericis quibuſcumque, de quibus ibi non agit; ſed præ aliis Religionibus contemplationi ſoli & quieti Religioſæ, aut aliis operibus, conſecratis. Comparat enim inter ſe varia genera Religionum, vt ipſa lectio articuli ſolius probat. Neque tales fallacias tam ieiunas, tam olidas, tam informes Ieſuitæ Chriſtiani orbis oculis obiicerent, niſi Deus pœnas eorum ſuperbiæ, quæ manifeſtos errores ingenti peruicacia tegere voluit, per manifeſtam eorumdem ſtoliditatem exigere voluiſſet, qua peruicax illa ſuperbia tanto maiorem confuſionem incurreret, quanto illam iure promeritam iniquioribus artificiis effugere conaretur.

Abiiciatur igitur Ieſuitica temeritas D. Thomam auſa proferre inauditæ ſuæ D. Pauli expoſi-

tionis Authorem, & inuiſæ præſumptionis aſſertorem. Si enim nec in eo loco vbi dedita opera textum illum Apoſtoli exponendum ſuſceperat, nec vſquam alibi cùm varie de Religionum varietate diſputat, iſtius interpretationis meminit. Nullius pudoris eſt exoticum ei cõmentum velut Authori impingere. Nam etiam in Summa Theologica eundem locũ Pauli eodem modo, & iſdem penè verbis explanat, quo in ipſo ad eum Cõmentario explanauit; in eiuſque explanationis confirmationẽ citat Gloſſam. *Presbyteri*, inquit, *Curati & Archidiaconi habent aliquas adminiſtrationes, ſub Epiſcopis. Vnde ſuper illud* 1. ad Corinth. 12. *Alij Opitulationes, alij gubernationes, dicit gloſſa: Opitulationes, id eſt, eos qui maioribus ferunt opem, vt Titus Apoſtolo, vel Archidiaconi Epiſcopis.* Denique nuſquam, de *Opitulationibus* agens ab Apoſtolo enumeratis, earum nomine ſignificat intelligi Regulares, nedum Regulares ſolos, vt iam ex tot locis luce ipſa clarius eſt: Et qui contrarium aſſerere non metuat, vt Ieſuita nunc in Spongia, & ante in Apologia aſſeruit; cum neceſſe eſt vel nunquam legiſſe ſanctum Thomam, & ſic temeritate ruere; vel ſi legerit, ſtupore aut perturbatione, aut nequitia animi, à lucis ipſius intuitu præpediri.

Iam Salmeronem ſuum quonam modo profert Ieſuita, ſine vlla certi loci notatione, vnde ipſius fallacias hic etiam deprehendamus? Nam magnum argumentum eſt, latere doli quippiam

in hoc

in hoc ſilentio, quod ea quæ de Salmerone narrat, neque aiunt ſolos Regulares Opitulationum nomine à diuo Paulo intelligi, quod tamen ad tuendam expoſitionem Ieſuiticam neceſſe eſt, vt ſupra declarauimus; neque vllam Paulini textus, de quo agimus, mentionem habent: Et cùm Salmeron citet & ſequatur ſanctum Thomam in eo quod ait de ſeptuaginta duobus Diſcipulis, nihil aliud dicere potuit quàm quod dixit diuus Thomas, Formam *ſeptuaginta duorum Diſcipulorum non ſolum tenere Presbyteros Curatos, ſed quoſcumque alios minoris ordinis, qui Epiſcopis in eorum officio ſubſeruiunt.* Quod & nihil facit ad controuerſiam & interpretationem textus Apoſtoli, de quo certamus; & alium errorem Ieſuiticum confutat, quo Regulares formam ſeptuaginta duorum Diſcipulorum referentes, non Epiſcopis, ſed ſummis Pontificibus ſubſeruire dicantur in regimine vniuerſalis Eccleſiæ.

Poſtremò Cardinalis quoque Caietanus ſumma animi leuitate producitur, nihil aſſerens quod pertineat ad illum Paulinum locum, nec ad anteferendos Parochis aut Sacerdotibus Eccleſiaſticis Regulares. Imò loco à Ieſuita notato apertè docet non ſolos Regulares, ſed omnes omninò Presbyteros inferiores eſſe ſubſidiarios Epiſcoporum, & ſeptuaginta duos Diſcipulos repræſentare. *Aduerte primo*, inquit, *rationabilem expoſitionem, vt formam ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Domini gerant omnes minores Sacerdotes, qui ſcilicet*

aſſumuntur in adiutorium Epiſcoporum. Quod idem deinde aptat Curatis & Religioſis. Ita omnes reſponſiones Spongiæ hærent in ſalebra; Omnes nihil probant niſi ſummam eſſe, quoquò te verteris, Spongiæ futilitatem & audaciam; nec extare Theologorum omnium quempiam cui vnquam in mentem venerit expoſitio Danielis, vt Apoſtolus Opitulationum nomen ſolis Regularibus proprium facere, & de illis ſolis intelligi voluerit. Quæ tamen mens eius eſt, & neceſſariò eſſe debet vt valeat collectio illa inſolens & præſumptuoſa, quam ex eo loco elicere conatus eſt, vt ex antè dictis ſat demonſtratum arbitror. Hæreat ergo in tali figmento iuſtiſſima Cenſuræ nota, quam Spongia cùm eluendam ſuſcepiſſet, tot fœdiſſimas temeritatis, imperitiæ, peruicaciæ notas ipſa vltro ſuſcepit.

SPONGIA.

Hinc infertur propoſitionem Authoris, quod Regulares, qui ordinantur ad prædicandum, ſunt de Hierarchia eminenti quodam loco, eſſe ſaltem probabilem. Nam ſanctus Paulus 1. Corinth. 12. *declarat diſtinctionem & ſubordinationem Hierarchicam, quæ eſt in Eccleſia; vnde ad probandam Hierarchiam hoc teſtimonio vtitur Concilium Tridentinum* ſeſſ. 23. cap. 4. *Numerat autem Apoſtolus eos qui de Hierarchia ſunt ordinatim, primo, ſecundo, tertio; præponit etiam Opitulationes Gubernationibus, vt textus oſtendit. Igitur*

Religiones quæ ſunt ex inſtituto Opitulationes, & ſubſeruiunt ſummo Pontifici in regimine vniuerſalis Eccleſiæ præferendæ ſunt inſtituto gubernationum, quæ curæ animarum vnius Parochiæ alligantur.

RESPONSIO.

Hoc loco primum confitentem reum agis. Cùm enim ſuprà negaueris, damnatam propoſitionem, doctrinamque, & Apoſtoli expoſitionem in ea concluſam, tuas eſſe; hîc, emicante ſuopte impetu veritate, negationem illam retexis ac reſoluis planiſſimè, & damnatæ propoſitionis ſententiam, omiſſo iam Kelliſoni velamine, eodem prorſus ordine quo in propoſitione damnata continetur, ex tuo ſenſu depromis, addita etiam in illius confirmationem Concilij Tridentini authoritate, de qua poſtea dicemus. Vnde iudicare facile eſt, quanta ſit exclamationum & querimoniarum tuarum fallacia, cùm quaſi dolo circumuenta inuſtas tibi reprehenſiones deprecaris.

Deinde ineptiſſimè ad propugnandam aduerſus Cenſorum iudicium damnatam propoſitionem, idem probandi genus, & idem ex Apoſtolo argumentum iteras, quod damnatæ illi propoſitioni ineſt, & quod ob hanc cauſam illi iam antè damnarunt. Quid hoc aliud eſt, quam Spongiarum more argumentari, turpiſſime principium petere, idem, quod aiunt Logici, per idem probare? Nam quod in damnata propoſitione ar-

gumentum è textu Apoſtoli, ſub Kelliſoni nomine obtruſiſti, idem hoc loco ex eodem textu, ſub nomine Concilij Tridentini obtrudis, ac multo etiam inanius, vt demonſtrare promptiſſimum eſt.

Nam primò, vt veriſſimè ſit à te prolatum Concilium Tridentinum, nec in prolatione quicquam vitij lateat; vt etiam veriſſimum eſſe concedamus Concilium docuiſſe *Sanctum Paulum* 1. Cor. 12. *diſtinctionem, & ſubordinationem Hierarchicam declarare;* tamen iudicij tui tenuitas, & leuitas ingenij erumpit & euolat in omnium oculos, nec vlla vllius aduerſarij conceſſione tegi poteſt. Concilium enim nuſquam ait Opitulationum nomine intelligi apud Apoſtolum regulares, nedum Regulares ſolos, vt tu ſupponis; nec de Regularibus verbum vllum facit; neque quiſquam Author vel eorum quos ante citaſti, vel eorum quos infra citas, iſtam expoſitionem tradit. Vnde clariſſime conſequitur & Concilium Tridentinum obtusè à te laudari in rem alieniſſimam; & tuam opinionem nequidem *probabilem* dici poſſe, ſed ſtolidam dicendam eſſe, antehac inauditam, & à nullo quod conſtet Theologo vel cogitatam, antequam per falſa Ieſuitarum nomina, per impuros affectus, per ſtultiſſimas Spongias in hominum notitiam proderetur.

Qua verò audacia aſſeris Concilium Tridentinum illo textu Apoſtoli 1. Cor. 12. *vti ad probandam Hierarchiam?* Quod quidem ſi verum eſt,

ſumma à te iniuria Concilio Oecumenico, per ſummam blaſphemiam inuritur. Nam Concilium nihil aliud de ſancto Paulo eo loco ait, niſi contra eius doctrinam facere, ſi quis affirmet *omnes Apoſtolos, omnes Prophetas, omnes Euangeliſtas, omnes Paſtores, omnes Doctores eſſe.* Quem locum ſi ad 1. Cor. 12. caput referas, crimen falſi Concilio impegiſti, cùm in duodecimo iſto capite Apoſtolus nec *Euangeliſtarum nec Prophetarum* meminerit. Locus ergo à Concilio citatus legitur in quarto capite epiſtolæ ad Epheſios, vbi nominum à Concilio ex Apoſtolo relatorum ſeries integra & eadem, ſed Opitulationum nulla mentio, reperitur. Quid ergo Ieſuiticæ vertigini facias, quæ iſtis fœditatibus maculare chartas, aduerſarium in iis flagellandis fatigare non deſinit? Næ ſi porrò ita pergat, maſtigem ſibi aut medicum alium quæret me authore, agaſonem aut mediaſtinum aliquem tractandis ſordibus aſſuetum, non Theologum diuinæ puriſſimæque veritatis tractatorem. Lapſus autem eſt Ieſuitæ bonus genius in hanc fraudem, intentis in marginales Concilij notas oculis, quas hæreticorum noſtratium more in textum transferens, & cum eo miſcens, non dubitauit quin Concilium vſus eſſet illo Apoſtoli teſtimonio, quod in iis notulis legeretur. Verùm pro perſpicacia Ieſuitica ſcire debuit, notationes illas non eſſe Concilij Tridentini, ſed ab aliis priuata induſtria adiectas, quos ſua præfatione typographi. Plantinus excuſauit. Neque tamen iſti quicquam

Ieſuitæ fauerunt. Dum enim ad verba Concilij, Hierarchiam *eſſe vt caſtrorum aciem ordinatam,* annotant locum Cant. 6. & 1. Cor. 12. nihil aliud volunt niſi eo loco Apoſtoli probari ordinem aliquem in Eccleſia, non promiſcuam & æqualem, vt hæretici voluerunt, fidelium omnium conditionem. Quo ex ordine, & Eccleſiæ membrorum diſparitate, quomodo probanda ſit Hierarchia, ante diximus aduerſus cauillum, quem hoc textu Ieſuita Kelliſono innectere conatus eſt.

Cæterùm vt expoſitionem & opinionem Ieſuiticam, non ſolùm authoritate, ſed etiam ratione vera & Theologica vacuam, & vndique improbabilem demonſtremus; nemo eſt qui tantula intentione mentis locum Apoſtoli conſideret, quin videat, nihil eſſe, vel in ſpeciem, rationis, quo doctrina Ieſuitica illo textu adſtruatur. Nec enim ibi Apoſtolus loquitur de ſolis gradibus Hierarchicis, ſed omnibus generatim gratiis, quas Deus Spiritu ſancto in Eccleſiæ corpus diffundit, ſub quibus gratiis etiam gradus Hierarchici, ſeu poteſtates Hierarchicæ continentur. Declarat id ipſe Apoſtolus ſtatim initio capitis ita inchoans, *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus.* Quam deinceps propoſitionem toto contextu capitis illuſtrat, probationibus ſubiiciens hanc clauſulam illi initio reſpondentem, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* Declaratur idipſum ipſo textu de quo agimus, *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia,*

primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, &c. In Eccleſia, inquit, non in Hierarchia; vt clariſſime liqueat de Eccleſia Apoſtolo ſermonem eſſe, non de Hierarchia, quæ non Eccleſiæ corpus, ſed ſolùm pars capitalis eſt. Alioquin ſi omnia ab Apoſtolo recenſita nomina gradus Hierarchicos ſonent, & eo ordine referantur quem quique gradus in Hierarchia Eccleſiaſtica obtineant; fatendum eſt non ſolum *Opitulationes*, ſed etiam *virtutes, gratias curationum, genera linguarum, &c.* eſſe gradus Hierarchicos, ipſo ſtatu Regulari præſtantiores, cùm ab Apoſtolo ante *Opitulationes*, quibus Regulares ſignificari volunt, enumerentur.

Verùm tantùm abeſt vt omnia iſtiuſmodi nomina ad Hierarchiam Eccleſiaſticam pertineant, & graduum Hierarchicorum diſpoſitionem ordinemque ſignificent, vt nequidem Prophetarum nomen, quod Paulus Apoſtolorum nomini ſecundum adiungit, in gradibus Hierarchicis numerare liceat. Prophetia enim eſt donum Spiritus ſancti, & gratia gratuita, non ſolùm fidelibus omnibus, ſed etiam infidelibus communis, vt de Sibyllis tradunt veteres, ac proinde ad Hierarchicos gradus propriè non redigenda. Nam & inter fideles, & in Eccleſia, Prophetiam fœminis quoque impartiri docet Apoſtolus, *Omnis mulier prophetans non velato capite deturpat caput ſuum.* Et in lege veteri prophetides erant Maria ſoror Moſis, Debbora, Anna, Samuelis mater, Anna filia Phanuel, aliæque his ſimiles. 1. Cor. 11.

Dion. de Eccleſ. Hierar. c. 5. τὴν κατὰ νόμον ἱεραρχίαν. Vnde conſtat Prophetas nequidem de *legali*, vt loquitur Dionyſius, *Hierarchia* fuiſſe. Nam nec ſucceſſionem habebant vnde orirentur, nec quam ex ſe propagarent; ſed extraordinaria, &, vt ita dixerim, ſingulari miſſione progeniti, proprias ſeorſum radices agebant, vel non agebant potiùs, ſed indiuiduo & quaſi ſterili trunco vigebant, Hierarchiæ, ſeu miſſionis ordinariæ legalis, *Tertul. de præſcr. c. 32.* non gentilitij, ſiue, vt cum Tertulliano loquar, conſanguinei, ſed collaterales, & ab eodem cum illa authore Deo propria, & æque propinqua origine oriundi. Fatendum igitur neceſſariò eſt, commemorata ab Apoſtolo nomina, non eſſe omnia Hierarchica, ſeu graduum Hierarchicorum ſignificantia; ſed partim ad Hierarchiam, vt *Apoſtolos*, *Doctores*, *Gubernationes*, partim ad gratias quas gratuitas vocant, omnibus promiſcuè hominibus, tum probis, tum improbis, tum fidelibus, tum infidelibus, communes, vt *Prophetas*, *virtutes*, *linguarum interpretationes*, *&c.* pertinere. Apoſtoli enim eo loco conſilium eſt non tam Hierarchiam, quàm varia donorum genera ab eodem ſpiritu in vniuerſum Eccleſiæ corpus diffluentia exponere, quemadmodum monuimus, *1. Cor. 14.* vt Corinthios eorum donorum, ſeu, vt ait, *Spirituum æmulatores*, quid de iis ſentire, quomodo in eorum vſu ſe gerere deberent, commoneret.

Quare nemo iam non videt manantes certatim vndique è Spongia futilitates & imperitias,

quæ ſua

quæ ſua ipſa multitudine ſeſe tegunt & ſubleuant, vt ſingularum grauitas, quæ ſeorſum turpiſſima videretur, in tanto numero obſcurata tenuior appareat.

Hoc ſolùm in aurem dixerim Ieſuitæ, nunc profectò Ieſuiticæ calliditatis immemori, vt caueat ne hunc diui Pauli locum in ſui erroris gratiam nimis vrgendo, magnopere corroboret ſententiam illam Ioannis Maioris & Facultatis Pariſienſis, quam initio magnâ verborum petulantiâ reſpuit, Parochorum officium eſſe diuinæ inſtitutionis. Si enim diuus Paulus nomine *Opitulationum* Religioſos, nomine *Gubernationum* Parochos intellexerit, vt Ieſuitæ placet, idque propriè & dogmaticè, ita vt inde verè Hierarchicum inter Parochos & Regulares ordinem colligere liceat; manifeſtè ſequitur Apoſtolum dicere Deum in Eccleſia poſuiſſe non ſolùm Apoſtolos, Prophetas & Doctores, ſed etiam Parochos; & ita negari non poſſe quin Parochi ſint diuinæ inſtitutionis; quam doctrinam Ieſuita tam male oderat. Hoc obiter commonitum volui, quo minus doleat, ſuum in textum Apoſtoli errorem confiteri; cùm ea confeſſione magnum aduerſus exprobrationes ſuas præſidium Sorbonæ eripere poſſit.

SPONGIA.

Cuius aſſertionis, vt pateat, quam inconſiderate Richeriſtæ eam vocent falſam, temerariam, erroneam

præſumptuoſam, quatuor teſtes adhibebo grauiſſimæ authoritatis. A Gallia incipiam, & à libro recenter edito D. Franciſci Fontani concionatoris regij, qui etiam affert teſtimonium Reuerendiſſimi Epiſcopi Geneuenſis, quem meritò vocat, ſanctum Carolum Franciæ. Pag. 79. *Hic contra negantes Regulares de Hierarchia eſſe, hac eſt vſus oratione:* Neſcio vbi Domini mei ſuam conflarunt Hierarchiam, nec vbi diſtinctiones iſtas excogitarunt. Cùm placuerit ipſis, demonſtrabo, Religioſos vnum eſſe ex importantiſſimis veræ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ membris. Illum autem, qui præ ſe fert, ſe velle tantùm Religioſos deiicere, quod etiam Epiſcopos deiicere vellet, imò ipſum Papam. *Hoc in Gallia ſcribitur, hoc Pariſijs prædicatur, intra Sequanam docetur; quo omiſſo Richeriſtæ ad excidendam hanc herbam vltra Oceanum falcem mittunt in Anglicanum ſolum. Ridiculè. Prius domi incipiant à Concionatore Regio, Reuerendiſſimum Epiſcopum Geneuenſem, clarum doctrina & ſanctitate vitæ, ſanctorum catalogo dignum, impium & erroneum declarent, quod vbi fecerint, quid reuerentiæ Cenſuris eorum debeatur, Angli cogitabunt.*

RESPONSIO.

Hic iam digrederis à propoſito, & nouam diſputationem ingrederis. Cùm enim propoſitio, quam propugnare cœpiſti, ideò damnata fuerit, quia Parochis in Hierarchia præpoſuit Regu-

lares, & id à diuo Paulo textu antè expoſito confirmatum aſſeruit; tu vtroque hoc capite derelicto, & abiecta gemini erroris tui defenſione, vt viribus tuis longè impari, aliam litem moues, & in aliud ſtadium excurris, vt nimirum probes hoc tantùm, *Regulares eſſe de Hierarchia, & membra, ſeu eximia membra Hierarchiæ,* qua de re in propoſitione quam tueri, & in Cenſura quam delere aggreſſus es, non agitur. Fruſtra ergo, ſequens tot paginarum ſermo à te conſumitur, in hoc ſolo occupatus, de quo iam controuerſia non erat, & quod ad præſentem Cenſuram nihil pertinet. Multo imperitius, ſiue ſtolidius ais, te tantam parergorum congeriem effundere, *vt pateat quàm inconſiderate Richeriſtæ aſſertionem tuam vocent falſam, temerariam, &c.* Hac igitur inconſiderationis, & temeritatis, & effugij tui generali reprehenſione præmiſſa, quæ vice primæ reſponſionis erit, qua tota tua diſputatio ſequens vno impetu euertitur; digreſſionem tuam, quam iure contemnere & vno verbo repudiare poteramus, humanitatis gratia ſequemur, vt diſpunctis ſingulatim argumentis leuiculis quibus extra ſemitam exultas, vel te, vel alios per te, in viam, ſi fieri poſſit, reuocemus.

Ante omnia, *quatuor teſtes* polliceris *grauiſſimę authoritatis*, quorum videlicet teſtimonio probes, *Religioſos eſſe in Hierarchia*, vel eximia quædam Hierarchiæ membra. Primum ex Gallia acceſſis *D. Franciſcum Fontanum Concionatorem Re-*

Digitized by Google

gium, eique adiungis *Reuerendiſſimum Epiſcopum Geneuenſem* beatæ memoriæ virum, quorum prolatis teſtimoniis exclamans in Theologos Pariſienſes, vt ſi in te Cenſuram ferant, prius Concionatorem Regium, & Epiſcopum illum *clarum doctrina & ſanctitate vitæ, Sanctorum catalogo dignum, impium & erroneum declarent.* In quo ridiculum animi tui feruorem multis modis obruere poſſumus. Nam, quod iam ante monuimus, vt tibi omnia quæ ſumis concedantur, illa tamen ipſa damnatam propoſitionem Cenſuramque nihil ſpectant, cùm nec ille Regius Concionator, nec Epiſcopus ab eo laudatus, dicant Regulares eſſe in Hierarchia Eccleſiaſtica ſuperiore quam Parochos gradu; multo minus in tantæ arrogantiæ aſſertionem textum Apoſtoli contorqueant, quod ſolum temeritatis, & erroris, & præſumptionis damnarunt Theologi Pariſienſes. Abi ergo quò dignus es cum iſtis omni iudicio exhauſtis, omni conuicio opprimendis clamoribus, quibus in abſurdiſſimi teſtimonij prolatione, nouas propriaſque abſurditates è tuo cerebro ineptiis vberrimo parturis. Nam Dominus ille *Franciſcus Fontanus*, quem tu grauiſſimo tuo iudicio *grauiſſimæ authoritatis teſtem* æſtimas, ſui nominis falſitate magnum & tuæ & ſuæ falſitatis omen eſt. Quippè palam conſtat illum pſeudo-*Fontanum*, eſſe verum Patrem Binet, ſocium tuum, & illo & plurimis eiuſdem texturæ opuſculis notiſſimum. Quem neſcio qua fronte, in Gallia, & Facultati Pariſienſi ſub falſo

nomine vendites, perſonatum hominem, & nulli adeò rei, vt ſcenicis ſchematibus, & fabellis natum; non Theologicarum rerum vel iudicem, vel *teſtem* tolerabilem, nedum, vt tu ais, *grauiſſimum*. Egregium verò Galliæ & vniuerſæ Eccleſiæ ſpectaculum exhibes, Ieſuitas duos in re grauiſſima, comica leuitate colludentes, hiſtrionum more laruatos, te *Ioannem Floydum* ſub Hermanni Loëmelij imagine, illum *Antonium Binet*, ſub Franciſci Fontani figmento; te in *Canonicum lectoralem*, illum in *Concionatorem Regium* è Ieſuitis tranſmutatos. Cauete ne ſub hac fabula lateat auſpicium veritatis, vt quod ludentes agitis, Deo vindice ſeriò aliquando agatis. Quanta enim peruerſitas & inuerecundia eſt, ementito aduerſariorum velamine, eorum vos ordinibus ad maiorem contumeliam inſerentes, σκιομαχίας, fallacia certamina, proditorio, vel, ſi dicere liceat, diabolico more miſcere? Sic enim diabolus per plurima æuorum ſpatia Deum ipſum ſub falſo diuinitatis ſimulacro aggreſſus, horrendam ab eo humani generis defectionem, & infanda in hominum animis mendacia blaſphemiaſque operatus eſt, perficiens ſub ipſo illius quem oppugnabat habitu, id quod ſub proprio nunquam perficere potuiſſet. Cui tamen iſti longè ſunt impares exitu, ſi pares conſilio fuerunt. Nam de pſeudo-Loëmelio, ſperamus nos perfecturos, ne quem in fraudem, niſi fortè volentem & conſcium abſtrahat; & ipſæ illius fallaciæ adeò miſeræ & miſerè conſultæ ap-

Digitized by Google

parent cuiuis mentis oculos paulo propius admo-
uenti, vt prodendo artifici, quàm capiendis aliis aptiores videantur. De Bincto verò, cùm primum libellus eius, de quo hîc agitur, emanauit in lucem, fuerunt Lutetiæ viri graues & Theologiæ cognitione præſtantes, qui hominis in rebus captu ſuo maioribus contrectandis audaci temeritate offenſi, opprimendum laſciuienti os, & ſterilis arbuſculæ fibras elidendas putauerunt. Qui deinde circulatoriam & futilem ridiculi dramatis loquacitatem admirantes, maluerunt ſuæ illud inanitati relinquere, qua celeriter dilaberetur velut fumus præteruolans, quàm reſponſione ſeria ſoliditatem ei aliquam, qua diutius conſiſtere poſſit, adiicere. Nec prudenti conſilio euentus abfuit. Iam enim opellam iſtam Binetiam vſque adeò euanuiſſe videmus, vt vix vllum eius veſtigium in hominum memoria ſuperſit. Quippè lapſiones illic & imperitias, quarum aliquas infrà ſubiicimus, & rerum Theologicarum, quibus ille Pater minimè idoneus eſt, diſtorſiones, & contumelias in Clerum, quibus hæreticorum more poteſtatem eius oppugnat, ineptias denique omne genus, illum ipſum, & abrupti eius animi impetus, & conciones Mimicas, & ſermonis intemperiem, redolentes, non plena manu, ſed pleno modio admetiri licet. Nec tamen mirum eſt, contemptiſſimum opuſculum Ieſuiticæ conſpirationis machina in exteras regiones, in Belgium vel Angliam vſque euolaſſe, & apud ſocios, pro ſuæ ambitio-

Digitized by Google

nis cœcitate, eam opinionem adeptum, vt illinc Spongia errata non pauca, quæ paulo poſt patefient, exhauſerit, vt iis hæreſes ſuas & Cenſuram Facultatis Pariſienſis aſpergeret. Acumina etiam Binetiana, & phraſes elegantulas complures mutuata eſt, vt illam in primis *ſanguinem & aquam ſudare*, cùm de Religioſorum laboribus ſermo eſt, quam tertio quoque verſu iterat feſtiuus pater, quam in idem argumentum tranſuerſam toties Spongia reſonat. Temere, ac nimium temere, leuiſſimus Author Facultati Pariſienſi obtenditur, eo adornatus præconio, quod facilius in Anglia, vel in Belgio, quàm in Gallia & Lutetiæ fidem faceret. Hoc enim infauſtè accidit bono patri, vt cum Athenienſem, vt in prouerbio eſt, Athenis laudare faciliùs fuerit, quàm apud exteros, ipſe contrà facilius apud exteros quam in Gallia venditari potuerit. Nimium enim notus eſt, vt ita laudetur, & ipſa ei famæ ſuæ magnitudo officit, qua multo habilior putatur ſcribendis hiſtrionicis ægrotantium Conſolationibus, quod iampridem fecit ſane feliciter, itavt à quibuſdam minimè malis hominibus *ſpiritualis ſcurra* dicatur; quàm Theologicis rerum grauiorum diſputationibus extricandis. Nam cùm Deus ægritudines humanis corporibus immittat, vt animi à terrenarum rerum ſtudiis & ſuauitatibus velut ablactentur; Conſolator iſte diuinæ prouidentiæ conſiliis obſtrepens, ægros homines fabellis anilibus, & theatralibus nugis, &, vt ait Apoſtolus,

ſtultiloquiis, ad ſæculares iocos, & ad humanorum gaudiorum illecebras abripit, neſcius triſtitiam, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operari, & in hoc triſtitiæ genere veram & Chriſtianam ægrotantium conſolationem, non in ſcenico artificio, nec in ludicra humanarum cupiditatum titillatione, nec in ioculari garrulitate ſitam eſſe. Vt enim præclarè de conſolatione hominis iuſti, *Tædio contabuerat, recolendo Deum delectatus fuerat, rurſus garriendo defecerat.* Quare quod ex eo de beatæ memoriæ Epiſcopo Geneuenſi refert Spongia, pari cum Authore loco habendum eſt. Nam quod in eo libello de ſanctiſſimo illo Antiſtite ſcribitur, proſopopœia eſt plus Binetianæ facundiæ modulationem, quàm illius Antiſtitis grauitatem aut genium referens. Si quid à puriſſimo illo fonte per talem traducem emanauit, adeò in aliud tranſfictum eſt, vt meritò à nemine agnoſcatur. Nam perſonæ minimè congruit tabella: idque vel ipſe Spongiæ opifex haud dubie fateretur, ſi Gallicæ linguæ ſcientior eſſet, qua eum tenuiter imbutum eſſe mali loci mala verſio indicat. Qui illum ſanctæ memoriæ Geneuenſem Antiſtitem propiùs norunt viuentem quàm potuerit noſſe pater Binetus, longe aliud iudicium eius fuiſſe perhibent, quam quod iſte domeſtici teſtimonij lenocinio prodit, eaque ſobrietate de omnibus Religioſis generatim, & ea vi animi de nonnullis nominatim, quos hîc nominare non attinet, ſenſiſſe commemorant,

Auguſt. in Pſal. 76.

Digitized by Google

memorant, vt nihil affine habuerit cum verborum æſtu, quem ei fictus Author affinxit. Cur enim ei ſit religio maior, mortui hominis authoritati, natiua ſui oris licentia illudere, quàm ſanctioris Conſilii Regii maieſtati, cui nouiſſime impudenti mendacio, cuius hunc patrem architectum & inſtinctorem prædicant, Ieſuitica audacia illuſum eſt, vt Collegium Cenomanenſe Academiæ corpore diuulſum, Ieſuitici Collegii laxitate *iure congrui*, vicinitatis priuilegio, abſorberetur? Quam prædam fallaciſſimorum ſociorum faucibus, Academiæ authoritas & manifeſta rerum fides eripuit. Hæc audimus, hæc videmus, hæc poſt editam Spongiam Authore Patre Bineto conſtrui & machinari cernimus; & ei de mortuo Antiſtite quidlibet per proſopopœias, per perſonas fictitias, ſuo ſolo teſtimonio in ſuum commodum ſcriptitanti fidem habebimus? Melius ſanorum hominum iudiciis ominandum eſt. Valeat Regula iuris: *Qui ſemel eſt malus, ſemper præſumitur malus.* Nec refert quod ait Spongia illum *hoc in Gallia ſcripſiſſe, hoc Pariſiis publicaſſe, inter Sequanam docuiſſe*, nec tamen fuiſſe qui reprehenderet. Nam primùm ſi Spongia vllis oculis, quos nullos habet, vel ipſam inſpicere potuiſſet libelli frontem, legiſſet editum non in Gallia, nec Pariſiis, ſed *Nanceÿ per Iacobum Garnich ſuæ Celſitudinis Typographum.* Quod ſi in hoc ipſo, vt in aliis, ſuæ ſcenæ inſeruiit lepidus pater, & verè Ieſuitam egit; ſciat Spongia, & ita ſibi veriſſimè

A Nancy par Iacques Garnich, imprimeur de ſon Alteſſe.

DDd

perſuadeat, ſi omnibus Ieſuitarum erratis & mendaciis, etiam leuioribus, reprehenſionum Cenſurarumque aculeos infligi oporteret, non fore Cenſurarum modum, & citius Cenſoribus reprehendendi tædium, quàm ipſis aberrandi laſſitudinem fore. Sicut enim animos meliorum rerum cognitionis expertes, & ad omnia tamen ventilanda præcipites & ambitioſos gerunt, ita digitos ad ſcribendum impotentes. Quare neceſſariò accipiendi ſunt, vt ſolent poteruiores pueri, & natura indociles, quorum minuſculis erroribus indulgetur, ne reprehenſionum frequentia occalleant, reſeruata pœna in grauiorum ſcelerum compreſſionem. Quod ſi Nicolaus Smithæus & Daniel nihil in medium protuliſſent, niſi Regulares eſſe de Hierarchia Eccleſiaſtica, & vtiliorem Eccleſiæ operam quàm Clerum olim nauaſſe, & etiamnum nauare (quæ ſola capita perſequitur libellus Binetianus) eorum vel ridere inſcitiam, vel ſpernere arrogantiam otioſi & taciti potuiſſemus. Sed cùm perruptis licentiæ quotidianæ finibus, ad Sacramentorum Dei, & Eccleſiæ Catholicæ fundamentorum, tum generatim, tum ſpeciatim, omnium euerſionem eruperint, ipſiſſimis hæreticorum inſtructi artibus & propoſitionibus, quæ toti Eccleſiæ grauem in ſe, & in animis quibus Dei & Chriſtianæ Religionis ſenſus ineſt, plagam, in iis verò qui à Deo & à vera Religione abhorrent, grande ludibrium & ſcandalum intulerint; neceſſariò occurrendum fuit effuſæ importunita-

ri, & publica peſtilentia publicis acrioribuſque remediis compeſci debuit.

SPONGIA.

Ex Italia B. Petrus Damianus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, hanc Controuerſiam tractauit in Opere Epiſtolarum ſcriptarum, iuſſu ſummorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. cum approbatione ſacri Palatij editarum; vbi Clero ſæculari dogmatizanti Monachos non eſſe de Eccleſia, hoc eſt, Hierarchica eiuſdem parte, ſic ſcribit: Multum fratres chariſſimi, ſi digni eſtis audire, miramur quomodo vel ob quam cauſam conamini nos à conſortio & vnitate Eccleſiæ vniuerſalis ſeparare, cùm conſtet à Monachis vniuerſalem Eccleſiam eſſe fundatam & gubernatam, & à diuerſo errore cibratam. *Et paulò pòſt:* Ne longiùs toxica huius veneni ſerpant, manifeſtè oſtendimus anteceſſoribus noſtris præ omnibus clericis, hæc Sacramenta licitum fuiſſe contingere & diſpenſare. *Hæc B. Petrus Damianus opere etiam Pariſiis edito apud Sebaſtianum Cramoiſy. In hunc librum ſchola Richeriſtica mutior piſce eſt. O heroïcos errorum hoſtes, contra eos qui coram in facie, & lingua quam intelligunt, Regulares eſſe de Hierarchia ſuperiori ad clericos ſæculares loco conſtanter aſſerunt, mutire non audent. Tantum Sorbonicis telis victimæ cadunt Angli, vt meritò dicere poſſint.*

Nos animæ viles, inhumata, infletáque turba.

Responsio.

Ad hanc Petri Damiani obiectionem, primò non arbitror monendum amplius, eam nihil pertinere ad damnatam propoſitionem, & ad expoſitionem nouitiam textus Apoſtoli, quam Spongia ſupra vindicare conata eſt. Magis mirum, eam ne quidem facere ad diuerticulum, quò quæſtionem inflexit, vt videlicet doceat Religioſos eſſe in Hierarchia, aut eminentia Hierarchiæ membra. Qua de re iſte locus ne verbum quidem. Quamuis Spongia, ne à ſuo more degeneret, ſcribere audeat Petrum Damianum (*Damiani*, dicere debuit, dictus enim fuit *Petrus Damiani*, ſicut Euſebius Pamphyli, aliique à Damiano fratre de ſe optimè merito, cuius nomen in beneficiorum monimentum ſuo nomini ſemper additum voluit) hanc controuerſiam tractaſſe iſto loco, & nomine *Eccleſiæ*, ſeu, vt verè in hac epiſtola ſcriptum eſt, *Eccleſiæ vniuerſalis*, & quidem *vnitatis Eccleſiæ vniuerſalis*, vt habet locus citatus, *Hierarchiam Eccleſiæ partem* intellexiſſe. Quem ſenſum ſi Spongiarum locutio recipiat, humana certè loquendi conſuetudo longiſſimè reiicit, & ſani homines aſpernantur. Tantum ergo habet locus epiſtolæ oppoſitus, Monachos in vnitate Eccleſiæ vniuerſalis eſſe, ac licere eis poteſtatem ligandi & ſoluendi, & Sacramenta miniſtrandi ſuſcipere; quod hodie nemo negat; Et eos qui Eccleſiam primi fundarint, fuiſſe Monachos; & diſpenſationem Sacra-

mentorum priùs Monachis quam Clericis contigiſſe; de quo modò non agimus. Mirandum equidem eſt, quo iudicio aut lumine mentis, locum iſtum toties verſent ac reuerſent Spongia & Spongiæ commilitones, & quaſi controuerſiæ in qua verſamur Achillem vbique in aciem proferant inuictiſſimum, à præſenti certamine remotiſſimũ, ad quod eum nemo ſine maxima animi perturbatione & ἀσεβείᾳ pertrahere potuiſſet.

Deinde magnopere notandæ ſunt auxeſes, & amplificationes Spongiæ in commendando Petri Damiani, quod pro ſe profert, teſtimonio, quaſi ſcelus & grande ſit futurum piaculum, ab illius authoritate vel ſola cogitatione diſcedere. Proponit enim *Beatum Petrum Damianum Cardinalem & Epiſcopum Oſtienſem, in Opere epiſtolarum, iuſſu ſummorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. cum approbatione ſacri Palatij editarum, Pariſiis etiam excuſarum*. Addit alibi authoritatem Cardinalis Baronii; Petrumque ad tantam amplitudinem tanto feruore attollit, vt vocet hominem *de cuius doctrina, ſanctitate, authoritate dubitare nefas; Epiſcoporum ſacri Collegij primum; cuius dogmata ſint approbata, Catholica, iuſſu ſummorum Pontificum edita, Pariſiis cum priuilegio Chriſtianiſſimi Regis excuſa, &c.* Hæc enim eſt Spongiæ liberalitas in eis quos ſibi propitios putat titulorum mole complendis; de qua ineptia ſatis alibi dictum eſt. Quare ſi eam audiamus, teſtimonium Petri Damiani nomine prolatum non aliter accipiendum eſt quàm quæ-

Digitized by Google

dum Euangelii vox, & Eccleſiæ Catholicæ oraculum, Pontificum, Regum, Doctorum, Typographorum authoritate munitum. quibuſnam igitur Spongiis eluet leuiſſima Spongia Cardinalis Bellarmini, ſuæ Societatis coryphæi caput, quod magna ignominia conſperſum eſſe neceſſe eſt, ſi Epiſtolarum Petri Damiani collectio, aut ſi ipſa eius doctrinæ dignitas, ad tantum gloriæ faſtigium, ad tantam authoritatis arcem efferatur? Nam tot elogia non deterruerunt Cardinalem Bellarminum, ne multa in epiſtolis nominatim Petri Damiani, quas Ieſuita præcipuè deprædicat, Cenſura grauiore perſtrinxerit, tale iudicium in eas proferens, Romano etiam Pontifice, & Romanis iudicibus approbantibus: *In Epiſtola ad Dominicum*, inquit, *cap. 5. narrantur quædam leuiora de animabus defunctorum, quæ fabulis fortaſſe ſimiliora ſunt quam hiſtoriæ. In epiſtola ad Firminum Epiſcopum liberiùs quàm par eſſet videtur Author reprehendere S. Leonem IX. propter bellum contra Normanos. In epiſtola ad Henricum Rauennæ Epiſcopum ſcribit Author Chriſtum anno 30. in baptiſmo factum eſſe Sacerdotem, & Liberium Papam fuiſſe hæreticum & ſeditioſum: Quæ falſa ſunt.* Quæ ſi Bellarmino ſcribere licuit in has ipſas Petri Damiani Epiſtolas, quas Spongia tantopere amplificat; nec quiſquam hactenus librum eius propterea notam vel reprehenſionem meruiſſe iudicauit; fatendum eſt Spōgiam in immenſis Epiſtolarum quas nunquam legiſſe comprobatur, encomiis, ſine inſigni temeri-

Bellar. in l. de ſcrip. Eccleſ. in Petro Damiani.

tate aſſeuerare non potuiſſe doctrinam earum *approbatam*, *Catholicam*, de ea *dubitare nefas* eſſe. Friuolum eſt aſſerere quicquid Romæ priuilegio Pontificis maximi, & authoritate Magiſtri ſacri Palatii excuditur, verum, infallibile, irreprehenſibile hoc ipſo effici. Credulitate hominum, & Romanæ vrbis authoritate ad rudiores illaqueandos abutitur, quiſquis tale delirium ſpargit in vulgus. Nam præter iudicium Cardinalis Bellarmini de his epiſtolis Petri Damiani; quid tandem cenſuit in Belgio Ieſuita Roſuueydus, de editione Romana libri de imitatione Chriſti, ab eodem Conſtantino Caietano Petri Damiani Epiſtolarum collectore parata, quòd in ea Caietanus libelli iſtius authorem eſſe *Ioannem de Geſſen Abbatem Italum* latè probaret? An priuilegium Romani Pontificis Pauli V. libelli ad eundem inſcriptio, Magiſtri ſacri Palatii approbatio, Conſtantinum tunc Abbatem, & Pontificis Secretarium, quæ dignitates ei aberant cum Epiſtolas Petri Damiani euulgauit, eripere potuerunt inſultationibus, & morſibus, & ſcommatis Ieſuitæ Roſuueydi, Antuerpienſi anni ſequentis editione intortis? Valeat igitur improuida Spongiæ garrulitas, communi hominum iudicio, etiam ſuorum, etiam Ieſuitarum, damnata, ad quam refellendam nihil aliud opus eſt, niſi ſapere. Si enim priuilegia Pontificum, & approbationes Magiſtrorum ſacri Palatii, quibus librorum variorum editiones conceduntur certam eorum doctrinæ fidem & inuictam autho-

Digitized by Google

ritatem conciliarent; errores non pauci non ſolum recentiorum, ſed etiam antiquiorum, in veritates euaderent, quoties è Romanorum Typographorum officinis in lucem eduntur. Eiuſmodi igitur teſtimoniis nihil aliud declaratur, niſi vel in veteribus libris quibus apponuntur, ea ſola ineſſe quæ aut approbat aut tolerat vniuerſalis Eccleſia, vel in recentioribus nihil dici quod fidei Catholicæ profeſſio apertè reprobet, aut quod ad fidem de induſtria labefactandam pertineat. Fortuitos tamen lapſus, & priuatas humanæ infirmitatis hallucinationes non tuentur neque purgant eiuſmodi teſtimonia. Quare ſi liberet nobis vniuerſam Epiſtolæ quæ Petri Damiani nomine obiicitur authoritatem abiicere; non eſſemus rei maioris criminis quàm Cardinalis Bellarminus, qui eandem authoritatem tot locis aſpernatus eſt, nec ſani vllius hominis reprehenſionem extimuit.

Quamquam hoc genere reſponſionis præterito, veriùs & ſolidiùs negandum eſt, epiſtolam illam eſſe Petri Damiani, ſed ſubdititiam & ſpuriam, cuiuſmodi multa Opuſcula, ſanctorum Patrum, & ſcriptorum penè omnium operibus inſerta fuiſſe videmus. Nec leuibus argumentis in hanc ſententiam impellimur, quæ Spongia ſi vel illam Epiſtolam, vel alias eiuſdem Authoris intentius euoluiſſet, manifeſtè comperire potuiſſet. Sed librorum notæ melioris ignoratio, & feruidus defenſionis impetus, & natiua debilitas, quæ ſe toto libro prodit, hunc ei delectum & hoc iudicium

dicium ademerunt. Nam primùm omnium, huius Epiſtolæ doctrina, veræ, germanæ paſſim alibi traditæ & confirmatæ Petri Damiani doctrinæ reclamat. Hîc ſcriptum eſt, *Abſit vt Monachus viuens ſub Regula, vel Abbate, ſubijciatur alijs hominibus.* Quæ propoſitio ita generatim concepta, nullum verum ſenſum capit. Si enim aliorum hominum nomine etiam Pontificem maximum complectatur, & neget Monachos ſubiectos eſſe Pontifici, eſt hæretica. Quem tamen ſenſum ipſa ſeries & contextus orationis innuit, quia verbis antecedentibus Monachi Regibus, Pontificibus, Epiſcopis, Comitibus, diuitibus, & omnibus generatim aliis hominibus antepoſiti fuerunt. Sin Epiſcopis duntàxat Monachos ſubiici neget, pugnat perſpicuè cum doctrina Petri Damiani, qui Archiepiſcopum Rauennatem ſibi & Monaſterio ſuo, aliiſque præfuiſſe docet, ſic ad eum ſcribens: *Ecce, clementiſſime Domine, cætera Monaſteria ſub alis miſericordiæ veſtræ illæſa perſiſtunt, & cum ſecuritate & immunitate Deo ſeruiunt. Hoc autem ſolum ex quo me illud ingredi præcepiſtis, tot patet inuaſionibus & rapinis obnoxium, vt niſi mens veſtra vel nunc flectatur ad miſericordiam, iam videatur funditus deſolatum.* Et alibi: *Sed inter hæc omnia veſtræ ſanctitatis ſtudia, illud mihi multo eſt charius, quod ſaluti Monachorum Paſtoralis oculus veſter inuigilat, & occulta diu vulnera in lucem producere, & diſciplinæ chirurgio ſecare non ceſſat.* Denique alibi ſcribens ad Epiſcopum qui monaſterium nouum in ſua Diœceſi extructum inter-

Lib. 3. ep. 5. ad Vvibertũ Archiepiſ. Rauen.

Ib. ep. 2. ad Gebegardũ Archiepiſ. Rauen.

Digitized by Google

dicto alligarat, quòd Petrus Damiani illud ab Epiſcopo Foroſempronienſi conſecrari paſſus eſſet, expoſitis priùs purgationibus legitimis, ſic loquitur: *Noueris procul dubio, dilectiſſime Pater, quia Eccleſiam veſtram diligo, &c. veſtrę etiam Sedi obedientiam exhibere nequaquam refugio, ſed potiùs alacriter occurro. Obſecramus igitur, dilectiſsime, interdictum noſtræ Eccleſiæ officium reddite, & non ſolum illam poſſeſsiunculam, quæ veſtræ proculdubio Diœceſis eſt, ſed & quicquid habemus, veſtra authoritate defendite, veſtrum per omnia deputate; quatenus fratres qui nobiſcum Deo deſeruiunt, patrem vos & defenſorem, ſe habere congaudeant.* Atque hæc omnia ſine vllo priuilegiorum aut exemptionum obtentu. Prętereo cætera ſimilia in Petri epiſtolis paſſim obuia, quæ obuerſa quaſi fronte irruunt ac diruunt illud ſpuriæ epiſtolæ figmentum, quod Spongia omni veritate ſtudioſiùs adamauit, *Abſit vt Monachus viuens ſub regula vel Abbate, ſubijciatur alijs hominibus.*

Lib. 4. ep. 10 ad Rauen. Epiſcopum.

Deinde in epiſtola legimus: *Conſtat à Monachis, non à Canonicis, vniuerſalem Eccleſiam fundatam & gubernatam, & à diuerſo errore cribratam.* Et infrà in eandem ſententiam, *Manifeſte oſtendimus anteceſſoribus noſtris præ omnibus Clericis hæc Sacramenta licitum fuiſſe contingere, & diſpenſare;* quaſi primi Eccleſiæ fundatores, & Sacramentorum diſpenſatores, Monachi fuerint. At germana Petri Damiani doctrina ſic habet: *Cùm Monachis de populo nihil pertineat, Sacerdotibus iuſſum eſt populi pec-*

Lib. 4. ep. 3. ad Canibertum Epiſcop. Taurineſem.

Digitized by Google

cata portare. Et alibi ad Clericos Fauenſes, *Vos eſtis ſal terræ*, inquit, *ſi ſal euanuerit, in quo condietur? Exiguo quippe ſalis multa dulceſcunt, & paruo Clericorum numero totius Chriſtianæ plebis eruditur & inſtruitur multitudo. Sicut enim Epiſcopi duodecim Apoſtolorum noſcuntur obtinere primatum, ita & Sacerdotes Eccleſiæ ſeptuaginta Diſcipulorum ordinem repræſentant.* Et paulò pòſt, *per ſuccedentium viciſſitudines temporum, eorum funguntur officio.* Igitur contrà quàm in illa epiſtola ſcriptum eſt, à Monachis, non à Canonicis, ſeu Clericis, vniuerſalem Eccleſiam fundatam & gubernatam eſſe; Petrus hoc loco id non à Monachis factum ait, ſed ab Apoſtolis & ſeptuaginta Diſcipulis, quorum ordinis non Monachi, ſed Epiſcopi & Clerici, ſeu Canonici, quæ voces apud veteres idem ſonant, ſint ſucceſſores. Quare paulò antè ſolitudinem Monachis propriè tribuit, ſine qua iam Monachi eſſe deſinant: *Quo pacto quis valeat dici Canonicus, niſi ſit Regularis? quomodo Monachus, niſi iuxta vim ſui nominis, ſit etiam ſingularis?* Vult enim non ſatis eſſe Monacho regulæ obſeruationem, niſi etiam acceſſerit ſolitudo, ſeu vita ſingularis. Canonicis autem, aut Clericis, ſeruandam eſſe regulam iuxta vim ſui nominis. Reſpicit enim morem antiquum ſuo tempore exoleſcentem, quo Canonici ſeu Clerici omnes in locis Eccleſiæ vicinis, quæ *Monaſteria Canonicorum* dicebantur, deinceps (*Clauſtra* dici cœperunt, idque etiamnum nomen in vulgus remanet, vitam ex

Lib. 5. ep. 9. ad Clericos Fauen.

Conc. Mog. ſub Leon. 3. cap. 9. & 22

Aug. ſer. 49. de diuer. c. 1. 12. Concil. Arelat. 4. ſub Leon. III can. 8. Conc. Tur. 3. c. 23. Aquiſg ſub Lud. Pio, c. 117.

Digitized by Google

regula degebant præfecto ſeu moderatori ſub Epiſcopo obtemperantes, cuius exemplum egregium habes in Eccleſia Africana apud Auguſtinum, qui Clericis ſuis duas res quaſi proprias dotes aſſignat, *ſanctitatem* & Clericatum. Quem eundem viuendi morem Petrus reſtitutum cupiens, Fauenſes Clericos ad communem illam vitam, & regulæ Clericalis obſeruantiam, exemplo ſeptuaginta Diſcipulorum, quibus in Eccleſia ſucceſſerint, ſicut Epiſcopi Apoſtolis, adhortatur. Hæc verò cohortatio nulla foret, & tota Petri argumentatio corrueret, ſi verè ſenſiſſet, vt fingitur, à Monachis, non à Canonicis, vniuerſalem Eccleſiam fundatam & gubernatam eſſe. Quomodo enim eos ad illam vitam primorum Eccleſiæ fundatorum, vt anteceſſorum ſuorum, imitandam adhortaretur, ſi primi Eccleſiæ fundatores, non Canonici ſeu Clerici, ſed Monachi fuerint, vt falſa epiſtola docet, & eorum fundatorum non Clerici, ſed Monachi ſint ſucceſſores? Quorum etiam verborum falſitas tam perſpicua eſt, vel ipſa Ieſuitæ conſcientiâ teſte, vt locum iſtum proferens, expunxerit illam particulam, *non à Canonicis*, quia erubuit Petrum Damiani dicentem facere Eccleſiam vniuerſalem non à Canonicis, ſeu Clericis, fundatam & gubernatam fuiſſe, ſed duntaxat à Monachis.

Aug. ſerm. de diuer. 49 cap. 4.

Præthereà illa pars eius epiſtolæ, *Quis melius poteſt ſoluere vel ligare peccantem, quàm qui ſolutus eſt à Deo peccatis? Quis melius valet animas dare Deo, quàm ille qui proximus eſt ei?* qua Monachi præferuntur Clericis, vt ad functiones Eccleſiaſticas,

Digitized by Google

& animarum laborem aptiores, vt pote coniunctiores Deo quàm alij homines, & Clerici ſpeciatim; planè pugnat cum hac Petri Damiani doctrina, *Sicut Iſraël & Iuda peculiaris erat populus Deo, inter omnes gentes terrę; ita nunc Clerici ſpecialiter adhærent Chriſto præ cunctis membris Eccleſiæ.* Quâ doctrina Clericalis ſtatus cuicumque alij membrorum Eccleſiæ ſtatui, ſine exceptione Monachorum, anteponitur vt peculiariter, & ſpecialiter adhærens Chriſto. Cumque ficta illa epiſtola Clericos irregulares & prauos; Monachos Angelorum & Cherubinorum inſtar illibatos inculpatoſque depingat; Contrà Petrus Damiani multis locis longè alium de ſui temporis Monachis animi ſui ſenſum exponit, eorum vitia, tum ſuperiorum, tum promiſcuè aliorum, luculenter pandens ac gemens, quæ nos ſilentio obruentes, apud eum relinquemus; eoſque æmulationis nominatim, & ſuperbæ elationis in Epiſcopos, in Clerum, in ipſum Romanum Pontificem, in quos etiam populũ, vt nunc in Anglia Ieſuitæ concitarent, vehementer redarguit, ſéq; quod eorum infrænes tumultus non probaret, odioſũ iis & inuiſum euaſiſſe conqueritur. *In angiportuũ*, inquit, *angulis iudicant, & Synodalia iura detrectãt; dĳudicãt Monachos* (eos ſcilicet qui ab ipſis diſſentiũt) *Clericalia cuncta corrodunt, & ſolis laicis qui videlicet acriùs & mordaciùs inſequendi ſunt, parcũt.*

Lib. 5. ep. 4.

Lib. 6. ep. 8. 9. 14. & 32.

Lib. 8. ep. 11. ad ciues Florentinos.

Atque hæc de præcipua doctrina ſuppoſititiæ epiſtolæ, & de illis doctrinæ capitibus quæ Spongia ad errorum ſuorum, & arrogantiæ ſuæ

præſidium venata eſt. Quam doctrinam cùm conſtet eſſe impuram, & doctrinæ beati Petri Damiani, tot locis declaratæ reluctantem; non ſolùm deperit autoritas, quæ è falſa epiſtola falſiſſimis dogmatibus quærebatur, ſed etiam contraria & germana beati Petri Damiani authoritas, iam toties expoſita, & in eos reuoluta, vaniſſimæ eorum peruicaciæ illiditur.

Poſtremò iſtius epiſtolæ ſtylum intuenti nihil planius, quàm eum longè infra perpetuam vim & eloquentiam Damiani deſidere, & nouitij alicuius barbariem & leuitatem reſipere. Eminent vndique argumentationes inſcitæ & inſipidæ, vt cum ad declarandum *Monachis prę omnibus Clericis Sacramenta licitum fuiſſe contingere & diſpenſare*, hoc probationis ingerit; *ſicut in vita B. Martini legitur;* addens Teleſphorum Papam, & Dionyſium, & Adeodatum, & Stephanum, & ſanctum Gregorium, Monachos Anachoretas fuiſſe; quaſi ante iſtos nulli in Eccleſia fuerint Pontifices, & Epiſcopi, & Clerici, qui nunquam monaſticum iugum experti Eccleſiam gubernarint; Et quaſi illi ipſi quos narrat, Eccleſiam Vniuerſalem fundarint, vt ex iis probari poſſit, *Monachis præ omnibus Clericis Sacramenta licitum fuiſſe contingere & diſpenſare.* Quo loco notari debet illa locutio, *Teleſphorus Apoſtolicus*, ad deſignandum Romanum Epiſcopum, ſermoni Petri Damiani parum conſona, qui Romanum Epiſcopum vocare ſolet *Papam*, aut *Pontificem*, aut *Sedis Apoſtolicæ*

Epiſcopum, non *Apoſtolicum* ſimpliciter, quæ vox poſteriorum temporum conſuetudinem potiùs olet. Etſi enim eâ ſanctus Bernardus vſus videtur; ſed tamen aliter vſus eſt, vt patebit perpendenti. Eadem epiſtola probat Monachalem veſtē eandē fuiſſe cum veſte Apoſtolorum & Prophetarum, quia Apoſtoli zonis erant accincti; quaſi non etiam Clerici. Quin & Monachorum veſtem ad habitum Angelicum æquiparat, quia ſcriptura ait, *ſex alæ vni, & ſex alæ alteri*. Ex quo ſic argumentatur : *Enimuerò & nos ſex alis velamur, videlicet duabus in capite, & duabus dextra læuaque, & duabus ante & retro.* Et infrà : *Vt Cherubim, ita Monachi ſex alis velantur. Duabus quidem in capucio, quo caput tegitur; alijs vero duabus, quibus pedes teguntur, veriſimilibus demonſtratur aſſertionibus. Illud verò quod brachijs oſtenditur, alias duas alas eſſe dicimus, & id tandem quod dicitur, ſex alarum numerum certiſſimè impleri aſſerimus.*

Taceo, ne ſermonem in re perſpicua in longum extraham, errores non paucos quibus bella epiſtola internitet. Nam ſanctum Athanaſium in Monachorum numerum coniicit; S. autem Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum iis qui Monachi non fuerint, annumerat. Quod vtrumque erroneum eſt. Nam nec ſanctus Athanaſius Monachus vnquam fuit; & ſanctum Eucherium Monachum fuiſſe conſtat in Monaſterio Lirinenſi, plurium olim ſanctiſſimorum virorum Epiſcoporumque ſeminario. In octo primis Eccleſiæ

Hila. in vita S. Hon. Sid in carm. de eodem.

Conciliis gloriatur, *Monachis licitum fuiſſe diſputare abſque vllo ſcrupulo in conſpectu Concilij ſuper omnes qui aderant.* Quod imperitia & inſolentia manifeſtiore plenum eſt, præſertim quod ad prima Concilia attinet, quàm vt confutationis egeat. Vniuerſos Réges, Pontifices, Epiſcopos, iubet ſuas ſedes dimittere, & in Monaſteria conuolare; quod doctrinam falſam & temerariam continet, reſcripto Innocentij III. Pontificis in Decretales relato è regione aduerſantem.

Cap. niſi cùm pridem. de renunt.

Tota denique epiſtola nihil ſpirat niſi ſummum typhum ſumma ſtoliditate notabilem; ferociam, non Monachalem, qualem deſcribit Petrus, ſed vaſtam & ruſticanam, altiſſimæ alienam Petri Damiàni modeſtiæ & manſuetudini, totis eius operibus collucenti, qua quorundam ſui æui Monachorum faſtum & petulantiàm, in Clerum præcipuè increpans, nihil iis niſi humilitatem & lenitatem inculcat. Ipſum illud initium, *Multum fratres chariſſimi, ſi digni eſtis audire, miramur, &c.* Et illi floſculi, *Probabimus vos per omnia eſſe mentitos, quia dicitis, &c.* Et alij ſimiles, agreſti arrogantia turgidi, Petro Damiani aſcribi nequeunt, niſi ab iis quibus nihil cum eius lectione, neque cum eius virtute conſortij eſt, nec tota adeò epiſtola, in qua nihil videas niſi immanem, & ridiculam in Clerum omnem conſpirationem ab aliquo Monaſticæ vitæ tyrone non ſatis ſano, omnium Monachorum nomine, conſcriptam eo ſtudio, quo Ieſuitæ nuper Anglorum omnium Catholi-

Digitized by Google

eorum nomine falſam & procacem declarationem confinxerunt. A quo genere conſpirationum ſanctus Petrus Damiani tanta animi cautione ſemper refugit, vt ob hoc ipſum inquietium Monachorum odia effugere non potuerit, vt iam antè notauimus; tantaque Clerum vniuerſum religione & demiſſione reueritus eſt, vt cùm Epiſcopus Oſtienſis conſecratus, & ſacri Cardinalium Collegii Epiſcoporum primus fuiſſet, tamen ad Monaſterium regrediens, priſtinæ dignitatis immemor, literis ad Archiepiſcopos & Epiſcopos conſcriptis, non eos Fratres, ſed Dominos, & Patres vocaret, ſe iis ſubiectum, nec minus quàm infimum Monachorum, eorum obedientiæ obnoxium teſtificans, literaſque ſemper hoc modò ſubſcribens, *Petrus Monachus & peccator.* Quare dici non poteſt quàm præpoſteris mentibus ſcriptorem hunc ſuperbiæ faſtuſque ſui propugnatorem Ieſuitæ delegerint, quo nullus vehementior talium animorum hoſtis, nullus dignior à quo modeſtiam, ſobrietatem, ſui cognitionem, debitam poteſtatibus à Deo in Eccleſia conſtitutis obſeruantiam ediſcant.

Poſtremò Spongia malè hunc authorem trahit in illius eminentiæ, quam ſibi opinionis errore confinxit, patrocinium. Petrus enim Damiani loco citato, vt cætera concedamus, non tamen loquitur niſi de Monachis, quod nomen Ieſuitæ magnopere reſpuere ſolent, & proprio quodam faſtidio dedignantur. Cùm enim eximium aliquid,

ſupra cæterorum ordinum vulgus exquirerent, Religioſorum & Monachorum nomina, quæ ante ipſorum ortum, omnes ordines promiſcuè vſurpabant, diſcriminare cœperunt, & Monachorum appellatione contemptâ, aliquid excellentiæ propriæ in Religioſorum nomine, vt ciuiliori & plauſibiliori, ambierunt; idque ne quis eos, vt cæteros Religioſos, pro hominibus ſilentio, ſolitudini, & rerum humanarum deſpicientiæ deditis acciperet, ſed pro nouo quodam hominum genere ad regendum orbem anhelante. Quamquam ſi verum horum nominum vſum vel intellexiſſent vel intelligere voluiſſent, facilius eis & æquius fuerat Monachorum nomen ex priſtina & perenni Eccleſiæ conſuetudine retinere, quàm nomen Religioſorum tantùm, nouo more, in nouæ excellentiæ aucupium arripere, ſpreto nomine Monachorum. Quorum etiam inſtituto ſuum anteferre, & excellentius atque antiquius [a] facere non dubitant, quaſi Ieſuitica Religio, Religionum omnium princeps, & à primis vſque Apoſtolorum & Chriſti Domini temporibus ad hoc æuum ſit delapſa, ſecùs quàm religio Monachorum, ſub qua tamen Mendicantes à Soario [b] comprehenduntur. Neque porrò ad tegendam audacis doctrinæ nouitatem, Canonicorum Regularium inſtitutum obijciant. Nam nec ipſi eſſe volunt [c] Canonici Regulares, & eorum nomen, vitam, ritus, non minùs quàm Monachorum refugiunt. Ac conſtat Canonicos Regulares toto

a *Suarez to. 4. de Rel. l. 1. de inſtit. Societ. c. 5. n 6.*

b *Idem eod. to. l. 1. de variet. Rel. c. 8.*

c *Idem ib. c. 9 num. 5. 6. & ſeqq.*

cœlo ab iis diſtare, cùm ex primo inſtituto ſint pars Cleri[a] cuiuſque Diœceſeos aut ciuitatis, hoc ſolo[b] ab aliis Clericis differentes, quod in alia domo, ſeu Monaſterio, ſeorſum à Clero communi verſarentur. Cæterùm inſtitutum, vita,[c] mores, veſtis, diſciplina quam ſub præfecto vel Abbate[d] Epiſcopis ſubiecta obſeruabant, nihil intererat ab inſtituto & diſciplina omnium[e] Clericorum. Agebant enim Clericalem vitam, à Monaſtica diuerſam[f] ſine votis, vt Clerus omnis, functionibus ſolùm Eccleſiaſticis, vt Clerus reliquus, ad Epiſcopi nutum intenti. Cuius etiamnum rei illud in Gallia, & in primis Lutetiæ, manſit veſtigium, vt locum partemque habeant in matricis Eccleſiæ Clero, in quo certis temporibus miniſtrare, vel alios qui pro ſe miniſtrent ſubmittere debent, quibus & penſio & beneficium Eccleſiaſticum cæteris Clericis æquale addictum eſt. Vnde patet eos ab antiquo ſuo inſtituto eſſe partem de corpore Cleri, eorumque inſtitutionem, exemplum, vitæ genus, non ad eos qui ſunt extra corpus Cleri ſingularum Eccleſiarum; ſed ad illum Clerum, & ad communem Eccleſiaſticorum hominum ſucceſſionem & normam referendum eſſe. Quæ omnia latiùs ſuo loco declarabuntur, & multæ Soarij in hoc negotio ineptiæ patefient, qui Canonicos Regulares à Canonicatu ſeu præbenda dictos putauit: cùm tamen Canonicorum nomen longè ante viguerit, quàm illæ præbendæ ſeu Canonicatus extitiſſent, vt facilè vident om-

a *Conc. Aquiſgra. ſub Steph. 4. ca. 115. 117. 118. & ſeqq.*
b *Conc. Tur. 3. c. 23. & 24*
c *Cōc. Meld. ſub Serg. 2. cap. 53.*
d *Conc. Mogunt. ſub Leon. 3. c. 21.*
e *Idem c. 22. & Aquiſg. ſub Steph. 4. ca. 101. 102. 115.*
f *Concil. Aquiſgr. ſub Hadrian. 1. c. 73.*

Suarez to. 4 de Rel l. 1. de variet. Relig. c. 9. n. 6. & 7.

Digitized by Google

nes, quibus hæ res ſunt paulo notiores. Ideò ſi ſapiunt, alia præſidia quærent Moliniſtæ, nec ſui huius *Magiſtri orbus* ſupinas nobis hallucinationes regerent, quas homini huiuſmodi rerum vel mediocriter callenti diſijcere nihilo grauius eſſe poteſt, quàm paleas ſtipulaſque diſſlare. Nihil igitur ad ipſos Canonicorum Regularium inſtitutum, à quibus & nomine, & vita, & functionibus, & ſuopte iudicio diuerſiſſimi ſunt. Illi enim ad communem cuiuſque Diœceſeos Clerum pertinent, & corporis eius ab antiquo ſunt pars, quamuis proceſſu temporum nonnihil demutata : Iſti verò ſuum ſeorſum Religionis priuatum corpus conficiunt, eodem modo quo cæteræ religiones ante ipſos in Eccleſia florentes, quas tamen in numerum Monachorum conijciunt. Atque hoc eſt quod nouum ab iis inuectum eſſe dicimus, vt cùm ſint priuata Religio, à cæteris omnibus Eccleſiæ Societatibus ſuopte inſtituto diiuncta, & ſuis priuatim vtens legibus, ſuis votis, ſua norma, ſua vita; tamen Religioſorum nomen aſſumpſerint, ſpreto nomine Monachorum, quod ante ipſos natos omnibus eiuſmodi cœtibus, quales ipſi ſunt, tribui in Eccleſia conſueuerat. Scio ipſos ab Synodo Tridentina dictos eſſe *Religionem Clericorum*; à quodam etiam Pontifice in priuata Bulla *Clericos Regulares*. Sed præter quam quòd quæ à Concilis obiter & in capitulis referuntur, fidem vt Canones non faciunt, neque certam authoritatem, vt ipſi aliique docent; Certum eſt

neque Concilium, neque Pontificem, tale iis nomen tribuiſſe eo ſenſu quo vel Clericorum nomen; vel Clericorum ſeu Canonicorum Regularium, in Eccleſia vſurpari conſueuit. Nam ipſi fatentur ſe non aliter eſſe Clericos, quàm eſſe Presbyteros, nimirùm eſſe ſolùm inſtituto & ex fine, quòd ſcilicet ad Clericatum & ad Presbyterium deſtinentur; non autem reipſa eſſe tales ipſo ſtatu, & ipſa ſui inſtituti profeſſione. Quo tamen ſenſu Clerici ſemper in Eccleſia dicti fuerunt Clerici, & Clerici ſeu Canonici Regulares; quòd ſcilicet non tantùm ex fine, & prædicatione quadam externa, vel, vt ita loquar, potentiâ, ſint Clerici ſeu Canonici, ſed quia tales ſint actu, ipſa vitæ profeſſione. Vnde Canonici Regulares natura & inſtitutione ſua iam Clerici eſſe debent, quando vitam regularem profitentur, vt etiam declaratum eſt à Pio Papa IV. *Eos dignitate Clericali ſtatim quod profeſſionem Regularem emittunt, inſignitos eſſe oportere.* In Ieſuitis nihil tale, quorum multi multis annis emiſerunt vota, adeoque veri religioſi fuerunt, non ſecus ac ij quos profeſſos vocant, vt docet Bulla Gregor. XIII. priuſquam Clericalem gradum tonſuramve ſuſceperint; nec hunc gradum ad Religionem ſuam prærequiri ipſi fatentur. Non ergo ſunt ipſo ſtatu Clerici ſeu Canonici Regulares, ſicut ij quibus hactenus hoc nomen in Eccleſia tributum eſt, & adhuc tribui ſolet; ſed dici ſolùm poſſunt per indulgentiam & humanitatem, & benignam interpretationem, ob hoc tantum quod ad Clericatum aut Sacerdotium ſuis

Suarez to. 4. de Rel. l. 1. de variet. Relig. c. 7. & l. 1. de inſtit. Societ. c. 5. n. 3.

Bull. Mag. to. 2. bul. 72. Sixt. 4.

Suarez ſup. l. 1 de inſtit. ſociet c. 5. n. 8.

Digitized by Google

votis obligentur. Quo ſenſu Mendicantes omnes, vt Prædicatores & Minores, Clerici Regulares non minus dici poſſent, cùm nihilominus quàm ipſi ad Clericalem gradum & ad functiones Eccleſiaſticas inſtituti ſint, vt ex diuo Thoma patet, & ipſa Spongia fatetur. Cùm verò nihilominus Mendicantes in Monachorum numerum retrudat Soarius, nihil eſt cur ob hunc finem Ieſuitæ ab eo numero eximantur. Adde quod ipſis etiam Bullis Pontificum ex profeſſo in hunc finem editis, adſcripti ſint Religionibus Mendicantibus; ideoque vel Mendicantes non ſunt ſpecies Monachorum, vt vult Suarez, vel Ieſuitæ in eadem ſpecie ſunt, cùm à Mendicantibus, neque inſtituto, neque mendicitate, ſed ſoli fortaſſis veſte differant. Imò Mendicantes hoc magis accedunt ad Clerum, quod officium Eccleſiaſticum in choro decantent more perpetuò Cleri, qui hoc ab initio in præcipuis Clericalis vitæ muneribus habuit; quod tamen Ieſuitæ vniuerſum abiecerunt. Fruſtra ergo ſe Monachis & Mendicantibus anteponunt, non ſolùm *Monachorum* nomen, quod illi admittunt, ſed etiam nomen *Fratrum* aſpernantes, quod Soarius, illâ qua ſolet harum rerum peritia, ſolis Monachis & Mendicantibus relinquit, à Clericis abiudicat; cùm tamen apertiſſimis & ſanctorum Patrum, & ſcripturarum teſtimoniis conſtet illud perpetuò Eccleſiæ vſu ab initio Chriſtianis omnibus fuiſſe tributum, & ſpeciatim Clericis, & nominatim Epiſcopis, vt veterum ſcripta vndi-

D. Tho. 2. 2. q. 188. ar. 4. Spong. p. 103

Suarez ſup. l. 1. de var. Relig. c. 7. n. 10.

1. Cor. 5. Tertul. Ap. c. 39. S. Cyp. ep 45. &c. Cyp. ep. 41. &c. Aug. ep. 162. & 125.

que clamitant, atque adeò hodiernus Epiſcoporum & Pontificum etiam maximorum vſus. Similiter Religioſorum nomen omnium Chriſtianorum, pietati præcipuè ſtudentium, fuiſſe commune ab initio Eccleſiæ Catholicæ, & priſcis ſanctorum Patrum ſæculis, nemo ignorare poteſt, qui veterum monimenta euoluerit. Plena ſunt Patrum ſcripta huiuſmodi locutionibus, quibus & ſacræ Scripturæ ſuffragantur. At Monachorum nomen penes eos propriè ſemper relictum eſt, qui peculiari quodam ritu, & conſecratione mentis & corporis, ſeſe Deo mancipaſſent. Neque vox illa Monachi, præcipuè inſtituta fuit ad ſignificandum corporis ſolitudinem, ſed ad ſignificandam præcipuè ſolitudinem animi, vt ex authore illo patet, à quo primùm & Monachi nomen, & priſtinos in primæua Eccleſia Monachorum mores & gradus omnis Eccleſia didicit. Nam ſi ſanctum Dionyſium Areopagitam conſulimus, reperiemus Monachos olim in Eccleſia nuncupatos fuiſſe, non tam quòd vitam ſeorſum agerent ſecluſi a cœtu hominum, quàm quòd affectu animi à creatarum rerum ſocietate diuulſo, à terrena multiplicitate ſegregato, in ſimplicem & vniuſmodi vitam, in habitum mentis vni Deo adhærentem, colligerentur. Quæ vniuſmodi vita, quia faciliùs in ſolitudine corporea, & in locis ab humano cœtu remotioribus comparari ſeruarique poteſt; contigit vt etiam corporea ſolitudo Monachorum vitæ ac nomini quaſi complemen-

Auguſt. ex Ambr. oper. imp. cõt. Iul. l. 1. n. 91. & 133. & alibi. & ep. 139. de Polemone. Cypr. ep. 52. &c. Act. 2. Iac. 1.

Μοναχοὺς ὀνομάζοντες, ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας, καὶ θεραπείας, καὶ τῆς ἀμερίστου, καὶ ἑνιαίας ζωῆς, ὡς ἑνοποιούσης αὐτοὺς ἐν τῇ τῶν διαιρετῶν ἱερᾷ συμπτύξει, εἰς θεοειδῆ μονάδα, καὶ φιλόθεον τελείωσιν. *hoc eſt,*

tum deinde adiuncta fuerit. Sic tamen vt ſolitudo illa animi præcipua remanſerit, ex qua Monaſticus ſtatus & Monachorum appellatio ſpectaretur. Nam longo deinceps interuallo Monachi in vrbes, vnde ante receſſerant, remigrantes, & humani commercij facti paulo magis participes, non ideò Monachi deſierunt eſſe, vt patet ex ordine in primis Benedictinorum, quorum pleræque Abbatiæ primariæ vel in ipſis vrbibus, vel ad vrbium mœnia, iam olim extructæ viſuntur. Hinc factum eſt vt nulli vnquam Religioſi, quamuis ad humanam ſocietatem, & ad conuictum, vt ita dixerim, humaniorem, & ad miniſteria Eccleſiaſtica inſtituti, Monachorum nomen reſpuerint, ſed libenter ſint amplexi, vt patet ex mendicantibus omnibus, quibus & tribui ab aliis, & ab ipſis vltrò accipi conſueuit. Spectatur enim primariò in eo nomine illa mentis vnitas, & à variis rerum humanarum curis & ſolicitudinibus ſeparatio, quam quia Religioſi omnes præcipuè conſectantur: ideò Monachorum nomen ex perpetuo vſu Eccleſiæ nunquam à ſe alienum putauerunt. Cùm ergo hoc nomen primi religioſorum omnium Ieſuitæ reijcere cœperint, quaſi profiteri nollent illam terrenorum affectuum, & multiplicium curarum vacuitatem, in qua ſanctus Dionyſius Monaſticum ſtatum & Monachorum excellentiam collocauit; immeritò ea quæ Monachis tribuuntur, ad ſe trahunt, immeritò Monachorum iura delibant, quorum nomen attingere nolunt,

Monachi nominantur ex puro obſequio & famulatu Dei, ac indiuidua & vnica vita, qua vnum fiãt, & ſacris eorum quæ in ipſis diuiſa ſunt collectionibus & conſtrictionibus à Deo ſimilem vnitatem, & ad Dei amantẽ perfectionẽ redigantur. *S. Dion. Ecc. Hier. cap. 6. Quem locum Latinè etiã expreſſum. Vide apud D. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 5. in corp.*

lunt, cùm propriæ diſtinctionis teſtimonio, ſint quidem Religioſi, ſed Monachi eſſe nolint.

SPONGIA.

Addamus tertium S. R. E. Cardinalem Albanenſem, Diuum Bonauenturam, qui libro de Apologia pauperum, habet hæc verba : Penſatis omnibus, nulli debet videri iniurioſum & ſuperfluum, ſi cœleſti Hierarchiæ placuit, aliquos ad hoc opus, & non neceſſitate conſtrictos, ſed charitate inductos eligere, quos & ſubcœleſtis Hierarchia voluit & debuit approbare. *Quo libro ſoluit argumenta aduerſariorum, & concludit Regularium iſtorum acceſſu ornari, non deornari Hierarchiam.*

Apol. paup. 4. reſp. 3. par. ar. 1.

Responsio.

Ne nunc quidem ab hoc viro ſancto quicquam habes, quod in præſumptuoſi dogmatis, de quo diſputatio inſtituta eſt, ſubſidium detorqueas. Iam ſemel in hoc agone vindicauimus eum à temeraria & fallaci tua manu, & errorem quem illius authoritate firmare voluiſti, illâ ipſâ obtriuimus. Quod idem nunc quoque facillimum factu eſt, tantum volaticæ iſtæ obiectiones, quas cœco impetu volutas, refellendi tui argumentum & copiam cuiuis homini, ſano tantum, & quietæ mentis, ſuppeditant. Quid enim ait D. Bonauentura? An Religioſos eſſe in Hierar-

chia ſuperiores Parochis? An id illo Apoſtoli textu probari? An ſaltem, vt à primaria quæſtione in tuos deflexus abeamus, Religioſos ſuo inſtituto, & *ex ſtatu* in Hierarchia eſſe? An Hierarchiam quicquam ad eos pertinere iure ſuo? Si nihil horum ait, vt clariſſimè patet, Spongiam tibi pro cerebro eſſe neceſſe eſt, qui teſtimonia diſparatiſſima in rem tuam feras, ſanctiſſimi Doctoris authoritate iam toties abutaris, nos inutili, & turpi, & tædioſo labore per ſummam ſtultitiam fatigare non deſinas. Nam ſanctus Bonauentura loco & opere citato, ne tenuiſſimâ quidem cogitatione quæſtionem, quam nunc verſamus, attigit. Nec tu inde quicquam ad commentitias nouitates adornandas excerperes, niſi erratico & vago animi motu ſine iudicij lumine raptareris. Vt enim breuiter aperiam, quid tunc quæſtionis S. fuerit Bonauenturæ & Thomæ in Apologiis ſuis, quos turbidè & præcipitantibus ſtudiis clamare ſoletis, tu præſertim & hoc loco & alibi, controuerſiam quam vos nuper concitaſtis, iam tum explanaſſe & præindicaſſe: Sancti illi Doctores ea ætate aſſerebant licere Prælatis Eccleſiarum, Religioſos ad Eccleſiæ miniſteria ſuâ authoritate aſſumere; licere Religioſis mandatum à præſulibus miniſteriũ ſuſcipere; atque id Eccleſiæ non inutile aut infructuoſum videri. Hæc erat omninò diſputatio & doctrina, quam SS. Thomas & Bonauentura ſuo tempore aduerſus ſuorum Ordinum obtrectatores propugnabant. At verò

Ieſuitæ non contenti conceſſo per humanitatem beneficio & poteſtate precaria, hoc ipſum miniſterium, & has ipſas Eccleſiæ functiones ſui iuris efficere moliuntur, ſibi vindicant, ſibi aſſerunt, vt poſſeſſionem non ſolùm debitam, ſed etiam naturalem, & indiuiduam ordini Ieſuitico, quaſi ſtatui non ſolùm Religioſo, ſed etiam Hierarchico. Quàm immane illius moderationis ab hac præſumptione diſcrimen eſt? Quàm illa Seraphicis Angelicisque Doctoribus, hæc Moliniſticis congruit? Sanctus Bonauentura petit ne Religioſi ad opus animarum admoti, *iniurioſi aut ſuperflui* habeantur; ne vocentur *Gyrouagi*, vel *Sarabaitæ*, hoc eſt, effrænes & irregulares; ne *falſis prophetis* comparentur. At Ieſuitis non ſatis eſt effugere probrum, laudem petunt, palmam ambiunt, eamque non vulgarem, ſed eximiam; vt non ſolùm Hierarchiam ſuo iure poſſideant, ſed etiam ſint Hierarchæ, *eminentia Hierarchiæ membra*, Parochis & minoribus omnibus Prælatis in Hierarchia ſuperiores: ne Epiſcopis quidem ex omni parte cedentes. Sanctus Bonauentura poſtulat vt Religioſi admittantur, tanquam auxiliares Parochorum, non modò non vt Domini aut Superiores, ſed etiam *vt ſerui* per humilitatis & charitatis obſequium. At Ieſuitæ Hierarchiam inuadunt, non vt Epiſcopis, nedum Parochis, ſed vt ſoli Romano Pontifici deſeruientes & Opitulantes *ex ſtatu*, & ad ſuſtinendum vniuerſalis Eccleſiæ regimen, ſimul cum Romano Pontifice deſtinati. O zelum ſan-

cti Bonauenturæ zelo, & ordini verè Minorum abſimilem! zelum Moliniſticum! zelum non Minorum, ſed magnorum & excelſorum ſpirituum! *Vos* enim, Moliniſtæ, *altos geritis ſpiritus;* quod olim Rex quidam de Romanis.

Quod ſi Spongia ruſticè vrgeat illa ſancti Bonauenturæ verba: *quos & ſubcœleſtis Hierarchia voluit & debuit approbare;* iiſque ad abſurdiſſimum arrogantiæ Moliniſticæ patrocinium abutatur, facile eſt comprimere hominem ipſa ſancti Doctoris authoritate. Nam ſi ea verba ad literæ corticem, & ſolis auribus, non ſenſu animi expendamus, longè nos auferent ad prodigioſæ opinionis, & inſanæ ingratitudinis voraginem. Sentiendum enim erit, Religioſorum approbationem non fuiſſe liberam Pontifici maximo; adeóque non gratiæ ac beneficij loco, ſed ex officij lege neceſſariò traditam fuiſſe, quaſi rem debitam & propriam, & quæ ſine iniuria negari non poſſet. Quod equidem Spongiam non opinor apertè profeſſuram eſſe, rei ipſius enormitate deterritam. Eſt enim non ſolùm ſumma in vniuerſam Eccleſiam, ac per hoc in eius caput Pontificem maximum, iniuria; ſed etiam ingratitudo inſolens, qua beneficium Pontificis & Præſulum Eccleſiæ, tum ex eorum qui accepere memoria, tum ex omnium animis tollitur, quaſi Eccleſiæ Antiſtites, nihil largiti ſint per gratiam Religioſis, ſed eis debita perſoluerint. Quod paradoxum Spongia hoc loco innuere auſa eſt, quam-

Digitized by Google

uis impudens, & inſulſum, & Hibernicarum propoſitionum, quas alibi *inſulſas & inſanas* vocauit, germanum caput his verbis conceptum, *Priuilegia Regularium non poteſt Papa reuocare*. Si enim eá verè debuit priuſquam dediſſet; ſequitur auferre non poſſe poſtquam dedit: quia eiuſdem iniuriæ eſt non reddere petenti quod debeas, & iam poſſidenti eripere. Hæc ergo doctrina cùm, ipſa Spongia teſte, ſit enormis, ſanæ menti aliena, ſummo Pontifici in primis iniuria, eius authoritati & liberalitati contumelioſa, non eſt operosè conuellenda argumentorum & orationis pondere, quia veriſimile non eſt fore vt Pontifex maximus, in quem potiſſimùm acerba eſt, eam diutius tolerandam exiſtimet.

Non fuiſſe autem S. Bonauenturam tanti portenti adſtipulatorem, neminem eſſe arbitror qui non ſponte ſua fateatur. Facilè quiuis intelligit hanc labem doctiſſimo ſanctiſſimóque viro ſine perſpicuo teſtimonio imponi non poſſe, quod Spõgia nunquam dabit. Quod ergo hîc ait, nihil aliud eſt, niſi Religioſos per ſe & ex ſtatu ſuo non habere poteſtatem exercendi functiones Hierarchicas, & vt eas exercere poſſent, neceſſariò debuiſſe ab Eccleſia approbari, antequam ad eas, prout diuinæ vocationis inſtinctus, & Eccleſiæ vtilitas poſtulare videbatur, incumberent. Docet id diſertè ibidẽ, & ſeipsũ exponit his verbis: *Huiuſmodi Hierarchica opera non peragunt authoritate ſua, ſed ordinariorum, & potiſſime S. Pontificis.* Et paulò antè: *Chriſti vicarius,*

Digitized by Google

Petriq; ſucceſſor, vt pote S. Spiritus illuſtratione prauectus, ſtatũ hunc Euangelizantium pauperũ qui ſaluti animarũ intenderent, tanquam cœlitùs ſibi miſſum cum hilaritate ſuſcepit, pietate confouit, authoritate roborauit, &c. Addit Pontifices eò etiam fuiſſe impulſos magnorum fructuum ſpe quadam, quam de Religioſorum laboribus animò præceperant. Quod ſi quis hanc ſancti Bonauenturæ locutionem arctius premere voluerit, nihil ex ea, vt quàm ſeueriſſimè exponatur, referet aliud, niſi Mendicantium Ordines eo diuinæ prouidentiæ ductu Eccleſiæ fuiſſe oblatos ad animarum vtilitatem, vt Eccleſia diuino inſtinctui quodammodo aduerſari videretur, ſi eos recuſaſſet; atque ita ſpectatis temporum rerumque rationibus eos approbare à Deo iuberetur. Quemadmodum quicquid diuino impulſu nobis ſuggeri, & neceſſariis quodammodo rationibus imponi ſentimus, præcipi nobis dicimus, nec omitti poſſe, quamuis ipſa res per ſe libera, & nulla externa expreſſaque lege præcipiatur. Plena eſt piorum hominum, diuinæ gratiæ, & voluntatis intimos motus obſeruantium vita, huiuſmodi locutionibus, quas ſanctus Bonauentura pro ſua quoque pietate non rarò, neque obſcurè, vſurpauit.

Denique dum S. Bonauentura ſubdit, Religioſorum iſtorum acceſſu *ornari, non deornari Hierarchiam*, nihil fauet Spongiæ, ſed eam potius premit. Loquitur enim apertè de Religioſis, *quos Hierarchia ſubcœleſtis approbauit*, ſeu admiſit ad mi-

Digitized by Google

niſterium animarum, hoc eſt, de Sacerdotibus Religioſis, non de aliis, etiam non Sacerdotibus, vt Spongia. Declaratur, quia ad teſtimonia Patrum dicentium Monachi non eſſe docere, ſed plangere, nec illuminare aut perficere, ſed illuminari & perfici; Reſpondet id verè fuiſſe dictum, quando inter Monachos erant *perſonæ laicales & imperitæ, & non Sacerdotales & literatæ.* Sanctum enim Dionyſium tradere, *Quod purgare, illuminare & perficere ad ordinem ſpectat Sacerdotalem.* Vnde patet acceſſum illum Monachorum, quo ſanctus Bonauentura dicit ornari Hierarchiam, non alium ab ipſo intelligi, niſi acceſſum Religioſorum Sacerdotum ad functiones Hierarchicas admiſſorum. Atque ita ex doctrina eius ad ſummum collegi, Eccleſiam poſſe aſſumere Monachos in Hierarchiam, quod nemo negat; & Monachos, ſeu Religioſos Sacerdotes, actionibus Hierarchicis idóneos, ad Hierarchiam Eccleſiaſticam pertinere, poſtquam ab Eccleſiæ præſulibus approbati fuerunt. Quod verum ſit necne, alibi agemus. Hæc verò doctrina Spongiam euidentiſſimè coarguit. Cùm enim S. Bonauentura in Hierarchia non collocet niſi ad ſummum Religioſos Presbyteros, miniſterio animarum aptos, ab Eccleſia approbatos; vtique alios excludit; & proinde repudiat doctrinam Ieſuiticam, qua Religioſi, ex vi ſtatus & ex ſuo inſtituto, in Hierarchia eſſe dicuntur: ad quod dogma comprobandum, Spongia teſtimonium eius attulerat.

Digitized by Google

Quartus accedat ſanctus Thomas, non quidem Epiſcopus, ſed quod coram Deo maius eſt, Archiepiſcopatus Neapolitani recuſator, 2. 2. quæſt. 188. artic. *6.* Sicut, *inquit*, maius eſt illuminare, quàm lucere ſolùm, ita maius eſt contemplata aliis tradere, quàm ſolùm contemplari: ſic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & PROPINQVISSIMÆ ſunt perfectioni Epiſcopali, ſicut & in aliis rebus fines primorum coniunguntur principiis ſecundorum, vt Dionyſius dicit in ſeptimo capite de diuinis Nominibus. *Ita diuus Thomas Regulares quoad exercitium actuum Hierarchicorum præfert Curatis. Nam ſi inſtitutum Curatorum eſſet perfectiſſimum poſt Epiſcopale, & ei proximum, tunc hæ Religiones non eſſent propinquiſſimæ Epiſcopali perfectioni, nec illi coniungerentur, tanquam ſecunda primis, ſed ſubiungerentur Parochis, tanquam tertia ſecundis.*

RESPONSIO.

Quo longiùs progrederis, eo maior ineptiarum tuarum cumulus exurgit. Adeò nihil ſanum, nihil ſanorum hominum more loqui potes, & quicquid conaris dicere, ſemper in deteriora prouolueris. Propoſitio damnata, quam initio ſuſcepiſti tuendam, fuit; Religioſos eſſe in Eccleſiaſtica Hierarchia ſuperiore gradu quàm Paro-

Digitized by Google

Parochos: Ab hac delapſus es ad ſecundi generis quæſtionem, & ſubitò diſputare cœpiſti, Religioſos ex ſuo ſtatu verè in Hierarchia Eccleſiæ verſari. Rurſus in hoc gradu inſtabilis, cùm ad eius confirmationem teſtimonia prolaturus videreris, repentè nouo mentis motu in tertium gradum deiectus es, vt ex ſancto Thoma ſine cauſa declarares, Religiones quæ ordinantur ad prædicandum & docendum, eſſe maioris perfectionis quàm officium Parochorum. Qua de re in propoſitione à qua orſus es, nihil ineſt. Hæc deliria, has intemperies animi proferre audes in aſpectum nobiliſſimæ Theologicæ Facultatis, & Eccleſiæ, & totius orbis? Quis dubitet quin careas non ſolùm ſanitate doctrinæ, ſed etiam animi? Quis aſſiduas à propoſita materie euagationes tuas intuens, non miretur in tanta memoriæ penuria tam exile iudicium ſupereſſe?

Ad locum igitur diui Thomæ multis modis reſpondemus. Primò, ſi omnia tibi demus quæ continere videtur, & quæ ipſe inde infers, tamen tuam cauſam nihilo fore meliorem. Non enim agimus de perfectione officij Parochorum aut Religioſi ſtatus, de qua ſola ille locus & tua concluſio loquitur; ſed de Hierarchia & gradu Hierarchico Parochorum, & Religioſorum. Certum autem eſt in doctrina S. Thomæ, aliud eſſe perfectionem ſtatus, aliud ſtatum aut gradum Hierarchicum; Et ſanctum Thomam gradum Hierarchicum multis tribuiſſe, vt Prælatis minori- *S. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 6. Ibid. ar. 5. & qu. 188. art. 4. ad 1.*

bus, Archidiaconis, Parochis, quibus tamen non tribuit ſtatus perfectionem: Multis rurſus perfectionem ſtatus, quibus tamen Hierarchicum gradum non conceſſit, multo minus Hierarchicum gradum Parochis & Prælatis minoribus altiorem, vt omnibus generatim Monachis & Religioſis, etiam laicis. Quamobrem imperitiſſimè peccas in doctrinam ſancti Thomæ, perfectionem ſtatus & Religioſi gradus, cum perfectione gradus Hierarchici confundens, quaſi ſanctus Thomas præponat religioſos Parochis in perfectione Hierarchici gradus, quia eos illis in perfectione ſtatus anteponit. *Quid obtendis ad fallendum, communis dogmatis tegmen*, vt *operias proprium crimen?* Hoc generatim reſponſo obiectio tua elidi poſſet, ſi generatim de doctrina ſancti Thomæ ageretur. Sed quia certum eius locum opponis, ad quem ſpeciatim reſponſio accommodanda eſt; Reſpondemus, eum locum multo adhuc grauiore vel imperitia, vel nequitia torqueri, & à propria ſede diuulſum, in aliam quæſtionis ſpeciem tranſuerti, à ſermone & cogitatione diui Thomæ eo loco remotiſſimam. Nam cùm diuus Thomas ibi ait, *Religiones quæ ordinantur ad docendum & prædicandum eſſe propinquiſſimas perfectioni Epiſcopali*, comparationem inſtituit, non inter eas Religiones & quoſuis alios ſtatus, aut ſtatum ſpeciatim ſeu officium Parochorum, de quibus eo loco nulla quæſtio, nec vlla mentio eſt; ſed inter eas & alia genera Religionum non inſtitutarum

ad docendum & prædicandum, quibus eas, quæ ad hoc genus operum inſtitutæ ſunt, anteponit, & iudicat perfectiores, quia *maius eſt illuminare quàm lucere ſolùm, contemplata alijs tradere, quàm ſolùm contemplari.* Hoc patet ad oculum ex ipſis verbis à Spongia allatis: *Sic ergo ſummum gradum* IN RELIGIONIBVS *tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquiſſimæ ſunt perfectioni Epiſcoporum.* Audin' eas *ſummum locum tenere, eſſe propinquiſſimas perfectioni Epiſcopali, in Religionibus*, non in gradibus Hierarchicis? Liquet hoc etiam ex ipſo articuli titulo: *Vtrum Religio quæ vacat vitæ contemplatiuæ, ſit potior ea quæ vacat operibus vitæ actiuæ.* Denique ex tota ſeriè loci citati: *Opus vitæ actiuæ, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, ſicut doctrina & prædicatio, præfertur ſimplici contemplationi: ſicut enim maius eſt illuminare quàm lucere ſolùm, ita maius eſt contemplata alijs tradere, quàm ſolùm contemplari, &c. Sic ergo ſummum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, quæ & propinquiſſimæ ſunt perfectioni Epiſcoporum, ſicut & in alijs rebus fines primorum coniunguntur principijs ſecundorum.* Quæ verba adeò planum faciunt ſanctum Thomam hìc agere de comparatione religionum inter ſe, non cum aliis vitæ generibus, & religiones ad prædicationem ordinatas anteferre duntaxat Religionibus ad ſolam contemplationem ordinatis, eo quòd ad ſtatum Epiſcopalem, qui omnium ſacrorum ſtatuum ſummus &

Digitized by Google

perfectiſſimus eſt, propiùs accedant, vt mirum ſit Ieſuitam in luce tam clara cæſpitare potuiſſe, vel potiùs imponere voluiſſe. Nam & aliunde conſtat ſanctum Thomam docuiſſe Parochos eſſe propiores, & ſimiliores Epiſcopis in iis quæ ad opus animarum pertinent, quàm Religioſos, vt

S.Th.2.2.q. 184. ar.8. ad 5. patet ex claris ipſius verbis: *Dicendum quod Preſbyteri Curati & Archidiaconi ſunt ſimiliores Epiſcopis in ijs quæ ad opus animarum pertinent, quàm religioſi quantum ad aliquid, ſcilicet quantum ad curam animarum, quam ſecundariò habent.*

Argumentum autem quod Spongia nectit ex verbis ſancti Thomæ, ſophiſticum & puerile eſt, & reſponſione indignum. Nam vno verbo reſpondetur, ſanctum Thomam propinquiſſimas feciſſe perfectioni Epiſcoporum religiones ad docendum inſtitutas, non abſolutè, non ſimpliciter, ſed in ſuo genere; non comparatione Parochorum & Prælatorum inferiorum, ſed comparatione Religionum ſoli contemplationi ſtudentium, & aliarum aliis operibus, vt militiæ, deditarum; eademque comparatione vocaſſe illas *ſecundas poſt perfectionem Epiſcopalem*, non autem comparatione perfectionis officij Parochialis. Vnde ex hoc loco ſancti Thomæ nequidem habetur religiones huiuſmodi habere quicquam perfectionis, aut præſtantiæ, quo Parochis antecellant. Pudet in his nugamentis ventilandis otium & chartem perdere: quæ tamen ſemel propalari debuerunt ad perpetuam iſtorum imperitiſſimæ & ſtolidiſſimæ

Digitized by Google

arrogantiæ confuſſionem.

Quod autem addit, ſanctum Thomam *non quidem Epiſcopum fuiſſe, ſed, quod coram Deo maius eſt, Archiepiſcopatus Neopolitani recuſatorem*, non ſolùm temeraria, ſed etiam captioſa laudatio eſt, qua ſpecie extollendi ſanctum Thomam, ſeipſum & Socios extollit, non iam ſupra Parochos, ſed ſupra Epiſcopos, & ſupra omnes qui dignitatibus Eccleſiaſticis admouentur; eo videlicet nomine, quod vouere ſoleant ſe nullas Eccleſiæ dignitates ſuſcepturos. Non enim hic primus tali ſermone vtitur: Eſt is familiaris Sociis, quoties occaſio incidit, vt de tali voto poſſint gloriari, & auditoribus ſuum illud innuere, *Non ſumus ſicut cæteri hominum*. Equidem Pater Binetus tanta inſolentia hac gloriatione & inſultatione, ſpecie ſimiliter collaudandi ſancti Thomæ, vſus eſt (à quo hunc etiam florem mutuatus eſt Spongiæ opifex) & vſus eſt non in mortales homines, ſed in cœlites beata æternitate fruentes, Eccleſiæ venerandos, & in ipſum nominatim ſanctum Carolum Borromæum, vt proteruas eius voces, ne quid offendiculi infirmioribus præbeant, ſilentio obrui præſtet, quò faciliùs perpetua obliuione deleantur. Errant verò grauiter vaniſſimi homines, & dum huiuſmodi iudiciis ſibi placent, Chriſtianam perfectionem per id quod deforis, non per id quod intus eſt, iudicantes, ad Iudaiſmum & Phariſaiſmum transfugiunt. Nemo dubitat quin S. Thomas Neapolitanum Archiepiſcopatum repu-

In libell. in ſcripto, François Fõtaine. pag. 42.

Digitized by Google

dians, magnum opus, & magni meriti ediderit: Sed nec cuiquam aſſerere licet ſine nota grauioris temeritatis, eum icc irco aliis omnibus qui eiuſmodi dignitates acceperint præferendum eſſe; aut maioris eſſe meriti, maioriſque apud Deum laudis, recuſationem quàm ſuſceptionem earum. Ita vt gloria & prærogatiua omnis quàm Ieſuitæ præ cæteris Religionibus hoc nomine captant, non niſi falſæ gloriæ titulo eis dari poſſit.

Quis enim diuum Thomam recuſantem Epiſcopatum præponat diuo Bonauenturæ Epiſcopatum & Cardinalatum; aut diuo Gregorio ipſum ſummum Pontificatum, accipientibus? Rectè vtrumque, malè vtrumque fieri poteſt, Authore ipſo diuo Thoma. Nec minor, imò maior in recuſando ambitio metuenda eſt, quàm in ſuſcipiendo. Recuſare enim maioris amplitudinis animi eſt iuxta hominum iudicium, ſpeciem habet illuſtriorem, laudabiliorem, minus vulgarem, ideóque periculoſiorem, fallaciorem, altiori ſuperbiæ viciniorem. Epiſcopatum igitur ſuſcipere verè vocante Deo, bonum & meritorium eſt; multóque interdum magis, quàm recuſare. Qui enim vocante Deo recuſat, non laudem meretur, ſed probrum, Deum offendit, derelictæ vocationis reus eſt. Idemque iudicium fieri debet de toto externo Religionis habitu, & de omnibus generatim externis rebus, ad quas nemo rectè adiicit animum, niſi vocante Deo, & diuinæ gratiæ impulſu feratur. Ita is quem Deus non ad Reli-

D. Th. 2. 2. qu. 185. ar. 1. & 2. vbi multa ex Auguſt. & aliis P. P.

gioſum vitæ genus, ſed ad aliud inſtitutum vocat, æquè mereri & placere poterit Deo, quàm is qui ad vitam Monaſticam vocatus eſt. Imò ſi adeò non vocatus, ſi ſpiritu ſuo, non Spiritu ſancto duce ad Religioſa vota ſe conferat, malè facit, grauiter labitur, magnum ſalutis æternæ periculum adit, vt Religioſi etiam non pauci purioris & ſincerioris animi confitentur. Sed hæc alibi commodiùs agentur. Nam doctrinam hanc veram, ſolidam, Chriſtianam, iure Moliniſtarum oculis eripuit vindex Deus, quia gratiam Dei obſcurantes, Chriſti regnum & Chriſtianæ Religionis altitudinem ad humani iudicij, & rationis mortalis anguſtias redegerunt.

SPONGIA.

Ex his nimirum patet propoſitioni Authoris nihil temeritatis, erroris, aut præſumptionis ineſſe. Vt autem quid Theologicè in hac quæſtione verius ſit, decidatur, notanda eſt diſtinctio Hierarchiæ, quæ lucem huic queſtioni affert, à Gerſone Sorbonæ principe tradita, quam propterea noſtri Magiſtri non reijcient, his verbis: In Angelica Hierarchia, *inquit*, licet quilibet Angelus ſit immediatè formatus à Deo, nihilominus quoad exercitium actuum Hierarchicorum, qui ſunt purgare, illuminare, perficere, tres primi Ordines Hierarchizant, non Hierarchizati ab aliis; tres medij, Hierarchizantur & Hierarchizant; tres infimi Hierarchizantur, & non alios

De pot. Eccl. conſid. 9. in fin. tom. 1. col 125.

Angelos Hierarchizant. Papalis autem authoritas cum Cardinalibus imitatur primam; alteram verò mediam imitatur Patriarchalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, & Sacerdotalis authoritas in habentibus ſubiectos ſibi; quod dicitur propter Curatos, vel etiam ſolos Titulares Epiſcopos carentes plebe. Vltimi ſunt inſtar tertiæ Hierarchiæ, qui Hierarchizantur in Eccleſia, ſed non alios authoritatiue Hierarchizant, quemadmodum ſunt populi & ſimplices Religioſi ſecundùm Dionyſium. *Hæc Gerſon. Qua diſtinctione ſuppoſita duas conſtituo concluſiones.*

Responsio.

Grauiſſimè erras, ſi putes Gerſonem hoc loco veram Eccleſiaſticæ Hierarchiæ naturam, veros eius fines, latitudinem, proprietatem, deſcribere. Toto, inquam, cœlo erras; Neque mirum, ſi quicquid poſtmodùm tam inani fundamento ſuperſtruis, labat, & tenuiſſima impulſione deiicitur. Quamquam nonnulla tibi venia danda eſt, qui Gerſonis locum non à te proferas, ſed à Sociis qui appendicem ad librum pſeudo-Smithæi aſſuerunt, eum ſumpſeris tuo iure; quia ſi amicorum omnia communia ſunt, multo magis fratrum, multo magis coniuratorum, vt eſtis. Stupendum verò eſt, tantam tot ſociorum, qui ſe humanæ ſcientiæ velut columnas ſtatuerunt, factionem, non ſolùm in eandem arrogantiam, ſed etiam in eandem ignorantiam conſpiraſſe. Nam veram Hierar-

Hierarchiæ naturam, & amplitudinem non hîc definiri à Gerſone, vel ex eo manifeſtum eſt, quia nec Diaconos, nec Miniſtros vllos inferiores annumerat: quos tamen ad Hierarchiam pertinere nemo adhuc fuit qui negare aut dubitare ſit auſus, cùm ſit certiſſima Catholica veritas, nuper etiam à Concilio Tridentino ſancita. Imò verò nec annumerat, ſed apertè excipit ab ordine Hierarchizantium Parochos, & Epiſcopos carentes plebe, adeóque quoſuis ſimplices Sacerdotes: quos ſtupidum eſt cogitare ab ipſo in eundem cum plebe ordinem, & in gregem laicorum eſſe detruſos. Hinc euidentiſſimè perſpicitur, ordinem, quem Gerſon eo loco contexuit, non eſſe ordinem Hierarchicum proprium & adæquatum: de quo etiam nulla ibi nec mentio, nec quæſtio erat. Pertexit igitur Gerſon eorum ordinem, qui poteſtatem Eccleſiaſticam ordinariam in Hierarchia obtinent, ſiue, vt loquitur, qui alios *authoritatiuè Hierarchizant;* & Eccleſiaſticæ poteſtatis influxum ordinarium; à primario capite per omnes deinceps inferiorum capitum gradus, ad infima membra, & ad ipſas, vt ſic loquar, veſtimenti Chriſti oras manantem exponit. Diſputat enim de ſtabilitate & amplitudine Eccleſiaſticæ poteſtatis; & probat admodum aptè vnicam per totum orbem conſtitutam eſſe Eccleſiaſticam poteſtatem, potiuſquam Monarchiam vnam, ciuilémque poteſtatem generalem; quia Eccleſiæ poteſtas, cùm ſit ſpiritualis, faciliùs quaquauerſus dif-

fundi poteſt, quàm gladius materialis ciuilium poteſtatum, explicat deinceps ordines & gradus, quibus Eccleſiaſtica illa poteſtas, per eos, quibus ordinario & ſtabili iure commiſſa eſt, à primo vſque capite ad infima Eccleſiæ membra defluit. Quem defluxum variis ſimilitudinibus explanat, tum ſolis qui lucem aliunde non hauriens, eam aliis corporibus infundit, quæ viciſſim eam in alia traiiciunt, donec ad vltima illuminata & non illuminantia decurratur; tum præcipuè Angelicarum Hierarchiarum, quarum aliæ alias illuminant, donec ad vltimam Hierarchiam Angelicam deuenias, quæ ſic ab Angelis ſuperioribus illuminetur, vt nullos Angelos illuminet. Atque huic vltimæ Hierarchiæ eos qui in Eccleſia Hierarchizantur, nec alios Hierarchizant, vt populos & ſimplices Religioſos, aſſimilat, non in eo quidem quòd vltima Angelorum Hierarchia vera Hierarchia Angelica eſt, vt infra demonſtrabimus; non enim ait Gerſon populum Catholicum & laicam multitudinem eſſe ſimiliter veram Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſed in eo tantùm eos comparat, quod ſicut vltima Angelorum Hierarchia ab aliis Angelis illuminatur, nec alios Angelos illuminat, ſic populus in Eccleſia illuminetur, nec illuminet. Nam nec primus ordo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſeu Hierarchizantium tantum; nec ſecundus, ſeu Hierarchizantium & Hierarchizatorum, provt à Gerſone deſcribuntur, omni ex parte congruunt cum prima & ſecunda Hierarchia

Digitized by Google

Angelorum, vt per ſe manifeſtum eſt. Nec hoc ad Gerſonis inſtitutum opus fuit, dummodò aliqua ad eius propoſitum ſimilitudo inter eos reperiretur. Vnde ſignanter addidit, *vltimi ſunt* INSTAR *tertiæ Hierarchiæ;* & anteà, *Papalis authoritas* SVO MODO *cum Cardinalibus imitatur primam Hierarchiam;* vt oſtenderet ſe in iis aliquam ſimilitudinem ſuo ſolùm propoſito conſonam intueri: etſi Spongia, ſolita fide, voces illas, *ſuo modo*, eraſerit, vt faciliùs Gerſonis comparatione ad quidlibet eluderet. Gerſonis autem ſcopus fuit eo loco is quem diximus, declarare nimirum, vnicam per totum orbem Eccleſiaſticam poteſtatem à Deo rectè conſtitutam fuiſſe, potius quàm vnam politicam Monarchiam generalem; & ſpiritualis Eccleſiæ poteſtatis in omnes homines diffuſionem ſtabilem & ordinariam per ordinaria & ſtabilia eius capita exponere. Ideóque ab ordine Hierarchizantium excluſit miniſtros, Sacerdotes, atque ideò Epiſcopos plebe carentes; non quod verè non habeant Hierarchizandi poteſtatem; ſed quia ordinariam non habent, de qua ſola illi ſermo erat, vt poteſtatis Eccleſiaſticæ ordinariam, ſtabilémque ac certam in omnia membra extenſionem, per ordinaria ſolùm & perpetua eius capita explicaret. Quare cùm Ieſuita turpiter, & imperitè errauerit in fundamento, quod ſuis deinceps erroribus è Gerſone ſupponit, non mirum eſt ſequentia corollaria vndique vitium facere, & imperitia, confuſione animi, præcipiti leuita-

tate, quaſi natiuo quodam turbine, conquaſſari.

SPONGIA.

Qua diſtinctione ſuppoſita, duas conſtituo concluſiones. Prima eſt, Regulares quâ Regulares, ſeu ſimplices Religioſi, ſimpliciter & abſolutè eſſe de Hierarchia Eccleſiæ. Patet, quia non ſolùm qui ſunt de Hierarchia Hierarchizante, ſed etiam qui de Hierarchia Hierarchizata, dicendi ſunt ſimpliciter de Hierarchia. Da oppoſitum; Jam tres infimi ordines Beatorum Spirituum, Principatus, Archangeli, Angeli, non erunt ſimpliciter cæleſtis Hierarchiæ; Hierarchizantur enim, vt ait Gerſon, & non alios Angelos Hierarchizant: ſed Religioſi etiam ſimplices ſunt de Hierarchia Eccleſiæ Hierarchizata; igitur ſimpliciter & abſolutè dicendi ſunt de Hierarchia Eccleſiæ.

RESPONSIO.

Egregiè argumentareris, ſi quemadmodum Spongia loqueris, ita Spongias aduerſarias haberes: Theologi enim & tuam inſcitiam admirantur, & amplius inſulſitatem, qua tibi ſapere, & belle argumentari videris. Tua concluſio quacumque ex parte conſideres, omnimodis cumulata eſt vitioſitatibus & ineptiis.

Vt à vanitate, quam continet, incipiam, quid minus conſentaneum præcellentiæ quam Regularibus vendicas, quàm illos ea ratione, & eo no-

mine in Hierarchiam intromittere, qua quibuſuis hominibus, etiam vulgo infimo, in eam aditus perinde pandatur? Hæc vanitas adeò ieiuna & inanis eſt, vt dum ſe adſtruit, ſe deſtruat, & ſuo pondere opprimatur. De qua peruerſitate, & diuino in eam iudicio, aliquid iam ante dictum eſt, ne eadem iteremus. Quamquam tanta eſt abſurditas opinionis nouitiæ, & commenti inauditi, quo tota fidelium vniuerſitas in Hierarchiam Eccleſiæ contruditur, quia ſcilicet aliter nulla ratio ſupereſt, qua Regulares vt Regulares, ſeu ſimplices Religioſi, ad eam euehantur; vt nihil in eam nimis iteratum atque inculcatum videri debeat. Quis vnquam enim, antequam Ieſuitici Doctores erupiſſent, audierat vel cogitauerat idem eſſe Eccleſiam & Hierarchiam, in Eccleſia & in Hierarchia verſari; & quicumque Hierarchiæ effectuum participes fiunt, ſeu Hierarchizantur, eos Hierarchiam ipſam poſſidere? Quod equidem non minoris ſtoliditatis eſt, quàm ſi dicas idem eſſe diuinitatis effectus percipere, & diuinitatem poſſidere; eſſe in genere creaturarum, & eſſe in genere diuino, ſeu in θεαρχίᾳ, vt Dionyſius loquitur. Denique idem eſſe ſubeſſe principatui, ſeu eius operationes excipere, & eſſe principatus participem, ſeu potiri principatu, ſeu in ordine regio ac principali verſari. Hæc enim fateri prius neceſſe eſt quàm concludere liceat omnes qui Hierarchizantur in Eccleſia, Hierarchiam ipſam Eccleſiæ poſſidere, & in Hierarchiam referendos. *Cæl. Hier. cap. 3 &c.*

Nec verò leuis hæc neſcio quæ diſputatio, aut mera de nomine & vocula litigatio habenda eſt. Nam ſi Ieſuitæ nihil cuperent, niſi ſe eſſe in Eccleſia Hierarchicorum effectuum participes, ſeu ab Hierarchia Eccleſiaſtica Hierarchizari, ſicut totam fidelium multitudinem; nulla diſputatio ſupereſſet, quia nemo eis locum iſtum negat: Rem eis libenter concedimus: id quod Hierarchiæ nomine ſe velle ſimulant, vltrò damus. Cùm ergo nihilominus de nomine dimicent; cùm illud tanto contentionis impetu rapiant; ſatis docent ſe captioſo pugnæ genere velitari; aliò ſpectare quàm prædicant; plura petere quàm profitentur. Prius enim nominis poſſeſſionem adire, & firmam facere volunt: Vbi in nominis poſſeſſione conſtiterint, tum veram nominis ſignificationem, quam nunc diſſimulant, repetent; Hierarchiæ rem, veram vim & naturam eius, Hierarchiæ nomini deberi clamabunt. Habet enim gradus ambitio, quibus ad id quod repentè totum aſſequi non poteſt, ſenſim ac per partes adnitatur. Non ergo de ſolo nomine pugnamus, cùm eos Hierarchici nominis ſocietate depellimus; ſed Hierarchiæ fines, quos Deus poſuit, Eccleſia docuit, SS. Patres tradidere, immotos tuemur. Atque hoc eo impenſiùs nunc fieri debet, quod communio iſta Hierarchici nominis, quam ſolam ſe petere aiunt, hoc tempore nouella eſt, & ea ſignificatione Hierarchiæ nititur, quam Theologorum omnium nullus adhuc compro-

Digitized by Google

bauit. Quantumcumque enim quærant, non dabunt vllius nominis Theologum non Ieſuitam, qui Eccleſiam & Hierarchiam ſcripſerit idem eſſe, neque adhuc quantumcumque conati ſint, vllum reperire potuerunt, vt magis declarabitur. Nunc igitur recens ac tenera figmenti nouitas tempeſtiuè premenda eſt; ne ſi inueterauerit, conualeſcat, & aliquid colligat authoritatis, quo eius oppugnatio aduerſus ceruicoſum & peruicax hominum genus durior & moleſtior efficiatur. *Vid. append. ad pſeudo-smith.*

Nam quod Spongia, velut Authore Gerſone, Hierarchiam diuidit in *Hierarchizantem*, & *Hierarchizatam*, fallitur grauiter, & magis præſumptas ſuas opiniones, quàm Gerſonis doctrinam reſpicit. Nuſquam enim Gerſon iſto modo locutus eſt; nuſquam apud eum reperietur *Hierarchiæ Hierarchizatæ* nomen. Quæ vox ita inſolens & inuſitata eſt, vt ante hoc tempus non ſit audita: pergant feliciter boni Theologi *profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ* ſuarum mentium fœcunditate profundere, ne quid iis ad perpetuam cum hæreticorum artificiis ſimilitudinem deſit. Docet quidem Gerſon alios eſſe in Eccleſia qui Hierarchizent, alios qui Hierarchizentur, ſeu alios Hierarchizantes, alios Hierarchizatos. Quæ locutio, etſi non adeò trita & vulgaris videatur, tamen Theologica eſt, & à diuo Dionyſio primo harum, quod conſtet, vocum Authore manauit. Eſt enim apud Dionyſium crebra mentio τῶν τελουμένων, ſeu, ἱεραρχουμένων,

Digitized by Google

quaſi dicas *initiantium*, ſeu *Hierarchizantium*, & τῶν τελουμένων, ſeu ἱεραρχουμένων, *initiatorum*, ſeu *Hierarchizatorum*. Sed *Hierarchiæ Hierarchizatæ* nomen, quaſi ij qui Hierarchizantur ſuam ſeorſum conſtituant Hierarchiam, ſicut ij qui Hierarchizant, nuſquam dabunt apud Dionyſium, nec apud Gerſonem, nec apud Authorem idoneum, boni patres. Fictitium eſt, chimæricum eſt, ad noui erroris nouitatem, noui nominis fraude velandam, fabrefactum eſt.

Argutia verò, qua cauillationem iſtam tuentur, ex ignorantia ridicula pullulauit, quòd nec Hierarchiæ naturam generatim, nec ſpeciatim Hierarchiæ Angelicæ, neque verò Eccleſiaſticæ, vim & proprietatem norint. Nam antè omnia, ſi putent fas eſſe argumentari à tertio choro Angelorum, ad totam multitudinem fidelis populi & ſimplicium Religioſorum, itavt ſimplices Religioſi, & multitudo fidelis populi ad Hierarchiam Eccleſiaſticam eodem modo pertineat, quo tertius chorus Angelorum ad Hierarchiam Angelicam pertinet; videant quæſo quò ſe committant; non enim profectò vident, ſed cæcis animis, defenſionis ardore, ſolius gloriæ ſuæ quauis ratione retinendæ auidi, quidlibet ſine diſcrimine arripiunt, ſub quo ſe latere poſſe arbitrentur. Nam ſi Angelorum tertius ordo eodem modo eſt in Hierarchia Angelica, quo ſimplices Religioſi & tota multitudo fidelium à Spongia in Eccleſiaſtica Hierarchia ponuntur, ſequitur tertium illum

Angelorum

Digitized by Google

Angelorum ordinem non eſſe ordinem Hierarchizantium, ſed tantùm Hierarchizatorum; adeóque tertiam Hierarchiam Angelicam non eſſe eiuſdem rationis Hierarchiam, vt prima & ſecunda Hierarchia, quæ ſunt Hierarchiæ Hierarchizantium, non tantum Hierarchizatorum. Atque ita non ſolùm in Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſed etiam in Angelicam fœda Hierarchiarum confuſio & æquiuocatio inducitur, vt tertia Angelorum pars non ſit intra Hierarchiam Angelicam eodem ſenſu, & eadem vocis proprietate, qua duæ ſuperiores partes Angelorum. Quod inauditum apud Theologos, & apud Dionyſium Hierarchiarum Angelicarum & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ accuratiſſimum & ſublimiſſimum indagatorem, Ieſuiticis tantùm Doctoribus nunc primùm poſt tot æuorum ſpatia reuelatum erit, ſi id fateri audeant. Sed profectò non audebunt, ſi quid eis pudoris ſupereſt, ne Theologis omnibus inuiſi, audiant, provt merentur, Theologicarum veritatum, & rerum omnium, tum humanarum, tum diuiniſſimarum, æquiuocorum confuſione turbatores.

Cæterùm non difficile probatu eſt, tertiam Hierarchiam Angelicam, non in Hierarchizatorum tantum, ſed etiam in Hierarchizantium numerum reponendam eſſe, etiamſi nullos penitùs Angelos Hierarchizaret, ſeu Hierarchicis operationibus afficeret. Hoc enim innuit ipſe Gerſon loco citato, dum ait, *tres infimi Hierarchizantur,*

& non alios Angelos hierarchiZant. Signanter expreſſit, *alios Angelos,* vt innueret infimos illos ordines Angelicæ Hierarchiæ non ſimpliciter ab Hierarchizantibus eximendos eſſe, ſed ab Hierarchizantibus duntaxat *alios Angelos*, quaſi etſi non comparatione Angelorum, tamen comparatione hominum ſint Hierarchizantes, & Hierarchicas functiones Angelicas exequantur. Id clarius docet ſanctus Thomas: [a] *Inferior Angelus eſt ſuperior ſupremo homine noſtræ Hierarchiæ. Vnde minor Angelus cœleſtis Hierarchiæ poteſt non ſolùm purgare, ſed illuminare, & perficere, & altiori modo quàm ordines noſtræ Hierarchiæ.* Ac multo antè ſanctus Dionyſius, quo ſanctus Thomas Doctore vſus eſt: *Exiſtimandum* [b] *eſt ordinem Principatuum, Archangelorum, & Angelorum, humanis Hierarchijs alium per alium præſidere.* Et infrà: [c] *Scriptura Hierarchiam noſtram* (hoc eſt nobis præſidentem) *Angelis tribuit, Michaëlem Judaici populi principem nominans, & alios gentium aliarum.* Denique omnia de tribus Hierarchiis Angelicis à ſe diſputata ſummatim colligens, ita loquitur: [d] *Primaria claſſis earum mentium, quæ circa Deum verſantur, ipſius diuinitatis luce purgatur, illuminatur, perficitur. Ab hac rurſus pro ſuo captu ſecunda; à ſecunda tertia; à tertia, Hierarchia noſtra.* Quam ob cauſam infimorum Angelorum Hierarchiam,

a S. Th. 1. p. q. 108. ar. 2. ad 3.

b τὴν δὲ τῶν Ἀρχῶν καὶ Ἀρχαγγέλων, καὶ Ἀγγέλων, ἐκφαντορικὴν διακόσμησιν ταῖς ἀνθρωπίναις ἱεραρχίαις δι' ἀλλήλων ἐπιστατεῖν οἰητέον. S. Dion. Cæl. Hier. c. 9

c Et infrà: Ἔνθεν ἡ θεολογία τὴν καθ' ἡμᾶς ἀγγέλοις ἀπονενέμηκεν, ἄρχοντα τοῦ Ἰουδαϊκοῦ λαοῦ τὸν Μιχαὴλ ὀνομάζουσα, καὶ ἄλλους ἐθνῶν ἑτέρων.

d Ἡ μὲν πρεσβυτάτη τῶν περὶ θεὸν νοῶν διακόσμησις ὑπὸ τῆς θεαρχίας φωτοδοσίας καθαίρεται, καὶ φωτίζεται, καὶ τελεσιουργεῖται· Πρὸς ταύτης δὲ πάλιν ἀναλόγως ἡ δευτέρα, καὶ πρὸς τῆς δευτέρας ἡ τρίτη, καὶ πρὸς τῆς τρίτης ἡ καθ' ἡμᾶς, ἱεραρχία. Ibid. cap. 10.

a *Dilucidiorem* vocat, & *mundo quodammodo magis obuerſantem.* Quia videlicet lucem habeat minus arcanam & reconditam, ſeu vt loqui ſolet, κρυφιώδη, quàm Hierarchiæ ſuperiores longius ab humano captu circa Deum ſubuolantes, atque adeò planiorem, apertiorem, mundo humanæque intelligentiæ viciniorem. Itaque infima Hierarchia Angelorum, verè Hierarchizat, nec tantum Hierarchizatur; & Hierarchizat ſaltem homines humanamque Hierarchiam, ſi minus Angelos, de quibus nunc diſputare non neceſſe eſt, quamuis facilè dici poſſet ipſis Dionyſij verbis: b *Omnem Hierarchiam in primas, medias & vltimas poteſtates eſſe diuiſam. Eandem diuiſionem in ſingulis Hierarchiarum cœleſtium ordinibus reperiri. Ideò Theologos dixiſſe diuiniſſimos ipſos Seraphinos, alterum ad alterum clamare, manifeſtè per hoc declarantes, quod primi ſecundis diuinas cognitiones transfundant.* Vnde ſequitur non ſolùm Archangelos à Principatibus, Angelos ab Archangelis purgari, illuminari, perfici, ſeu Hierarchizari, ſed etiam inferiores quoſque Angelos à ſuperioribus Angelis, ſicut inferiores Seraphinos, à ſuperioribus Seraphinis. Sed quia tandem ad vltimos Angelos deueniendum eſt qui ab aliis Angelis proximè illuminati, alios viciſſim Angelos non illuminent; Dicendum eſt cum Dionyſio, totam infimam Angelorum Hierarchiam verſari circa humanam ſeu Eccleſiaſticam Hierarchiam, in eamque Angelicæ ſuæ Hierarchiæ functiones expromere: Atque id toti in-

a Περὶ δ' ἐμφανέστερον αὐτοῖς (Ἀγγέλοις) ἐστὶν ἡ ἱεραρχία, καὶ μᾶλλον περικόσμιος. *Ib. cap. 9.*

b Πᾶσαν ἱεραρχίαν ἑώρων εἰς πρώτας, καὶ μέσας, καὶ τελευταίας δυνάμεις διῃρημένην· Ἀλλὰ καὶ αὐτὴν ἑκάστην, ἰδικῶς εἰπεῖν, διακόσμησιν, ταῖς αὐταῖς ἐνθέοις ἁρμονίαις διέκρινε. Διὸ καὶ αὐτοὺς τοὺς θειοτάτους Σεραφὶμ οἱ θεολόγοι φασὶν, ἕτερον πρὸς τὸ ἕτερον κεκραγέναι, σαφῶς ἐν τούτῳ, καθάπερ οἶμαι, δηλοῦντες, ὅτι τῶν θεολογικῶν γνώσεων οἱ πρῶτοι τοῖς δευτέροις μεταδιδόασι. *Idem ibid. cap. 10.*

ſimæ Hierarchiæ eſſe commune; quamuis aliqui ſpeciatim illius ordines, vt principatus & Archangeli, & ſuperiores Angeli, etiam Angelos inferiores Hierarchizent. Atque ita non ſolùm infima illa Hierarchia, ſed etiam ſinguli in ea Angeli, verè ſunt in Hierarchia Angelica, non vt Hierarchizati tantùm, ſed vt Hierarchizantes. Eatenus enim quiſque intrà aliquam Hierarchiam eſt, quatenus in eà Hierarchizat; nemo autem quatenus Hierarchizatur.

Neque exiſtimandum eſt infimam hanc Angelorum Hierarchiam minus eſſe Angelicam Hierarchiam quàm aliæ ſuperiores, quia non in ſolos Angelos, vt illæ, ſed etiam in homines extra Hierarchiam Angelicam ſepoſitos operatur. Quia etſi rectè inde ſequitur Hierarchiam iſtam eſſe minus perfectam quàm ſint priores Hierarchiæ Angelicæ; non tamen colligi poteſt, non eſſe veram Angelicam Hierarchiam. Nam Hierarchia, vim ſonat & poteſtatem in alios exercendam. Poteſtas autem quam illi Angeli exerunt in homines, Angelica eſt, & omni humano ordine ſublimior, vt rectè ſanctus Thomas: nec ideò humana, vel Angelis minor habenda eſt, quia circa homines verſatur, ſicut diuina poteſtas non ideò minus diuina eſt, quia ad homines, & viliſſimas quaſque res altiſſima ſua maieſtate perlabitur. Sic primam Seraphinorum, Cherubinorum, & Thronorum Hierarchiam dicimus, etſi ad ſecundam referatur, in eamque Hierarchicas functiones exerceat. Sic

ſecunda tertiam reſpicit, nec ideò minor habetur, quia vim ſuam in ſubditos ſe minores confert. Sicut nec ideò princeps non altior eſt ſubiectis ſibi populis, quia populi ſunt ipſo minores; imò ideo maior & altior eſt, quia ſe vilioribus imperat. Et vt hæc res Hierarchiæ noſtræ comparatione planior fiat, certum eſt miniſtros inferiores, Diaconos, alioſque, eſſe in Hierarchia Eccleſiaſtica, & eſſe in ea iure diuino, vt etiam Concilium Tridentinum declarauit. Qui tamen olim functiones ſuas Hierarchicas non niſi erga homines extra Eccleſiam poſitos exercebant. Nam purgatio, Hierarchicarum actionum tertia, quam Dionyſius, & ex eo omnes Theologi, miniſtris inferioribus aſſignarunt, in nullos fiebat intra Eccleſiæ corpus conſtitutos, ſed in Catechumenos, Pœnitentes, Energumenos, quos extra Eccleſiæ communionem fuiſſe, nec fidelium membrorumque Eccleſiæ numero comprehenſos, norunt omnes quibus veteris Eccleſiæ diſciplina nota eſt. Nam de Catechumenis nemo, opinor, negabit: De Pœnitentibus, Patrum & Conciliorum conſenſu alibi probabitur, nec difficilis probatio foret, niſi longitudinem non neceſſariam fugeremus. De Energumenis denique clari ſunt Conciliorum Canones, & Patrum teſtimonia: Conciliorum, inquam, & Patrum antiquiorum. Nam remittente ſenſim Eccleſiæ diſciplina, cum iis mitiùs agi cœpiſſe notum eſt. Quæ ſi Moliniſtis noua videantur; ſciant adeò eſſe vetera, vt ſolis iis,

Concil. Trid. ſeſſ. 23. ca. 6.

S. Dion. Ecc. Hier. c. 5.

S. Dion. Ecc. Hierar. c. 3. ſect. 2.

vid. Cypr. ep 52. & 54. & alibi paſſim.

Concil. Elib. cap. 29.

Cōc. Arauſ. 1. c. 14.

Digitized by Google

qui noua quærunt, vetera neſciunt, ipſa vetuſtate ſint noua.

Sicut igitur infimi Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus verè ſunt in Eccleſiaſtica hierarchia, & veri Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordines hierarchizantes, etiamſi neminem intra hierarchiam Eccleſiaſticam, neque adeò intra Eccleſiam ſitum hierarchizent: ſimiliter infimi tertiæ hierarchiæ cæleſtis Angeli, verè in hierarchia Angelica ſunt, veri ſunt hierarchiæ Angelicæ miniſtri & Hierarchizantes, quamuis nullum Hierarchiæ Angelicæ membrum, nullum Angelum, ſed ſolos homines extra Hierarchiam naturámque Angelicam, in ordinem longè inferiorem deiectos, Hierarchizent. In quo mira vtriuſque Hierarchiæ proportio & congruentia elucet, Hierarchiæ noſtræ ordinibus & operationibus, Hierarchiæ Angelicæ ordines & operationes tanta ſimilitudine referentibus. Ac patet infimos Hierarchiæ Angelicæ gradus, non cum generali fidelis populi multitudine quoad rationem Hierarchicam conferendos fuiſſe, vt indoctè contulit Spongia; ſed cum infimis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradibus, qui eis tam parili analogia reſpondent.

SPONGIA.

Hæc eſt ſententia ſancti Dionyſij, cuius authoritas hac ex parte cæteris omnibus præfertur. Is cap. 3. cæleſtis Hierarchiæ dicit, Ad rationem Hierarchiæ

Digitized by Google

pertinere non ſolùm purgare, ſed etiam purgari, non ſolùm illuminare, ſed illuminari, non ſolùm perficere, ſed perfici. *Quid hoc aliud eſt, quàm perſonas non ſolùm Hierarchizantes, ſed etiam Hierarchizatas de Hierarchia eſſe, & ad eam eſſentialiter pertinere? Et cap. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ:* Qui Hierarchiam dixerit, omnium ſimul ſacrorum dixerit diſpoſitionem ſeu ordinationem. *Et cap. 5. dicit Eccleſiaſticam Hierarchiam trifariam diuidi*, in ſacra, quæ à Pontificibus exercentur; in miniſtros, & in eos qui initiantur. *Denique dicit* tertiam Hierarchiam, *ſeu Hierarchiam Hierarchizatam, in tres ordines diuidi*, horum qui purgantur, horum qui illuminantur, horum qui perficiuntur. *In hac autem Hierarchia ſupremos eſſe Monachos.* Omnium, *inquit*, ordinum qui initiantur, aut perficiuntur, ſupremus eſt ordo Monachorum ſacer, vt pote omni piaculo expiatus, quantum vires ferre poſſint. *Alia poſſent adduci innumera ex S. Thoma, S. Bonauentura, & alijs Theologis, quæ breuitatis cauſa omitto. Hæc ſatis ſupérque demonſtrant perſonas Hierarchizatas eſſe ſimpliciter de Hierarchia, & inter has perſonas Monachos altiſſimum tenere locum, vt ineptiſſimum fuerit, Propoſitionem*, Regulares eſſe de Hierarchia, tanquam abſolutè falſam damnare.

Responsio.

Prætereo retritam toties ineptiam, qua poſt-

Digitized by Google

quam tueri aggreſſus es propoſitionem ſupra damnatam, Religioſos Parochis in Hierarchia præferentem, idque textu Apoſtoli ridiculè comprobantem, argumenti tui concluſionem tam longè à propoſito abſtrahis, vt mirè concludas *ineptiſſimum fuiſſe, Propoſitionem, Regulares eſſe de Hierarchia, tanquam abſolutè falſam damnare.* Hoc propriè delirare eſt, ſi verbi Latini notionem tenes; ſi non tenes, Spongiam agere. Hanc enim perſonam haud paulò meliùs quàm Theologi tueri natus es. Sed vlcus hoc ſatis ſuperiùs refricatum eſt.

Ad Dionyſij præſidium confugis, eumque in partes trahis tuas. Sed quàm diuiniſſimæ illius Aquilæ volatibus tu impar es! Quàm difficilè illius πετεινοῦ τοῦ οὐρανοῦ ſublimitatem Spongia, vtcumque leuis, aſſequatur! Nam vt ſola præſcriptione, ſine vllis Dionyſij verbis, ſolo te tuorum teſtimonio iugulemus; illi ipſi Socij tui, tuæ cauſæ gregales, appendicis ad pſeudo-Smithæum textores, quamuis non neſcirent magnum ſuæ doctrinæ pondus acceſſurum, ſi diui Dionyſij præcipui primique Hierarchiarum tractatoris authoritas ad eam aggregaretur, tamen clariſſimæ veritatis ipſo ſplendore coacti confeſſi ſunt ſanctum Dionyſium Monachos ab Hierarchia Eccleſiaſtica excluſiſſe, nec ſolùm Monachos, ſed etiam, vt de ſuo addunt, Subdiaconos & Miniſtros inferiores, ſoloſque in eam concluſiſſe Hierarchiæ & Eccleſiæ principes, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos.

Appen n 11 pag. 260.

nos. Confirmant hanc opinionem authoritate Cardinalis Bellarmini; qui eam verè docuit *lib. 1. de Cler. cap. 11.* compulſus quodam hæreticorum argumento, quod aliter retundi potuit. De qua opinione ne quid hoc loco dicamus, quamuis conſtet non eſſe vndique veram, & alibi latè oſtenſuri ſimus, tum male negari Subdiaconos & Clericos inferiores intra Hierarchiæ fines à ſancto Dionyſio comprehendi; tum malè aſſeri, Subdiaconos & quoſlibet Preſbyteros, aut à Dionyſio, aut ab vllo veterum dictos eſſe Eccleſiæ principes, quemadmodum ex omnium argumentorum, ſanè leuium, à Bellarmino prolatorum, diſſolutione clareſcet; vt hæc, inquam, omittamus, ſatis eſt in præſens conſtare ſcriptorum Ieſuitarum conſentientibus teſtimoniis, Monachos à ſancto Dionyſio Hierarchiæ Eccleſiaſticæ finibus pulſos eſſe. Quod vnum eos verè ſenſiſſe non dubium eſt. Accedat eódem Petrus Lanſſelius Belga eiuſdem Societatis, Dionyſij Latinorum interpretum poſtremus, qui præfatione ſua apertè item agnoſcit, Monachos à Dionyſio extra Hierarchiam ſecluſos, *in numero laicorum locari, ad adyti ianuam ſiſti.* Idem diu antè notauerat interpres eiuſdem Dionyſij Gallicus, tunc Monachorum Fulienſium Lutetiæ Prior, poſtea eorundem Generalis, quem Appendicis pſeudo-Smithæi ſcriptores vocant *ſancti Dionyſij interpretem Gallicum, multorum teſtimonio laudatum.* *Appen. n. 11 pag. 258.*

Quæ omnia magno ad Spongię falſitatem prę-

iudicio eſſe debent, tot videlicet Theologos, Dionyſij ex profeſſo commentatores & interpretes, Socios eius, quorum etiam aliqui in eadem cum ipſo ſunt cauſa, & eandem in Facultatem Pariſienſem pro Ieſuiticis erroribus pugnam pugnant, tanto antè vno conſenſu ſtatuiſſe Monachos à ſancto Dionyſio in Hierarchiam non recenſeri. Quorum teſtium, minimè ſuſpectorum, amicorum, gregalium Spongiæ, teſtimoniis, & ſequenti ſermone noſtro apertè declarabitur, Spongiam nec Dionyſij opera legiſſe, nec iis legendis eſſe parem.

Si enim legiſſet, aut ſi ea ipſa quæ citat fruſtula percipere potuiſſet, noſſet Dionyſium ſcripſiſſe, [a] *Eum qui Hierarchiam dicit, ſacrum quendam ordinem generatim dicere, diuinæ pulchritudinis imaginem, diſpoſitionibus & ſcientijs Hierarchicis reuelata ſibi myſteria operantem, & ad ſui principij ſimilitudinem, quantum fas eſt ſe comparantem.* [b] *Omnium qui Hierarchiam ſortiti ſunt propriam perfectionem in eo eſſe, vt ad Dei imitationem quantum poſſunt, ſe efferant, & Dei, vt Scriptura loquitur, adiutores ſeu cooperatores efficiantur, & diuinam operationem in ſe quantum licet relucentem exhibeant.* [c] *Vnumquemque Hierarchiæ ordinem pro ſuo modulo attolli ad diuinam cooperationem, ea perficiendo gratiâ & conceſſa diuinitus poteſtate, quæ in Deo naturaliter & ſupernatura-*

a Ὁ λέγων ἱεραρχίαν, ἱεράν τινα καθόλου διακόσμησιν δηλοῖ, εἰκόνα τῆς θεαρχικῆς ὡραιότητος, ἐν τάξεσι καὶ ἐπιστήμαις ἱεραρχικαῖς, τὰ τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ἱερουργοῦσαν μυστήρια, καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν ἀρχὴν, ὡς θεμιτὸν ἀφομοιουμένην. *Dion. de cæl. hierarch. c. 3.*
b Ἔστι γοῦν ἑκάστῳ τῶν ἱεραρχίᾳ κεκληρωμένων ἡ τελείωσις, τὸ κατ' οἰκείαν ἀναλογίαν ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναχθῆναι, καὶ τὸ δὴ πάντων θειότερον, ὡς τὰ λόγιά φησι, θεοῦ συνεργὸν γενέσθαι, καὶ δεῖξαι τὴν θείαν ἐνέργειαν ἐν ἑαυτῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀναφαινομένην. *Ibid.*
c Ἑκάστη τῆς ἱεραρχικῆς διακοσμήσεως τάξις, κατὰ τὴν οἰκείαν ἀναλογίαν ἀνάγεται πρὸς τὴν θείαν συνεργίαν, ἐκεῖνα τελοῦσα χάριτι καὶ θεοδότῳ δυνάμει, τὰ τῇ θεαρχίᾳ φυσικῶς καὶ ὑπερφυῶς ὄντα, καὶ πρὸς αὐτῆς ὑπερφυῶς δρώμενα. *Ibid.*

Digitized by Google

liter inſunt, & ab eo omni creata natura eminentiùs efficiuntur. Quæ manifeſtè produnt Hierarchiam à Dionyſio non in paſſione, ſed in actione, ſeu efficiendi poteſtate locari. Docet hoc ipſum clariùs de noſtra propriè Hierarchia, quam ſcribit [a] *dici & eſſe generalem omnium quæ ipſi congruunt rerum ſacrarum adminiſtrationem:* ac per hoc declarat Hierarchiam ad eos ſolos pertinere, quibus rerum ſacrarum adminiſtratio commiſſa eſt, non ad eos, quibus earum ſola receptio competit. Monachos verò nominatim ab ea excludit, de iis omnium clariſſimè ſcribens, *Eorum* [b] *conſecrationem non eſſe Hierarchicam, vt conſecratione graduum Eccleſiaſticorum, ſed ſimplicem conſecrationem à Preſbyteris effectam, conſecrationibus Hierarchicis inferiorem & quaſi ſecundariam.* Confirmat hoc ipſum paulò antè docens [c] *legem diuinam Epiſcopis ſingulariter & vnicè tribuiſſe Hierarchicorum ordinum conſecrationem.* Cùm ergo declaret conſecrationem Monachorum non ab Epiſcopis, ſed à Preſbyteris fieri, eadem opera teſtatur Monachorum ordinem non eſſe Hierarchicum, nec Monachos Hierarchiæ eſſe conſortes. Qua ex re perſpicuum argumentum elicitur, Monachos ab Hierarchia abeſſe non tantùm Dionyſij, ſed etiam totius Eccleſiæ veteris authoritate ac ſenſu. Cùm enim virginum conſecratio ſoli Epiſcopo reſeruaretur, vt teſtes [d] ſunt penè omnes Patres, & Synodorum canones, qui de hac re ſermonem fa-

a Ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία λέγεται, καὶ ἔστιν ἡ περιεκτικὴ τῆς καθ' αὐτὴν ἁπάντων ἱερῶν πραγματείας.

b Ἡ ἱερὰ θεσμοθεσία τοὺς μοναχοὺς ἠξίωσεν ἀφιερωτικῆς ἐπικλήσεως, οὐχ ἱεραρχικῆς· ἐκείνη γὰρ ἐπὶ μόναις γίνεται ταῖς ἱερατικαῖς τάξεσιν, ἀλλ' ἱερουργικῆς ὑπὸ τῶν ὁσίων ἱερέων τῇ ἱεραρχικῇ τελετουργίᾳ δευτέρως ἱερουργουμένης. Dion. de Eccl. Hier. cap 6.

c Ἡ θεία θεσμοθεσία τὴν τῶν ἱεραρχικῶν τάξεων ἁγιαστείαν ταῖς τῶν ἐνθέων ἱεραρχῶν τελεσιουργοῖς δυνάμεσιν ἐξαιρέτως ἀπεκλήρωσεν. Ibid. cap. 5.

d Concil. Carth. 2. can. 3.

ciunt; Monachorum tamen conſecratio Preſbyteris relicta eſt, ne quid eſſet quo ſimilitudine conſecrationis Eccleſiaſticis gradibus & Hierarchiæ ſe insererent (quod de Virginibus metuendum non fuit) & vt ipſa conſecrationis ſpecie infrà Hierarchiam & Hierarchicos ordines ſubeſſe comprobarentur. Atque hæc res adeò certa & dilucida eſt è tota ſerie Dionyſij orationis, vt nemini qui eam legerit & intellexerit, aliud venire poſſit in mentem, vt patet ex iis, quos antè diximus, etiam Monachis, etiam Ieſuitis, etiam Spongiæ in hac ipſa cauſa commilitonibus. Nam ſanctus Dionyſius Monachos ἐν τάξει τῶν τελουμένων, *in ordine initiandorum*, ſeu *eorum qui actiones Hierarchicas excipiunt*, ponit, non ſolùm cum fideli populo, ſed etiam cum omnibus qui purgantur, Catechumenis, Pœnitentibus, quos omnes initiandorum, ſeu τελουμένων nomine generatim complectitur, vt ex eius lectione manifeſtum eſt. Si ergo Spongiæ placeat Monachos in Hierarchia à Dionyſio locari, eo quòd Hierarchicorum effectuum operationumque participes fiant, fateatur continuò etiam Catechumenos in eam admittendos eſſe, cùm etiam Hierarchicis operationibus afficiantur. Nam ſi in Hierarchia ſint conſtituendi non ſolùm qui perficiunt, ſed etiam qui perficiuntur, non ſolum qui illuminant, ſed etiam qui illuminantur; non ſolùm qui purgant, ſed etiam qui purgantur, & vt vno verbo cum Dionyſio loquamur, non ſolùm τελειῶντες, ſeu τελεσταὶ,

Eccleſ. Hier. c. 6.

ſed etiam τελειούμενοι; apertè ſequitur, non ſolùm Monachos qui perficiuntur, ſed etiam Catechumenos, qui ſecundùm Dionyſium illuminantur & purgantur, in Hierarchiam Eccleſiaſticam euehendos eſſe, atque adeò prius in Hierarchia quàm in Eccleſia verſari; Quod putidum, & inſolens, & paradoxum eſt, & tamen ex doctrina quam Spongia tuetur, & Dionyſio tribuit, ſine vlla dubitatione conſequitur.

Quare in re tam aperta facile eſt Spongiæ ſcrupulos euellere, & loca Dionyſij, quæ veriùs non intelligit quàm obiicit, explanare. Nam primus locus è capite tertio cœleſtis Hierarchiæ, tantùm difficultatis præ ſe fert, quantum corruptio ipſius offudit. Eſt enim turpiter deprauatus locus, & ad errorem intortus. Nam pro verbis à Spongia citatis, *Ad rationem Hierarchiæ pertinere non ſolùm purgare, ſed etiam purgari, non ſolùm illuminare, ſed illuminari, non ſolùm perficere, ſed etiam perfici*; hæc apud Dionyſium leguntur, *Hierarchiæ ordo is eſt, vt alij purgentur, alij purgent; alij illuminentur, alij illuminent; alij perficiantur, alij perficiant.* Quorum repræſentatione ſola & omnis difficultas euaneſcit, & Spongiæ nequitia magis magiſque clareſcit. Dignum caput, quod ab Hierarchia quam ambit, in ordines purgandorum & illuminandorum retrudátur: adeò errore cæcum, fallacitate turpe eſt.

Τάξις ἱεραρχίας ἐστὶ, τὸ, τοὺς μὲν καθαίρεσθαι, τοὺς δὲ καθαίρειν· καὶ τοὺς μὲν, φωτίζεσθαι, τοὺς δὲ φωτίζειν, καὶ τοὺς μὲν τελεῖσθαι, τοὺς δὲ τελεσιουργεῖν. *Dion. cœleſt. Hierar. c. 3.*

Nam quid immorer ſtolidæ ſecundi loci citationi è capite primo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ,

Ἱεραρχίαν ὁ φήσας, ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην ἔφη τὴν τῶν ἱερῶν διακόσμησιν. *Idem Eccl. Hier. c. 1*

Ἔστι μὲν ἱεραρχία πᾶσα κατὰ τὸν ἔνθεον τῆς ἡμῶν παραδόσεως, ὁ πᾶς τῶν ὑποκειμένων ἱερῶν λόγος, καθολικωτάτη τῶν τῆσδε τυχὸν ἱεραρχίας, ἢ τῆσδε, ἱερῶν συγκεφαλαίωσις. *Ib.*

Qui Hierarchiam dixerit, omnium ſimul ſacrorum dixerit diſpoſitionem ſeu ordinationem. Quis hinc faber edolarit concluſionem hanc, *Omnes homines qui myſteriorum Eccleſiæ participes fiunt, in Hierarchia Eccleſiaſtica eſſe?* Locum exponit paulò antè ipſe Dionyſius ita loquens ex interpretatione Ieſuitæ Lanſſelij: *Et quidem Hierarchia omnis, vt auguſta ſacraque noſtra tradit Religio, omnis ratio ſacrorum quæ ſubiecta ſunt, vniuerſaque ſacrorum huius vel illius Hierarchiæ ſumma.* Siue, ſi quis minus intelligat, (tota enim huius interpretis interpretatio, alio rurſus interprete plus indiget, quàm vel ipſe Dionyſij Græcus ſermo; vt alias eius dotes præteream, & Dionyſij maculas, quæ ſuo fortaſſis loco patebunt) Hierarchia generatim eſt omnium rerum ſacrarum cuique Hierarchiæ ſubiectarum ratio, ſeu gubernatio, & poteſtas; ita vt ſpeciatim Hierarchia Eccleſiaſtica ſit omnium rerum ſacrarum ad Eccleſiam pertinentium complexio ſumma quædam penes Hierarchas Eccleſiæ reſidens, quorum in poteſtate & adminiſtratione quicquid in Eccleſia ſacrum eſt continetur; eo modo quo in cauſa effectrice & directrice ſumma quædam & quaſi comprehenſio omnium eius effectuum includitur. Idque ipſe Dionyſius clare hoc modo ibidem interpretatur: *Sicut Hierarchiam dicens, omnium ſimul rerum ſacrarum diſpoſitionem dicit; ſic dicens Hierarcham, dicit hominem diuinitus motum & diuinum, ſacræ omnis cognitionis participem, in quo omnis eius Hierarchia puriſ-*

Ὡς ἱεραρχίαν ὁ φήσας ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην ἔφη τὴν τῶν ἱερῶν διακόσμησιν· οὕτως ἱεράρχην ὁ λέγων, δηλοῖ τὸν ἔνθεόν τε καὶ θεῖον ἄνδρα, τὸν πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμονα γνώσεως, ἐν ᾧ καὶ καθαρῶς ἡ κατ' αὐτὸν ἱεραρχία πᾶσα τελεῖται καὶ γινώσκεται. *Ib.*

ſimè abſoluitur, & cognoſcitur. Velim Ieſuita hinc probet Monachos, & totam cum iis multitudinem laicam eſſe in Hierarchia; ex eo videlicet quòd Hierarchia omnium rerum ſacrarum ei ſubiectarum ſummula ſit & ſumma vis quædam, in qua ſacra omnia cuique Hierarchiæ propria concludantur, & cognoſcantur.

Tertius locus capite quinto Eccleſiaſticæ Hierarchiæ fallaciter, de more profertur, nempè Dionyſium *Eccleſiaſticam Hierarchiam trifariam diuidere, in ſacra, quæ à Pontificibus exercentur, in Miniſtros, & in eos qui initiantur.* Nam Dionyſij vera verba hæc ſunt: *Hierarchia noſtra ſimiliter habet tripertitam illam Hierarchicam diuiſionem, diuiſa ſcilicet in ſanctiſsimas myſteriorum operationes, & diuinos ſacrorum Miniſtros, & eos qui ab ipſis ad ſacra pro ſuo captu admouentur.* Quibus verbis non tam Hierarchiam ipſam diuidit, quàm operationum Hierarchicarum naturam explicat. Reſpicit enim generalem diuiſionem quam paulò antè poſuit in hunc modum: *Omnem Hierarchicam operationem diuidi in diuiniſsima myſteria, & diuinos eorum doctores ac myſtas, & eos qui ab ipſis ſanctè initiantur.* Quam generalem diuiſionem deinde ſpeciatim Hierarchiæ Eccleſiaſticæ accommodat. Sed ſiue Hierarchiam ipſam, ſiue Hierarchiæ operationes exponi dicamus, argumentum quod ex ea diuiſione Ieſuita ducit, tantundem ineptiæ habet. Si enim ex eo quod Dionyſius tripertitæ illius diuiſionis vnum membrum poſuerit eos qui initian-

Τὸ τελοῦν δὲ ὡσαύτως ἔχει (ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία) τῆς ἱεραρχικῆς διαιρέσεως, εἰς τὰς ἁγιωτάτας τῶν τελετῶν ἱερουργίας διαιρουμένη, καὶ τοὺς θεοειδεῖς τῶν ἱερῶν ὑπηρέτας, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτῶν ἀναλόγως ἐπὶ τὰ ἱερὰ προσαγομένους. H. et Eccleſ. cap. 5.

Πᾶσαν ἱεραρχικὴν πραγματείαν εἰς τὰς θειοτάτας τελετὰς διαιρεῖσθαι, καὶ τοὺς ἐνθέους αὐτῶν ἐπιστήμονας καὶ μύστας, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτῶν ἱερῶς τελουμένους. Ib.

tur, ſeu myſteriorum ſacrorum participes fiunt, colligendum ſit dari gradum Hierarchicum, qui ad eos qui ſolùm initiantur pertineat, eóſque ſeorſum Hierarchicam claſſem ordinémque conſicere, vt Spongia præſumit; eadem opera dicendum eſt Hierarchica myſteria, quæ eiuſdem diuiſionis pars altera ſunt, ſuum quoque gradum & ſuum ſeorſim ordinem in Hierarchia habere, itavt ſit vnus ordo Hierarchicus, in quo ſola myſteria Eccleſiaſtica collocentur, ſicut vnus eſt in quo ſunt miniſtri ſeu myſtæ, & vnus, ex Spongiæ mente, in quo ij ſoli qui myſteria percipiunt. Si verò inauditum & vel cogitatu abſurdum eſt, myſteria & actiones Hierarchicas habere ſuum ſeorſim ordinem, & proprium Hierarchicum gradum, ſicut miniſtri ſuum habent; ſequitur manifeſtæ quoque eſſe abſurditatis, vt ex iſta Dionyſii diuiſione colligatur, eos qui ſolùm initiantur, eſſe vera Hierarchiæ membra, & intra Eccleſiaſticam Hierarchiam verè verſari. Non enim diuiſio iſta Logica eſt generis in ſpecies, aut totius in partes; ſed generalior, nempè diuiſio potentiæ in obiecta & in reſpectus ſuos, vt eius natura pleniùs planiúſque explicetur. Cuiuſmodi diuiſiones frequentiſſimæ ſunt, & familiares omnibus ſcientiarum & diſciplinarum tractatoribus. Sic facultates & habitus diuidimus in operationes, in obiecta, & in ſubiecta earum; non quod ſingula huiuſmodi membra ſint ſpecies aut partes habituum, ſed quia niſi eis expoſitis & enucleatis natura

tura

tura & eſſentia habitus, quæ illa directè & eſſentialiter reſpicit, cognoſci non poteſt. Hoc modo ſanctus Dionyſius diuiſit Hierarchiam, ſeu Hierarchicam poteſtatem, in operationes eius, ſeu myſteria, in eos à quibus fiunt, & in eos in quos fiunt: quia poteſtas Hierarchica hæc omnia eſſentialiter intuetur, nec ſine iis concipi aut cognoſci poteſt. Vnde tamen malè inferas eos qui myſteriis imbuuntur ad Hierarchiam pertinere & eius eſſe conſortes, quòd Hierarchiam ſine iis concipere nequeamus; Sicut ſtultè inferatur ſubditos principis eſſe principatus & poteſtatis illius participes, quia principatus ſine ſubditis nec eſſe, nec cogitari poteſt: Aut res creatas diuini dominatus habere partem, quia diuinus dominatus ſine rebus creatis quibus dominetur nullus eſt. Indignum profectò, doctæ illius, vt ſibi videtur, Societatis alumnum, cum his argumentorum quiſquiliis prodire in aciem auſum eſſe cum celeberrima Eccleſiæ Theologica Facultate; niſi fortè eo modo certare voluerit, quo diſcipuli cum magiſtris, ſanandæ ignorantiæ gratia, etiam ridiculis plerúmque argutiis velitari conſueuerunt.

Poſtremò ſine mente, ſine iudicio affertur altera diuiſio, quaſi diuo Dionyſio authore, qui *tertiam Hierarchiam, ſeu Hierarchiam Hierarchizatam* diuidat in tres ordines, *in eorum qui purgantur, qui illuminantur, qui perficiuntur.* Nam tertiæ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ mentio apud Dionyſium nulla eſt, qui cœleſtem quidem Hierarchiam in tres

MM ii

Digitized by Google

Hierarchias diuidit, Eccleſiaſticam non item; Hanc enim ſemper vnicam, nunquam triplicem aut multiplicem eſſe docet. Diuidit eam quidem in tres ordines perſæpè, ſeu, vt loquitur, ἐς τρεῖς τάξεις, ſeu δυνάμεις, quibus ex oppoſito reſpondere facit tres ordines, ſeu τάξεις, ſeu δυνάμεις eorum qui initiantur, ſeu τῶν τελουμένων. Sed tres Hierarchias Eccleſiaſticas nuſquam ponit, nec ponere poteſt, ſi ſuis principiis, quæ Ieſuita non percipit, conſentiat, vt alibi latiùs daclarabitur.

Hier. Eccleſ. c. 5.

Sed neque *Hierarchiæ Hierarchizatæ* vnquam meminit; neque tam potens eſt potentia & ſolertia Ieſuitarum, vt figmentum quod nuper inuenerunt, ad decimum ſextum retrò ſæculum trahere, & in ſancti Dionyſij opera trnsferre poſſint. Rem æquè & locutionem eiuſmodi Dionyſius repudiat. Vnde quamuis Monachos in tertio ac ſummo laïcorum ordine ſtatuerit, non ideò non ab Hierarchia, tum infra Sacerdotes, tum infra omnes Clericos ablegauit. Cúmque Ieſuita in ſua illa *Hierarchia Hierarchizata* non ſolùm eos qui perficiuntur, ſed etiam qui illuminantur & purgantur conſtituat; aut fateri debet Catechumenos, Energumenos, Pœnitentes, qui omnes purgantur, eſſe in Hierarchia, quamuis nulli eorum in Eccleſia olim eſſent, nec adhuc ſaltem Catechumeni in ea ſint; aut Monachos in eandem Hierarchiam attolli non poſſe, neque adeò vllos eorum qui initiantur tantùm, ſeu operationes Hierarchicas tantùm recipiunt, ſeu tantùm Hierarchizantur.

Ib. c. 6. ſect. 1. & 3.

Digitized by Google

Ex his omnibus iam colligendum eſt Spongiam nunquam legiſſe Dionyſium, vt initio monebamus, ſed carpta & auulſa hinc inde fruſtula, quæ fartor aliquis ingeſſerit, ſine iudicio hauſta, debilitate animi malè concocta, violento intrinſecùs impetu profudiſſe, itavt improuidæ illius temeritatis reprehenſionem, quodam miſericordiæ moderamine mitigare debeamus. Si quando proferet *innumera* illa quæ minatur, ſanctorum Thomæ & Bonauenturæ, aliorúmque Theologorum teſtimonia, æquè facilè illis ipſis eius aut in proferendo fallaciam, aut in intelligendo ignorantiam, nos etiam proferemus. Aut neſcio quis iam Theologus ſuum ei teſtimonium tribuere velit, quæ in omnes quorum authoritatibus vti conata eſt, tot falſitatum, tot mendaciorum, tantæ in omni genere perfidiæ iam ſit rea, & rea infamis. Diui quidem Thomas & Bonauentura, quos toties fœdiſſimè violauit, eam pœnam àb ea iure repetere poterunt, vt nequidem vera dicenti adeſſe velint, quæ ſe toties falſa dicentem, eorum nomine conuelare voluerit. Quamquam diuus Thomas iam commentum eius ſatis ſupérque damnauit, cùm ſuppoſuit velut rem certam, & nulli controuerſiæ aut dubitationi obnoxiam, Hierarchiam nihil aliud eſſe niſi *ſacrum principatum*. Quo poſito, noua iſta, *Hierarchia Hierarchizata*, quam Hierarchiam Ieſuiticam verè dixeris, quippe ſimplicibus Religioſis, & toti laïcorum multitudini, à Ieſuitis ſodalibus hoc tempore fabricatam, corruit, nec

D.Tho.1.p. q.108.ar.1. in corp.

quiſquam in Hierarchiam Eccleſiaſticam ſuſcipitur, qui nihil ſit niſi Hierarchiæ ſubditus, nihil niſi Hierarchicarum operationum ſubiectum, neque vllam Hierarchici principatus ac poteſtatis partem habeat.

SPONGIA.

Secunda Concluſio. Religiones quæ ordinantur ad docendum & prædicandum, pertinent ad Hierarchiam Hierarchizantem. Hæc concluſio probatur ſoluendo argumentum quod contrà ſolet adduci ex authoritate ipſius ſancti Dionyſij dicentis, Monachos in Eccleſiaſtica Hierarchia non habere ſtatum perficientium, ſed perficiendorum: *Et Hieronymi aſſerentis;* quod Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium; *& ex eo quod ſacri Canones decernunt, Monachos iuxta ſui nominis interpretationem ſolitariæ vitæ deputatos, intendere debere ſaluti propriæ, non alienæ. Ad hæc reſpondet Seraphicus Doctor his verbis;* Intelligant huiuſmodi dicta Patrum & Canonum de ordine Monaſtico pro eo tempore fuiſſe pronunciata, quo erant inter eos perſonæ laïcales & imperitæ, non Sacerdotes & literatæ. Nam ſicut idem vir Hierarchicus docet, quod Monachorum eſt purgari, illuminari, & perfici; ſic etiam illud non reticet, quod purgare, illuminare, & perficere ad ordinem ſpectat Sacerdotalem. *Ita diuus Bonauentura. Ex cuius verbis non ſolùm ſoluitur obiectio aduerſariorum,*

In Apolog. pauperum.

Digitized by Google

ſed ducitur firmum argumentum pro noſtra ſententia, hoc modo: Ordo Sacerdotalis eſt Hierarchicus, quia ordinatur ad purgandum, illuminandum, & perficiendum: Igitur Religiones quæ ex ſe ſuóque inſtituto ordinantur ad purgandum, illuminandum, & perficiendum, ſunt ex ſuo inſtituto Sacerdotales & Hierarchicæ. Huiuſmodi ſunt Religiones Mendicantium, præcipuè Ordo Prædicatorum ſancti Dominici, & Seraphicus ſancti Franciſci; & cum cæteris, ſi non ſupra cæteros, Ordo ſanctiſſimus almifici Patris ſancti Benedicti, qui conſtitutionibus Apoſtolicis ordinatus reperitur ad Sacerdotium, & Hierarchizandum, primuſque omnium ordinum ex inſtituto hunc Hierarchicum honorem meruit.

RESPONSIO.

Ad hæc iam nauſeat lector, quæ tu ſuprà poſuiſti, & nos ſuprà non ſemel, ſed ſæpiùs fregimus, & hoc ipſum argumentum quod ex D. Bonauentura inſcitè concinnas, ex ipſis illius verbis euertimus. Tu nec tacere potes, nec quicquam dicere. Ne taceas, impotentia & vaga mentis indoles vetat; Ne loquendo quicquam dicas, imperitia, & natiua hebetudo, de qua mihi nunc ſaltem iudicare conceſſum eſt, toties & tam grauiter experto, & hoc ipſo loco tam grauiter experienti. Dupliciter enim peccas, & quod iteras eadem, & quod inſulſa & inſipida iteras, quæ vel ſemel deguſtaſſe ad tædium ſit plus ſatis.

Iam ergo antè diximus fruſtra ſancti Bonauenturæ authoritatem trahi ad Hierarchiam Religioſis ex ſtatu vindicandam, quia hæc quæſtio nondum eruperat eius ætate, neque adhuc quæſitum fuerat num Religioſi, ſeu Mendicantes, ſeu alij quicumque, in Hierarchia eſſent ex ſtatu, & ad claſſes Hierarchizantium pertinerent. Eo tempore controuerſia cum eis erat, qui non ſolùm negabant Religioſos ex ſuo inſtituto non eſſe Hierarchizantes, vt iſti aiunt, ſed functiones & miniſteria Hierarchiæ repugnare inſtitutioni Monaſticæ, & ab Eccleſiæ præſulibus nequidem iis committi poſſe aſſerebant, eo quod Canones & Patres dicerent Monachorum officium non eſſe docere, ſed plangere, & ſingularem procul ab hominum cœtu degere vitam. Denique ex eo quod prioribus ſæculis Monachi ad miniſterium Eccleſiæ nunquam admiſſi fuiſſent ita paſſim, vt tempore diui Bonauenturæ admitti cœperant, malè ita admiſſos fuiſſe argumentabantur, & Eccleſiæ Antiſtitum nimiam in eos indulgentiam improbabant. His reſpondet Bonauentura ſanctos Patres & Canones ita de Monachis ſtatuiſſe, *Quo tempore erant inter eos perſonæ laïcales & imperitæ, non Sacerdotes & litteratæ.* Nam Monachis Sacerdotibus & literatis functiones Hierarchicas & Eccleſiæ miniſteria rectè committi, neque id ab vſu & doctrina ſanctorum Patrum abhorrere. Sed quid hoc ad nouiſſimam Moliniſtarum præſumptionem, qui non Eccleſiæ miniſteria ſibi committi

Digitized by Google

poſſe, ſed ſua eſſe, ſibi deberi, vt ex ſtatu Hierarchicis, Sacerdotibus, Hierarchizantibus, & ordinarios ipſos Eccleſiæ Paſtores, Parochos, Prælatóſque minores in Eccleſiaſtica Hierarchia ſuperantibus, profitentur, & ſi quis obſiſtat, quaſi damno mactati exclamant? Nunquam ſanctus Bonauentura tantæ arrogantiæ aut iis, aut vllis Religioſis Author fuit: Nunquam ait Religioſos vllos eſſe ex ſtatu Hierarchizantes, Hierarchiæ, & Sacerdotij, & miniſterij Hierarchici ſuo iure conſortes. Hoc enim veteribus illis Canonibus, & dictis Patrum obſtrepit, quorum ille ſaltem ſenſus eſſe debet, vt Monachis ex ſua ſorte, & ex gradu quem in Hierarchia obtinent, nihil aliud propriè competat niſi plangere, doceri, vacare ſibi, perfici ab iis quos in Eccleſia Doctores & perfectores ſtatuit Deus, quamuis ex indulgentia, & Eccleſiæ Antiſtitum euocatione, ad docendum & ad miniſtrandum Eccleſiæ adhiberi, & perficientium munera ſuſcipere poſſint, ſicut toties factum eſt. Atque hunc ſenſum accommodat ſanctus Thomas illis Canonibus & verbis Patrum, vt ex antè dictis patet. Nam ad eas obiectiones vniuersè reſpondet, *Quod aliquis authoritate Prælatorum prædicet, vel alia huiuſmodi faciat, non ſupergreditur diſcipulatus, vel ſubiectionis gradum, qui competit Religioſis.* Vnde patet deſtinationem Religioſorum ad actiones Hierarchicas, non vetare ex doctrina ſancti Thomæ; quominus illi ipſi Religioſi ita deſtinati, & ita aſſumpti à Prælatis Ec-

S. Tho. 2. 2. q. 188. ar. 4. ad 1.

Digitized by Google

clesiæ, reuera ex ſtatu ſuo in diſcipulatus & in ſubiectionis gradu maneant. Quare non mirum eſt cur Spongia ſelegerit potiùs reſponſionem S. Bonauenturæ ad illos Canones & locos Patrum, quàm reſponſionem ſancti Thomæ, in qua ipſam erroneæ doctrinæ ſuæ, & præſumptionis exoticæ confutationem clariùs eminere ſentit, quàm in S. Bonauenturæ reſponſione. Citiùs enim oleum in ſilice repereris, quàm in Spongia fidem. Eſt verò multò æquius Moliniſtas à duobus duorum ordinum Mendicantium coryphæis, & Eccleſiæ luminibus, humilitatem Religioſam, & ſenſus moderationem, & Seraphicum Angelicumque ſpiritum ſuſcipere; quàm humili eorum doctrina, opinionum ſuarum ventoſas inanitates, & typhum domeſticum, & animoſiſſima ſtudia, & ſubdola conſilia adumbrare & roborare conari. Nam Moliniſtæ illud ſemper inſigne proprium, & natiuum quodammodo characterem prætulerunt, vbi Religioſarum familiarum numero fuerunt inſerti, vt capita cæteris altiùs efferentes, & priſtini gradus priſtinæque ſortis Religioſæ pertæſi, nouas ſibi amplitudines, & noua titulorum decora in dies fingerent, quibus eorum dignitas, & honor, & præcellentia ſtatus, & nominis ſplendor vix vlli hominum generi poſtponenda viderentur. Hæc enim figmenta quibus nunc Eccleſiam conturbant, nunquam ante ipſos excogitata fuerant, nec Religioſos eſſe in Eccleſiaſtica Hierarchia poſt Epiſcopalem gradum ſecundos, nec eſſe altiores

in ea

Digitized by Google

in ea Parochis, nec omnino eſſe in Eccleſiaſtica Hierarchia *ex vi ſtatus*: Quæ omnia ipſis authoribus, inuentoribus, nouatoribus, & omnes priorum cogitationes ſua ſuperbia ſupergreſſis accepta referenda ſunt. Ne tamen immenſa & inuſitata elatio in ſermones & in odia publica veniret, eam in cæteros ordines transfundere cogitarunt; veluti primus Angelus in Deum exurgens, & nefariam ſui amplificationem machinans, ſuperbiæ ſuæ motum in omnes Angelorum ordines traiicere conatus eſt, quaſi eorum conſpirante multitudine impia in Deum factio firmior & plauſibilior euaderet. Nec norat infœlix, animo æſtuantis ambitionis tenebris caligante, ſuos impetus, conſpirationes, vires, artes, ex infanda quam ambiebat altitudine, in infimam mundi voraginem vno Dei verbo contrudi poſſe. Quod idem verbum Eccleſiæ datum eſt, vt eos qui feruore non humano imitari diabolum, & arrogantiæ illius inſtinctu Deum in Eccleſia latentem æmulari audeant, præcipitet & conterat. Nec tamen fieri poſſe putandum eſt, vt tot antiqui ordines, quorum ſanctitas & humilitas tot ſæculis ſpectata eſt Eccleſiæ Dei, noua & aduentitia Ieſuitici morbi contagione vincantur. Sicut enim primi Angeli ambitu editâ per omnes choros ingenti Angelorum ſtrage, Angelici tamen ordines ſalui & inuicti perſtiterunt, Ita ſtabunt & florebunt Religioſi ordines, & vel ipſo Patrum principúmque ſuorum ſpiritu continebuntur, ſi qui

NNn

eorum alumni Ieſuiticæ ambitionis ruina ſe inuolui patiantur. Iam enim Lutetiæ vidimus & audiuimus inſignis ordinis Mendicantium caput, & illuſtrem Generalem, hoſce motus, & tumultuationes & ſuperbiæ Moliniſticæ certamina toto pectore auerſantem.

Cæterùm vt aliquid dicamus ad locum D. Bonauenturæ, ne Spongia ſe proüt meretur, deſtitutam ſpretamque queratur; Nemo, opinor, non videt puerilem ipſius ex eo loco argumentationem. Etſi enim ordo Sacerdotalis ſit Hierarchicus; non tamen ideo religiones ad Sacerdotiũ inſtitutæ, Hierarchicæ fiunt illa ipſa inſtitutione. Colligi quidem forſitan inde liceat, quanquam nihil definimus, religioſos iam Sacerdotio præditos, & ad functiones Hierarchicas ab Eccleſiæ præſulibus approbatos, eſſe in Hierarchia, vt antea dictum eſt. Sed ineptiſſimè colligitur, eos qui ad Sacerdotium ſolummodò deſtinantur & tendunt, hoc ipſo ad Hierarchiam perueniſſe, quaſi tendere ad Sacerdotium, & iam illud poſſidere, tendere ad Hierarchiam, & ad eã perueniſſe, ſint eadem. Oſtendimus enim ſuprà quàm ſit abſurdum dictu, eum qui ad Sacerdotium deſtinetur, eo ſolo iam eſſe Sacerdotẽ, aut Sacerdotalem gradum obtinere, aut ei Sacerdotiũ deberi, vt idem iterum inculcare non ſit opus. Aliter igitur dicitur Sacerdos ad illuminandum aut perficiendũ ordinari, (vt etiam turpiculã Ieſuitæ æquiuocationem expungamus) aliter religiones ordinari ad munera Sacerdotalia, eæ ſcilicet in quarum inſtituto id ineſt.

Digitized by Google

Nam Sacerdos ad hoc ordinatur vera & interna eius rei facultate, quam in eum finem à Deo per Eccleſiæ miniſteriũ accepit, eo modo quo potentiæ ad actus ordinantur. At religiones, ſeu ſimplices religioſi nódum Sacerdotes, ad idipſum ordinãtur externa tantùm & remota quadam deſtinatione, ita vt nullã earum actionum vim aut poteſtatem iam habeant: eo modo quo Theologiæ ſtudioſi ad licentiam aut Doctoratum deſtinantur, quem tamen ante decurſum ſtudij ſpatium, & probatã eruditionem nemo ſanus eis vel adeſſe, vel deberi dixerit. Quare Ieſuitica ambitio, tam ratione & ſenſu debilis eſt, quàm vehementia animi & factionis inualuit.

SPONGIA.

De Societate autem Ieſu, ſic ſcribit Lælius Zecchius ſæcularis in Italia & Romæ prælatus: Societas Ieſu authore B. Ignatio de Loyola, anno 1540. qui docent, prædicant, rudes inſtruunt, Sacramenta præbent, purgant, illuminant & perficiunt, & iuuentutem in purgatis literis erudiunt, iuxta antiqua inſtituta, vt in Monaſteriis & Eccleſiis ſcholæ haberentur, quæ & alij multi religioſi præſtant. *Hæc ille. Ex quibus efficitur hunc ordinem, reliquoſque ſimiles eſſe Hierarchicos, ſeu hierarchizantes. Nam quid eſt alios ex inſtituto purgare, illuminare, perficere, niſi ex inſtituto hierarchizare?*

De Rep. Eccleſ. tit. de Reg. c. 2.

RESPONSIO.

Neceſſe nõ fuit de Societate Ieſu ſeorſum agere:

Digitized by Google

ſatis enim ſuperiori de religionibus ad docendũ inſtitutis paragrapho continebatur. Verùm non decuit familiam illam ſingularem, principalem, ſummam & potentiſſimam omnium, in turba commemorati, ne nihil præter alias eximium præcellenſque redoleret. Ei ergo ſoli ſuum ſeparatim teſtimoniũ dari debuit, & teſtimonium adulatorium, Roma à Lælio Zecchio repetitum, vt ipſa ſui nominis laudatio Prælatum illum Romanum ad errorum hæreſumque, & ad totius iſtorum ambitionis patrocinium allectaret. Sed tamen in hoc ipſo auctore laudando ſua Spongiæ ſtoliditas indiuidua hæret comes. Nec enim Lælius Zecchius ait Religioſos Societatis Ieſu ex ſuopte inſtituto eſſe in Hierarchia, aut Hierarchicam poteſtatem, aut ad eam ius habere; ſed tantum illuminare, docere, eo modo ſcilicet quo alij religioſi, & quo in antiquis olim monaſteriis fieri ſolebat; nõ proprio ſcilicet iure, ſed poteſtate ab Eccleſię Prçlatis humaniter & indulgenter accepta. Quare ſtupidè & fallaciter poſt prolatũ Lælij Zecchij teſtimonium, quærit, *Quid eſt alios ex inſtituto purgare, illuminare, & niſi ex inſtituto hierarchizare?* nam particulã, *ex inſtituto*, de ſuo addidit, cùm in prolato teſtimonio non extaret. Quod notatũ volo, ad declarandam præcipitantis Spongiæ temeritatẽ, quæ nihil quietè perpendere poteſt, nec intelligere, *neque quid loquatur, neque de quibus affirmet*; non quin ſciam Societatem Ieſu ex ſuo inſtituto ad Eccleſiaſtica munia deſtinari. Sed quàm illa deſtinatio leue ſit telum ad inuadendos Eccleſiaſticæ hierarchiæ fi-

nes,& Eccleſiaſticos gradus Ieſuiticæ vanitati ſubiugandos, toties demonſtratum eſt, vt Spongiam ipſam iam intelligere putem.

SPONGIA.

Hoc confirmo ex verbis Concilij Tridentini. Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis, Preſbyteris, & miniſtris, anathema ſit. *Hoc canone aduerſarij vtuntur, quem tamen in ipſos retorquet. Nam Concilium nomine Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum non intelligit ſolùm eos, qui ſunt ordine Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, ſed omnes qui officio, poteſtate, inſtituto vitæ ſunt vel Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, licèt fortaſſis ordine tales non ſint; Hoc oſtendo primo, quia ſi quæſtio ſit an ſolùm ordine Epiſcopus carens plebe ſit de Hierarchia Hierarchizante, Gerſon clariſsime inſinuat non eſſe. Nam dicit de Hierarchia Hierarchizante eſſe Epiſcopos, & Curatos habentes plebem ſubiectam ſibi: quod dicitur, inquit, propter Curatos, vel etiam titulares Epiſcopos carentes plebe; quaſi diceret hos de Hierarchia Hierarchizante nequaquam cenſeri. Non igitur tantùm conſecratio, ſed officium vitæque inſtitutum, quod ſit Epiſcopale, vel ſacerdotale, vel Diaconi, conſtituit & ordinat Hierarchiam.*

RESPONSIO.

Prorſus quid dicas ipſe non vides, ſed turbida mente quicquid occurrit voluis & gyras intra debiliſſimæ mentis inanitatem. Fruſtra reponis Gerſo-

Digitized by Google

nis locum, quem iam antè late expoſitum, & tuis tuorumque cauillationibus ereptum habes. Non enim Gerſon negat Epiſcopos aut Prælatos carentes plebe, eſſe in Hierarchia, aut eſſe in ea Hierarchizantes, vt ibi diximus, quia non proprios & adæquatos Hierarchiæ ordines deſcribere inſtituit, ſed tantùm ordines *autoritatiue*, vt loquitur, *Hierarchizantium*, ſeu ordinariam ac ſtabilem in Hierarchia poteſtatem & iuriſdictionem obtinētium. Exponit quippe quænam ſit ordinaria ac ſtata ſeries, qua poteſtas Eccleſiaſtica à ſupremo capite per ordinariorum omnium capitum gradus ad infima vſque Eccleſiæ membra perlabatur. Hoc ſenſu non ſolùm Epiſcopos & Parochos carentes plebe, ſed etiam ſimplices Sacerdotes, & Diaconos, & Subdiaconos, & miniſtros omnes inferiores excludit ab Hierarchizantibus, non ſimpliciter, ſed ab Hierarchizantibus *autoritatiue*; ſeu ordinariam Hierarchizandi poteſtatem tenentibus, qua ſacerdotes & miniſtros omnes inferiores carere tam certum eſt, quàm eos ad Hierarchiam Eccleſiaſticam, & ad Hierarchizantium ordines, non Eccleſiæ indulgentia aut priuilegio, ſed diuino iure pertinere. Atque ita argumentum è Gerſone ſtructum collabitur, quod verè dicere poſſumus magis ab inſcitia Spongiæ, & à loci Gerſonis ignoratione, quàm à malitia, prodiiſſe.

Cæterùm attendatur, quæſo, Spongioſi acuminis elegantia. Probare vult Concilium Tridentinum in Hierarchiæ deſcriptione, nomine Epiſcoporũ, Presbyterorum, & Diaconorum non intellexiſſe ſolũ eos

Digitized by Google

qui ſunt ordine Epiſcopi, vel Preſbyteri, vel Diaconi; ſed omnes qui officio, poteſtate, inſtituto vitæ sũt tales, licèt nondum fortaſſis ordine. Ad huius gloſſematis probationẽ affert Gerſonis locũ, ex quo manifeſtè contrarium infert, nimirum ne eos quidẽ qui ordine ſunt Epiſcopi, vel Preſbyteri, vel Diaconi, in Hierarchia eſſe, cõtra id quod probandũ ſuſceperat, nõ ſolum eos qui ſunt ordine tales, ſed etiam qui inſtituto vitæ, officio, poteſtate, à Tridentino in Hierarchia collocari. Eſtne hæc argumentatio ſanæ mẽtis? Eſtne hominis, an Spongiæ? Probare vult tum eos qui ordine, tum eos qui inſtituto vitæ ſunt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, eſſe intra Hierarchiã; & probat eos qui ordine tales ſunt, intra Hierarchiam non eſſe: Quanto ergo minùs in ea erunt, qui ſolo inſtituto vitæ ſunt tales? Si enim Epiſcopi & Preſbyteri cõſecrati, ideo ad Hierarchizantium ordines non pertinent, quia carent plebe, vt Spongia ex Gerſone vult; multo minùs ad eos pertinebunt ij qui non ſolùm plebe, ſed etiam ordine carent, qui ſola inſtitutione vitæ & deſtinatione externa ad ordinem ſacerdotalem ferũtur, quò ne quidem poſtquam peruenerint, vllam plebem ſibi ſubditam habituri ſunt. Euertitur ergo Ieſuitica propoſitio, non firmatur Gerſonis teſtimonio à Spongia prolato & expoſito; nec aliud opus eſt ad illius confutationem, & repugnantiæ inteſtinæ declarationem niſi vt aduerſarius inuolutas eius cogitationes, quas ipſa euoluere non poteſt, explicet.

Digitized by Google

Secundo, quia alioquin ſi ſummus Pontifex eligatur qui necdum eſt Diaconus, ſequeretur eum non eſſe de Hierarchia, cùm tamen de fide ſit eum eſſe principem Hierarchiæ, & Epiſcoporum Epiſcopum. Neminem latet plures eſſe in Eccleſia Epiſcopos officio, qui ordine necdum ſunt Diaconi; Quis tamen eos negauerit eſſe Hierarchiæ, & Hierarchas? Quod itidem intelligi debet de Parochis, qui necdum ſunt ſacris Ordinibus initiati. Tertio, quia alioquin ſequeretur S. R. Eccleſiæ Cardinales, quà Cardinales, non eſſe de Hierarchia, ſi ordine careant vel iuriſdictione Paſtorali: quod certè eſt falſum & illorum eminentiæ iniurioſum. Sunt enim ipſo vitæ inſtituto de Hierarchia altiſſimo loco, cùm ſint omnes ex dignitate ſtatus vel Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, licet fortaſſis ordine necdum ſint. Hoc poſito, quod negari non poteſt, hoc conſtituo argumentum: Omnes qui ſunt ordine ac inſtituto vitæ ſine officio, vel Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, ſunt de Hierarchia, de qua loquitur Concilium Tridentinum: Sed regulares qui ex inſtituto ordinantur ad docendum, confeſſiones audiendum, prædicandum, ſunt ex vitæ inſtituto ſacerdotes, & deſtinati ad exercenda officia Hierarchica ſacerdotum ex ipſo vitæ inſtituto; igitur ſunt de Hierarchia, quatenus de ea loquitur Concilium Tridentinum.

RESPONSIO.

Huius argumenti leuitas iam euanuit ex antedictis non vno loco, vbi de electione Epiſcopali egimus,

mus, & Spongiæ audaciam, qua tum priùs in Apologia, tum iterum in Spongia Ieſuitas comparare audet cum Pontificibus, Epiſcopis, Cardinalibus, electis, & eodem cum his iure Hierarchiam illis arrogare, admirari ſumus & caſtigauimus. Quo tamen eodem argumento vſus eſt Pſeudo-Smithæus; apud quem & apud Apologiam Danielis cùm illud iam viderit, reiecerit, damnauerit Facultas Pariſienſis (illo enim pene vno niti ſolent in hoc loco Ieſuitici commilitones) ineptum eſt idem rurſus à Spongia pro noua, & graui, & nondum audita defenſione obtrudi, doctrinamque eius adeò præſidiis nudam eſſe, vt niſi iam ſemel repudiatis & damnatis rationibus defendi non poſſit. Hic nimirum eſt mos eorum qui malè loquendo, væcordes videri malunt, quàm tacendo ſuperati.

Vt igitur paucis antè dicta perſtringamus; magnum diſcrimen eſt inter Laïcum aut Clericum minorem, qui ad Pōtificatum vel ad Epiſcopatum electus eſt, & inter Religioſum quemuis etiam ordinis ad ſacerdotium inſtituti. Nam eiuſmodi electio adeò natura ſua Hierarchica eſt, vt hominem, in quē cadit, iam ſupponat in Hierarchia, & quidem, in ſacerdotio, conſtitutum. Conſtat enim tota Eccleſiæ diſciplina iam inde ab initio per manus tradita poſteris, & vnâ Canonum, Conciliorum, & Patrum voce, vetitas eſſe ad Pontificatus, Epiſcopatus, & Paſtoralia Eccleſiæ munera electiones, niſi eorum tantùm qui iam per omnes inferiorum Eccleſiæ miniſteriorum ordines decurriſſent. Vnde tales ele-

Vide Cypr. epiſt. 52. Syric. epiſt. 1. c. 9. & 10. Zoſim. epiſt. 1. c. 1. Synod. viij. cap. 5.

Digitized by Google

ctiones non tam hominem in Hierarchiam transferunt, quàm iam tranſlatum eſſe ſupponunt. Neque cùm aliter interdum fit, Eccleſia grauibus neceſſariiſque de cauſis indulgente, ideo earum electionũ natura mutatur; quia hæc non ex eo quod fit per accidens, & extraordinario caſu, Eccleſiâ coactâ & quodammodo inuitâ, ſed ex eo quod per ſe competit traditione Apoſtolica, & perpetuo ac ſtabili Eccleſiæ vſu, ſpectanda eſt. Confer igitur ſi placet, cum his electionibus, eas religiones quarum alumni ad Sacerdotium deſtinantur. An religiones iſtæ hominem iam hierarchicum etiam poſtulant, Clericum, Subdiaconum, minore aliquo ordine pręditum? Imò plurimi vota earum eſſentialia emittũt hoc animo vt nunquam ad Hierarchiam perueniãt, vt laïci ſeu coadiutores, quos vocant, qui tamen eandem cum aliis eſſentiam religionis poſſident. Nam ex ipſa eſſentia religionis omnes ſunt laïci, & ita gradu æquales. Imò plurimi eorum ipſorum qui ad Sacerdotium parantur, tamen etiam tum cùm nullo ordine initiati ſunt, veri ſunt religioſi, non ſecùs quàm ij qui poſtrema vota emiſerunt, vt author eſt Bulla Gregorij XIII. Pontificis. Patet ergo vota religioſa, & naturam religionis iſtius malè conferri cum electionibus natura ſua adeò hierarchicis, vt hominem non tantùm augeant nouo hierarchiæ gradu, ſed iam ante hierarchiæ inſitum fuiſſe velint.

Præterea electio verum ius tribuit electo ad dignitatem Hierarchicam, nec ſolùm eam illi adiudi-

cat, ſed obligat & compellit eum vt illam primo quoque tempore ineat, & certum ſpatium præſtituit intra quod ni ſuſcipiat, electio irritetur, quippe quæ diutius à ſacro & hierarchico Ordine ſine violentia diuulſa eſſe non poſſit. Vnde nihil mirum ſi quis per electionem qua iam cooptatus, aſtrictus, & alligatus eſt ad Hierarchiam, hierarchicorum hominum numero inſeratur. At in religioſi ſtatus ſuſceptione nihil ſimile eſt. Nam neque is ſtatus ius vllum religioſo acquirit ad ordinem Hierarchicũ, vt ante declarauimus; multo minus eã compellit ad ſubeundam quamprimum illius ordinis conſecrationem, ſed ſolùm eius animum imbuit & præparat ad eam ſuo tempore capiendam, ſi nimirum idoneus euaſerit, & Eccleſiæ præſulibus illi rectè concedenda videatur. Electio verò hominem iam idoneum, paratum, probatum, ſpectatumque Eccleſiæ, admiſſum, adactumque ſupponit.

Concil. Lateran. ſub Alexand. 3. cap. 3. & ref. cap. cum in cunctis de elect. & elect. poteſt.
Idem Append. ad Cõcil. Lateran. par. 25 c. 5. & refer. cap. praterea de ætat. & qualit. & ord. præf.
Vid. & Concil. Lugd. ſub Greg. 10. c. 5. & 9.
Syric. ep. 1. c. 13.
Gregor. lib. 1. ep. 40.
Aug. ep. 81.

Poſtremò, Electio non ſolùm ius tribuit, & obligationem imponit electo, ſed iam in eo producere incipit Eccleſiaſtici muneris partem, adeoq; veram ei Hierarchicam poteſtatem largitur natura ſua ſtabilem & permanentem, etſi adhuc incompletam. Electio enim eſt initium actionis Hierarchicæ, qua quis Eccleſiæ Paſtor, ſeu Miniſter fieri cœpit. Eius verò actionis ea vis eaque ratio eſt, vt tendat ſuapte natura ad conſummandam illicò, ſi fieri queat, & complendam Paſtoris aut Miniſtri creationem. Vnde olim Epiſcopos & Miniſtros Eccleſiæ ſimul eligi & conſecrari ſolitos, eumque morem in Ec-

Cap. is cui de elect. in 6.

Digitized by Google

cleſia inuiolabilem à traditione Apoſtolica, & ab ipſo Chriſti exemplo, permanſiſſe & obſeruatum fuiſſe, quamdiu electionum canonicarum integritas ſalua fuit, oſtendimus. Quia verò laxato variis de cauſis veteris diſciplinæ fræno, & neceſſariis impedimentis occurrentibus, accidit vt electio conſecrationem ſtatim ſubſequentem non ſemper habere poſſit, (quemadmodum & actiones naturales variis interdum obicibus interruptæ manent) fit vt actio qua miniſter efficitur, velut ſuſpenſa hæreat, donec amotis paulatim obſtaculis, conſecratione tandem accedente, compleatur. Interim electio, quę velut initium eſt illius actionis (quam totam vna *ordinationis* voce veteres complexi fuerunt) ſuum in electo iam effectum ponit, imperfectum ſcilicet ac mancum, prout ipſa imperfecta & inchoata quædã actio eſt, nempe iuriſdictionem, ſeu poteſtatem rerum omnium quæ characteris non ſunt. Pendente verò eo modo ordinatione, ſeu electione dirempta, Epiſcopus ſeu Pontifex, ſeu miniſter quiuis alius, nondum eſt, ſed fit; eſt enim *in fieri*, & in via ad eſſe ſuum, nondum *in facto eſſe*, vt aiunt, ſeu in eſſe cõpleto, ſtabili, permanenti. Quare & perridiculum & periniquum eſt, ſtatum eius & naturæ illius conditionem ex eo tempore diiudicare, quo nondum eſt, & ex ſtatu illo fluxo, & inſtabili, & dimidiato metiri, vt alibi queſti ſumus. Atque hinc manifeſtum, ni fallor, diſcrimen patet inter Eccleſiaſticas electiones, & Ieſuitici inſtituti ſuſceptionem. Nec enim Ieſuiticorum votorum emiſſio partem vllam

S. Leo ep. 89 ad Epiſcopos Viennenſ. prou. &c.

Digitized by Google

Eccleſiaſticæ & Hierarchicæ poteſtatis religioſo confert, nec eſt initium actionis Hierarchicæ, qua religioſus ad munus Eccleſiaſticum iam efferri cœperit; ſed habet ſe inſtar meræ potentiæ, & quidem remotæ, donec religioſus talis paratus ſit, & probè inſtructus ad ordinem Sacerdotalem, & ad eũ ab Eccleſiæ Prælatis admittatur. Non ergo Sacerdos, nec in gradu Sacerdotali poſitus dici poteſt, niſi valdè impropriè, ac remotiſſimè, eo modo quo materia dicitur quodammodo eſſe omnia, quia quarumlibet formarum eſt capax; quamuis ſimul dicatur quodãmodo eſſe nihil, quia per ſe nullam habet; Epiſcopus verò, aut Pontifex, aut Parochus, aut Cardinalis, electi, etſi nondum conſecrati, Pontifices, Epiſcopi, Parochi, Cardinales, iam ſunt *actu*, quamuis adhuc imperfecto & incompleto, per actualem videlicet Põtificiæ, Epiſcopalis, Parochialis, Cardinalitiæ poteſtatis Hierarchicæ collationem perpetuam ex ſe ac ſtabilem, licet inchoatam & dimidiatam, & ad alterius partis conſortium ſuaptè natura velut anhelantem. *Aug. l. 12. Confeſſ. c. 7. & 8.*

Ex quibus omnibus nemini puto non eſſe perſpicuum, quàm non ſolùm arroganter, ſed etiam indoctè Ieſuita ſocios ſuos nondum imbutos ſacris Ordinibus, & adhuc laïcos, comparet cum Pontificibus maximis, Epiſcopis, Cardinalibus, Electis, vt vel hi ex Hierarchia abeant, vel ſocios iſtos eodem quo ipſi admittuntur iure, recipiant. Ac profectò pudendum eſt ſcientificum illum Ieſuitarum gregem, diſciplinarum principatũ affectantem, ingeniorum

Digitized by Google

velut ſeminarium quoddam vndiquaque quibuſuis artibus colligentem, in argumento tam leui, tam ſpongioſo, tam fœneo, tam imperitiis diffluente, vt in præcipuo contentionis iſtius fundamento immorari. Omnes enim ſaxum hoc idem voluunt & reuoluunt, ſaxeis verè mentibus & obduratis, quas probi horrent, faceti rident, ſoli ſemidocti ſuſpiciunt.

SPONGIA.

Dicet aliquis, Concilium Tridentinum loquitur de Hierarchia Eccleſiaſtica *diuinitus inſtituta: at hæ religiones non ſunt diuinitus inſtitutæ in particulari; non igitur pertinent ad Hierarchiam Concilij Tridentini, ſeu diuinitus inſtitutam. Reſpondet in primis S. Bonauentura libro cui titulus*, Cur fratres Minores prædicent, *his verbis:* Sedes Apoſtolica ad obuiandum præfatis periculis remedium ſubuerſione animabus pereuntibus prouidit, quod Diuina ordinatione quoſdam religioſos ordines inſtituit, qui officio prædicationis & confeſſionis ſibi commiſſo ſubueniant indigentiæ populorum, & inſufficientiæ Clericorum. *Hæc doctor Seraphicus, Gerſonis teſtimonio omnium ſecuriſſimus. Et in Apologia pauperum dicit, Ordines Mendicantes à cœleſti Hierarchia miſſos, ſubcœleſtis debuit approbare.*

Responsio.

D. Bonauenturæ ridicule iterum illudis, & lectoris ſimplicitati inſidiaris; ſed inſidiis more tuo inſulſis,

patentibus, craſſis. Nam ſicut tu vrges illa verba, *diuina ordinatione;* ſic ego viciſſim illa vrgeo; *ſedes Apoſtolica hoc remedium prouidit, religioſos ordines inſtituit &c.* Nam ſi ſedes Apoſtolica hoc remedium prouidit, ſi has religiones inſtituit, quomodo diuinam iis inſtitutionem vindicabis, quas D. Bonauentura Eccleſiaſticæ, & Apoſtolicæ inſtitutioni acceptas referat? Hunc tu cuneum, ni fallor, ægriùs repuleris, quàm nos tuum. Vin' ergo D. Bonauenturam cor duplex, & duplicem ſtylum intra paucas voces habuiſſe? pugnaſſe turpiter ſecum? ſibi manus, quod inſanorum eſt, attuliſſe? Hoc ſcilicet neceſſarium eſt vt tu ſis innocens. O difficilem perditamque innocentiam! Ergo ipſe locus, & ipſa verba quæ citas clamant, religioſorum ordinum, de quibus S. Bonauentura agit inſtitutionem, ab ipſo ſedi Apoſtolicæ aſſignari. Quod autem ait hanc illos ordines inſtituiſſe *ordinatione diuina;* & facillima atque obuia ſententia eſt, id diuino quodam motu factum, quali ad omnia bona opera impellimur; & ipſemet hunc ſenſum patefacit paulò ante operosè diſputans & probans, *Nequaquam caſu, ſed prouidentia Dei geſtum eſſe quod ſtatus euangelizantium pauperum mitteretur in mundum ad conſeruanda & diſpenſanda documenta ſcripturarum &c.* Ergo *diuina ordinatione* geſtum ait, quod *diuina prouidentia* geſtum erat, aduerſus eos qui hoc tanquam caſu & temere factum arguebant. Eadem ratione dicit illos Ordines *à cœleſti Hierarchia miſſos* eſſe, quod non ſine nutu Dei prodierint. Ac certum eſt omnes generatim Eccle-

ſiæ miniſtros, ſi eo modo quo æquum eſt, ac iubet Deus, ad miniſterium adierint, à Deo miſſos eſſe, non tantùm remota quadam miſſione per ſuos in Eccleſia miniſtros, ſed etiam proxima & immediata per motus & ſermones intimos Spiritu gratię, & Spiritu ſancto, qui digitus Dei eſt, in hominis corde inſcriptos. Hæc enim eſt illa lex, quam Pontifex Maximus *priuatam legem* vocauit, *quæ inſtinctu ſancti Spiritus in corde deſcribitur*, quæ *dignior* ſit quàm *publica lex*, eique longe præferri debeat. Quare non ſola externa miſſio ſufficit, etſi neceſſaria eſt, ad piũ & Deo placens miniſterium, ſed ſimul interna miſſio, quam Deus ipſe interiùs inſtillet, exigitur; ita vt miniſtri non tantum ab eo manifeſtè per Miniſtros & Eccleſiæ præſides, ſed etiam ab ipſomet intrinſecùs per Spiritus ſancti impulſionem mittãtur. Quod Dionyſius exemplo Chriſti, Aaronis typi Chriſti, Apoſtolorum, & primi ab Apoſtolis conſtituti Matthiæ Iudæ ſucceſſoris, adeò egregiè expoſuit, vt aliorum teſtimoniis facilè interim ſuperſedere poſſimus. Alioquin miniſterium; vtcumque aliis vtile, ipſi miniſtro inutile, noxium, damnoſum eſt. Atque hanc ob cauſam docuerunt SS. Patres Eccleſiaſticũ miniſterium, non ſolùm ambiri, ſed nequidem appeti poſſe; & Eccleſiæ miniſtros non tam ab hominibus, quàm ab ipſo Deo & vocari & fieri. Et hæc ipſa cauſa fuit cur ſanctorum alij externæ vocationi conſenſerint, alij reſtiterint, vt SS. Thomas, Bonauentura, Gregorius, Bernardus, aliique; vt præclare à Nazianzeno animaduerſum eſt, apud quem multa

Vrbanus 2. 19. q. 2. c. duæ ſunt.

Dion. Eccleſ. Hier. cap. 5. ſect. 3.

Greg. Naz. orat. 1. Vide & Greg. Mag. in lib. Reg. lib. 4. c. 5.

in

in hunc locum egregia legi poſſunt. Ideò non ſolùm de externa vocatione, ſed etiam de interna acceperunt Patres illum Apoſtoli locum, *Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Eoque ſenſu dixerunt Miniſtros omnes diuina voluntate, ordinatione, imperio creari. Nec tamen ideo quiſquam infert eos omnes & ſingulos propriè & proximè diuina electione, & diuina approbatione conſtitui. Quare nimis imperitè, & nimis pueriliter tricaris. Conſule tuum Soarium, & diſce ab eo, quonam modo Societatem ſuam & humanæ inſtitutionis eſſe fateatur, & ſimul ſpeciali Spiritus ſancti, vt auctoris, inſtitutione fundatam. Putidum eſt huiuſmodi nugas Facultati Pariſienſi opponi, quæ à quouis Theologiæ tyrone exſufflari merentur.

Heb. 5. & S. Dion. ib. Vid. Cyp. ep. 69. ad Pup.

Suares lib. 1. de Inſt. Soc. c. 4.

Aliter etiam diuina ordinatione conditæ fuiſſe dici poſſunt religiones, de quibus ſcribit S. Bonauentura, quia à Romano Pontifice, cuius auctoritas & poteſtas à Deo eſt, inſtitutæ & approbatæ ſunt, vt idem ibi adiicit, quaſi ſeipſum exponens: Ita vt diuina ordinatione natæ dicantur, quia à diuino principio, ſeu diuinitus poſito, natæ ſunt. Hoc modo Imperatores, etiam Chriſtiani, leges & ſanctiones ſuas interdum diuinas appellarunt, & hac ipſa in eas appellatione nonnunquam Concilia vſa sũt, non quaſi Imperatores deos facerent, ſed quia Regum & Imperatorum poteſtas à Deo eſt, *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt* poteſtates, *à Deo ordinatæ ſunt.* Ita denique traditiones Apo-

Concil. Chalced. Act. 11. paſſim.

Rom. 13.

ſtolicæ, Conciliorum definitiones, expoſitiones ſanctorum Patrum, non raró diuinæ vocatæ ſunt. Sed hæc nihil ad Spongiam, nihil ad Tridentini locum, qui Epiſcoporum, Presbyterorum, Miniſtrorum Hierarchiæ inſtitutionem diuinam vocat, non generali iſta & tralatitia ſignificatione, ſed propria, ſingulari, quod per ſe à Chriſto ipſo vt proximo authore manarit.

Conc. Epheſ. par. 1. de ep. S. Leon. ad Fean.

Ad alterum S. Bonauenturæ locum, Eccleſiam Religioſorum quoſdam ordines approbare debuiſſe, iam ante abundè reſponſum eſt. Nec quicquam ſupereſt vnde ex hoc loco Ieſuita ſuum typhum, ſuam audaciam, & ingratitudinem in Sedis Apoſtolicæ beneficia ſingularem adumbret ac tegat. Simili prorſus loquendi genere à Gelaſio Papa ſcriptum eſt: *Si quis Monachus fuerit qui venerabilis vitæ merito, Sacerdotio dignus videatur, &c. ab Epiſcopo debet eligi, &c.* Non quod Epiſcopus electionem Monacho debeat; ſed quod Monachus, niſi ab Epiſcopo eligi non poſſit, illiuſque electione neceſſariò egeat, vt ad Sacerdotium euehatur, & eum deceat eligi quem venerabilis vitæ virtus ſpectata commendet. Pleni ſunt huiuſmodi locutionibus non libri tantùm omnis generis, ſed etiam conſuetudo & vita communis, quam à Ieſuita ignorari turpe eſt, à Spongia planè conuenit.

Gelaſius 16. q. 1. c. ſi quis monachus.

Digitized by Google

SPONGIA.

Sed quia, vt monuit Caietanus, Non omnes capiunt verbum iſtud: *Ideo aliter dico, Hierarchiam Eccleſiæ eſſe diuinitus inſtitutam, quoad ordines Epiſcoporũ, Sacerdotum, & Diaconorum; non eſſe tamen diuinitùs inſtitutam in particulari, quoad omnes ſtatus, inſtituta, officia, qui his ordinibus annectuntur. Alioqui Parochi non erunt de Hierarchia Concilij Tridentini, cùm eorum officium non ſit immediatè diuinitùs inſtitutum, ſed ab Eccleſia in ſubſidium Epiſcoporum excogitatum, vt ferè omnes Theologi conſentiunt.*

Responsio.

Nunquamne ſcriptorum quorumlibet, & in primis ſacroſancti Concilij Tridentini authoritatem, ludificari deſines, quo inuito Hierarchiam Eccleſiaſticam, non totam diuinam diuinæque inſtitutionis, ſed partim diuinam, partim humanam, è variis materiis inſtar Nabuchodonoſoris ſtatuæ compactam, è diuerſis naturis, velut monſtra, concretam facis? Quid hoc aliud eſt quàm fœdare Hierarchiam, Concilium naſo ſuſpendere, vel potius ſine circuitione calcare? Tridentinum enim diſertè Hierarchiam ponit, *Diuina ordinatione inſtitutam, ex Epiſcopis, Presbyteris, Miniſtris conſtantem*; tu multo maximam, aut permagnam eius partem, diuina inſtitutione conditam negas, vt ambigua eius inſtitutio fiat, diuina an humana dicatur.

Quid enim ſi præter Epiſcoporum, Sacerdotum, Diaconorum ordines, quibus ſolis diuinam inſtitutionem largiris, cætera omnia inſtituta, officia, ſtatus, quæ diuinæ inſtitutionis non eſſe vltro fateris, in Hierarchiam congerantur. Si Hierarchia tot ex partibus humanitùs inſtituta ſit, ex tribus duntaxat illis diuinitus; quo iure diuinam potius, quàm humanam illius inſtitutionem prædicabis? Sicut enim hominem ſpiritualem non dicimus, etſi pars eius nobiliſſima ſit ſpiritus; ita ſi pars Hierarchiæ diuina, pars humana fuerit, & quidem multo maxima pars, nulla dubitatio ſupererit, quin Hierarchia conuerſa humanæ potius quàm diuinæ inſtitutioni aſcribatur. Bonum enim ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus, vt præclare à Dionyſio noſtro dictum eſt.

S. Dion. de diu. nom. c. 4 Τὸ ἀγαθὸν ἐκ τῆς μιᾶς καὶ τῆς ὅλης αἰτίας, τὸ δὲ κακὸν ἐκ πολλῶν καὶ μερικῶν ἐλλείψεων. Hoc eſt, *Bonum ex vna & integra cauſa; malũ ex multis & particularibus defectibus.*

Neque quicquam ſuffugij reperiſti in latebra, quã fruſtra quæris in Parochorum inſtitutione, vtramlibet opinionum, quæ de ea circumferuntur, elegeris. Si enim Parochorum munus diuinæ inſtitutionis eſt; quod certè, quicquid tu latres, qui nihil niſi tuos ſapis affectus, probabiliſſimum eſt, & agnoſcit Suarez tuus, ne tu temeritatis indoctæ notam apponi tibi mirere, qui in contrariam partem *fere omnes Theologos conſentire*, qua mente omnia ſoles, effutias; Quod etiam euidentius falſum agnoſces ex omnium confutatione quæ tu in iſtam doctrinam comminiſci potueris; Si hoc, inquam, verum eſſe ponas, nihil obiectioni loci eſt. Sin aliud arrideat, nihilo plus efficies quod conaris. Nam Parochorum officium,

Digitized by Google

ſi minus inſtitutionis diuinæ ſeorſum in ſe eſt. At eſt in Epiſcopo; non ſolùm quia ab Epiſcopo ſit inſtitutum, vt alia quæuis Epiſcopalia inſtituta; ſed quia in ipſo Epiſcopo incluſum à Chriſto eſt, vt in fonte ac plenitudine Eccleſiaſticæ & Hierarchicæ poteſtatis, cuius Parochialis poteſtas eſt decidua pars ab Epiſcopo in Parochum, vt à fonte in riuum, transfuſa, ſine detrimento tamen aut imminutione, eo modo quo res ſpiritales transfunduntur & communicantur, vt è Septuaginta ſenioribus Moyſis ſpiritu imbutis, illibata Moyſis plenitudine facilè intelligitur. Nam iuxta hanc opinionem Deus inſtituit Epiſcopatum, vt ſummam & plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, in ſuo quemque tractu, quam Epiſcopus in miniſtros pro Eccleſiæ commodo diffunderet. Itaque miniſtrorum poteſtas, (de poteſtate iuriſdictionis agimus: nam poteſtatem ordinis Miniſtri omnes proximè à Deo habent, ideoque ex hac parte nulla hîc diſceptatio eſt, ne ſint diuinitùs inſtituti, & Hierarchia ipſis conſtans, diuinæ inſtitutionis) miniſtrorũ inquã poteſtas ſic ab Epiſcopo fluens, diuinæ eſt, non humanæ inſtitutionis, quia eadem riui eſt, quę fontis natura, eadem vis cauſæ principalis & inſtrumenti; eadem miniſtrorum regiorum & regis poteſtas; quæ comparatio eſt S. Thomæ. Quod intuens Apoſtolus omnes generatim regum miniſtros & ipſos reges, eorumque omnium poteſtates ſub vno præcepto complexus eſt, ſimul de vtriſque pronuncians, *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo; quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Rom. 13.

Quod eadem ratione ad miniſtros Epiſcoporum transferendum, ex ſententia quæ officia Eccleſiaſtica minora Epiſcopo à Chriſto ipſo ſeorſim inſtituta eſſe negat. Ita enim omnis omnium miniſtrorum poteſtas Epiſcopi eſt, ipſi à Deo data, ab eo aliis commodata; adeóque in quoſcumque deuenerit, ſiue in Parochos, ſiue in Archidiaconos, alioſue miniſtros Epiſcopales, eadem eſt eiuſdemque naturæ & inſtitutionis, ac poteſtas ipſa Epiſcopalis; nec ab ea differt niſi fluxu & emanatione, & plenitudine, prorſus vt riuus à fonte, vt pars potentialis à toto. Vnde cùm officium Parochiale nihil ſit aliud niſi poteſtas Parochialis; & hæc ſit pars Epiſcopalis poteſtatis diuinitùs inſtitutæ; ſequitur parochorum officium eſſe inſtitutionis diuinæ, & à Chriſto ipſo immediatè inſtitutum, ſi minus ſeorſum & diuiſim, at coniunctim in officio ſeu poteſtate Epiſcopali, vt in Miniſterij Eccleſiaſtici totalitate. Idemque de omnibus eiuſmodi Eccleſiaſticis officiis Epiſcopo minoribus dicendum eſt.

Hæc verò ratio vacat in religioſis inſtitutis, quæ neque ſeorſim, neque coniunctim, neque in ſe, neque in alio eiuſdem generis fonte aut toto diuinitùs inſtituta reperiuntur. Chriſtus enim nullum religiòſum cœtum, quo modo hoc nomen vulgò intelligitur, inſtituit per ſe, vt de religionibus Monachorum, comprehenſis etiam Mendicantibus, fatetur Suarez, & de religione Ieſuitica, quam ſolam ille à Chriſto inſtitutam cupit, facile alibi demonſtrabitur, & interim non ægrè concedent vi-

Suarez to. 4. de relig. li. 1. de inſtit. ſociet. c. 5. n. 6. & ſeqq.

ce verſa Mendicantes. Quare vndecumque religioſos ordines intueare, humanæ perſe inſtitutionis ſunt, ſiue ſpectes eorum fundatores, quos homines fuiſſe conſtat; ſiue Eccleſiæ approbationem, à qua in religioſos ordines euecti ſunt, non ſolum vniuerſalis Eccleſiæ autoritate, ſed etiam Epiſcopali particulari, vt de primis ac nobiliſſimis ordinibus ſancti Baſilij, ſancti Auguſtini, ſancti Benedicti, docet Suarez, contrariam Henriquez opinionem, *ſingularem* vocans, *& ſine vllo fundamento cogitatam.* Quod ab eo quidem multo rectius dictum eſt, quàm à Spongia Parochorum officium *ab Eccleſia excogitatum eſſe*, vt in eo inſtituendo Eccleſia rem inutilem, miniméque neceſſariam leuiter temeréque feciſſe, & Parochorum officium contemptibile & commentitium neſcio quid habere videatur. Cuius dicti nemo vnquam probæ notæ Theologus autor fuit.

Suarez to. 3. de relig. li. 2. c. 17. n. 6. 7. 9.

Ex dictis igitur patet quid interſit inter officium Parochorum, & ordines religioſos quoad diuinæ inſtitutionis quæſtionem. Quod videlicet religioſi ordines ad Deum autorem non aliter referri poſſint, quàm quilibet generatim mores aut ritus à Dei & Eccleſiæ miniſtris pro temporum ratione inſtituti: nullo autem modo ad diuinam inſtitutionem immediatam proximamque pertineant. Et quamuis daremus inſtitutos eſſe à Deo, nihilo magis Hierarchiæ diuinitùs inſtitutæ aſcribi poſſent, quia nihil Hierarchicum à diuina illa

Digitized by Google

inſtitutione haberent, ſed inſtituti eſſent velut laïci, & eo modo, quo tota fidelium laïcorum multitudo, cui à D. Dionyſio aggregantur, quæ non ideò ad Hierarchicum ordinem pertinet, quia diuinitùs inſtituta eſt, cùm non quæuis diuina inſtitutio ad Hierarchiam ſufficiat, ſed inſtitutio Hierarchica, ſeu aliquid Hierarchicum ſua vi conferens, requiratur. Vnde Spongia vel non intelligit, quo ſenſu Concilium Tridentinum Hierarchiam diuinitùs inſtitutã dicat; vel æquiuoce diſputat de inſtitutione diuina ad Hierarchiam conſtituendam neceſſaria ex doctrina Concilij Tridentini. Hoc autem modo inſtitutum fuiſſe à Deo Parochorum officium, inſtitutione videlicet Hierarchica, ſeu poteſtatem & vim Hierarchicam continente, iam declaratum eſt. Quia etſi Parochorum officium non ſit diuinitùs inſtitutum ſuo nomine ac ſeorſum, vt ex ſecunda opinione ſupponitur, eſt tamen verè & immediatè diuinitùs inſtitutum coniunctim in ſuo toto, ſeu poteſtate Epiſcopali, in qua officium & poteſtas Parochialis, & quoduis aliud miniſterium Eccleſiaſticum, vt riuus in fonte, vt radius in lumine, vt pars in toto, continetur. Quare Parochi ex vtraque ſententia ad Hierarchiam à Deo proximè inſtitutam pertinent.

SPONGIA.

Dices ſecundò, Illi tantum ſunt de Hierarchia Hierarchizante, qui authoritatiuè Hierarchizant, vel, vt loquitur Gerſon, tanquam dominantes & principantes: at religioſi Hierarchizant quidem ſeu purgant, illuminãt, perficiunt

perficiunt, ſed non authoritatiue, non vt principes verique prælati. Reſpondetur, Concilium Tridentinum *non requirit vt qui ſunt de Hierarchia hierarchiZent vt principes, ſed tantum vt hierarchiZent tanquam vel Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Miniſtri; vnde de Hierarchia ſunt, qui tantum miniſterialiter hierarchizant. Ipſe ſanctus Dionyſius vnum ordinem Hierarchiæ hierarchizantis, ſcilicet purgatiuum, conſtituit ex miniſtris. Igitur hierarchiZatio authoritatiua, ſubordinata, & miniſterialis ſufficit vt quis de Hierarchia hierarchiZante ſit. Alioquin ſi nemo ſit de hierarchia, niſi qui exercet officium Sacerdotis, vel Diaconi vt principis, valde dubium reddetur, an Parochi ſint de Hierarchia, cùm fere omnes Theologi dicant eos non eſſe verè propriéque Prælatos. Nam propriè Prælatus dicitur, qui iuriſdictionem habet in foro externo, quâ Parochi carent, ſeu eam non habet ex iure communi. Hæc Richeriſtæ ſi poſſunt, argumentis confutent, nec tantum vociferari pergant.* Nihil enim facilius, *inquit Hieronymus*, quàm contra quemlibet congerere maledicta, non crimina, ſed cùm ad libros venerit, & pedem pedi contulerit, & vel propoſuerit aliquid de ſcripturis, vel audierit proponentem, tum ſudabit, tum hærebit.

Lalius Zecchius de Rep. Eccleſ. tract. de Prælat. cap. 1.

Epiſt. ad Domnionem.

Responsio.

Age, age ſicut Moliniſtam decet. Effunde imperitias aceruatim, delira, deſipe vltra hominis, certe vltra Theologi, metas: Tum deinde triumpha, inſulta, laceſſe Catholicarum Academiarum

principem Facultatem, vt eam ſcilicet inſolentiſſimæ iſtius ignorantiæ ſtupore percellas. Fateor, recte laceſſis: huius enim ſcientiam inſcitia ſuperas, modeſtiam proteruia. Plus deſipis, quàm illa ſapit; plus cæcutis, quàm illa oculata eſt. Hanc tibi palmam habe, quam nulli vnquam Moliniſtæ argumentis confutabunt, quantumcumque vociferationes & animoſitates innatas attollant. Quid enim minus tuum, quàm Hieronymi illa vox, quæ te miſerum tuopte gladio transadigit? Tu enim *propoſuiſti aliquid de ſcripturis?* Tu aliud quàm cerebri, ſeu Spongiæ tuæ inania ingeſſiſti, iampridem conquerentibus, & exprobrantibus nobis? Tu cum vlla fide *ad libros veniſti*, quorum autoritates prætendere viſus es? ac non ea perfidiæ perſpicuitate quicquid attigiſti, vitiaſti, vt non modò nulla mens, ſed ne vllus quidem ſenſus, aut vllus oculus, hærere potuerit in perſpicienda mendaciorum tuorum, & totius inſipientiæ immanitate? Nemo in his conſpuendis *hærere* aut *ſudare*, ſed tu in obiectandis & *hærere*, & *ſudare*, imò pudore ſuffundi vel ſine aduerſario debuiſti, ſi quid Spongia internoſcere & erubeſcere potuiſſet. Veriſſime enim atque ex animo coram Deo profiteri mihi liquidum eſt, nunquam viſum vel auditum à me tantum infirmitatis & inopiæ tanta procacitate coniunctum.

Verùm vt omnia tibi ſuperiora condonemus, & hæc ipſa quibus nos arroganter prouocas ex-

Digitized by Google

pendamus qualia ſint, vt petulantiam iſtam in ſua ipſa ſede, in *flagranti*, vt aiunt, *delicto*, & in ſuo ipſo triumpho opprimamus; Quæro ex te quam ſcripturam, quem librum, quem Theologum videris qui arguat, *Eos tantùm eſſe de Hierarchia hierarchizante*, vt loqueris, *qui authoritatiue hierarchizant*, vel, vt Gerſonem loquentem facis, *tanquam Dominantes & Principantes?* Cedo vnum tam nouæ argumentationis authorem. *Sudare* tibi potius & *hærere* neceſſe eſt. Tu enim indoctæ & ineptiſſimæ obiectionis fictor es; Tu monſtri huius parens primus; hoc ſucco ſola Spongia *exſudat*; in ſolo tuo pectore hæc cogitatio *hærere* potuit. Quid enim minus Theologicum quàm id comminiſci, quo poſito non ſolùm miniſtri omnes inferiores, ſed etiam Diaconi, & ſimplices Preſbyteri Hierarchia exturbantur? Hos enim non *hierarchizare authoritatiue*, *ſeu vt Dominantes & Principantes*, clarius eſt quàm vt vel admoneri debeat. Niſi ſi quis Cardinalis Bellarmini, & poſt eum Appendicis ad Pſeudo-Smithæum ſententiam ſimplices Preſbyteros & Diaconos Eccleſiæ Principibus inſerentem probet, quam alibi nullo negotio nos reprobabimus, & adeo falſam, & Chriſtiano ſenſui repugnantem, conſcientia teſte, viderunt illi ipſi Appendicis ſarcinatores, vt faſſi ſint nunc quidem non habere locum, olim tantum habuiſſe; Tunc enim Preſbyteros & Diaconos Eccleſiæ fuiſſe principes, nunc non eſſe. Quæ fictitij dogmatis moderatio

Bellar l. 1. de Cler. c. 11. Append. n. 11. pag. 160.

& conformatio tam commentitia quàm ipſa inuentio eſt. Non enim Preſbyterorum poteſtas ab antiquo in tempora poſteriora decreuit, ſed creuit ſenſim potius, contra quam Epiſcopalis poteſtas ſenſim extenuari viſa eſt, vt cuiuis harum rerum non penitus imperito patet, & facilè ſuo loco probabitur. Quare obiectio quam Spongia iactat, nullius non modò roboris, ſed neque iudicij eſt, nec ab vllo vnquam Theologo manauit, nec ab vllo non enodanda eſt, nec ab vllo ſine longe maxima hierarchicarum partium euulſione ſeriò inîici poteſt. Hæccine ſunt argumenta, in quibus *ſudare & hærere* debeamus?

Neque tam ſtupidæ obiectionis tibi anſam præberet Gerſon, ſi locum eius quem innuis intelligeres. Tu enim auditor oſcitans, lector iners; Gerſon probus magiſter eſt. Iam ante audiſti qui ſit ſenſus loci Gerſonis, quem tibi explanauimus. Nec enim Gerſon ibi loquens de *authoritatiue hierarchizantibus*, hierarchiæ vim naturamque propriam & adæquatam exprimit, ſed Eccleſiaſticæ poteſtatis ordinaria & ſtabilia capita, per quæ Eccleſiæ gubernatio à ſupremo capite per media minoraque capita ad infima vſque fidelium membra delabitur, enumerat, vt ibi latiùs enucleatum eſt. Erras ergo à fundamento turpiter, neque confutandus argumentis, ſed ſine argumentis docendus eſt. Diſcentem enim credere oportere, tuus Ariſtoteles iam olim admonuit.

Quæ verò tandem ratio fuit, vt obtuſæ argutationi reſponderes, eos qui iuxta Dionyſium in ordine purgantium continentur, ideo non eſſe Principes, ſeu Prælatos, quia Miniſtri ſunt? Quis te docuit, eſſe Miniſtrum, & eſſe Principem, repugnare? Conſule Bellarminum, errore liberaberis, ſi tamen eum audies. Is enim Diaconos principes præſulesque Eccleſiæ fecit, quamuis ſimul miniſtros eſſe non ſolùm Epiſcoporum, ſed etiam Sacerdotum eodem loco fateatur. Quod plus aliquanto fortaſſe eſt, quàm accurata veritas ferat. Ipſe tamen ita ſenſit, nec tibi fas eius authoritatem defugere. Nam id ipſum etiam Smithæanæ Appendicis ſtructores haud dubiè fatebuntur, cùm Diaconos ſaltem olim Eccleſiæ principes fuiſſe conſentiant, quos tamen Miniſtros eſſe ipſum nomen ſatis probat, vt omittam Conciliorum penè omnium iudicia, & hoc ipſum, de quo agimus, Tridentini. Quin & Archidiaconos Prælatos eſſe iam ferè omnes dicitis: nec tamen Miniſtros eſſe quiſquam negat. Nam ab Innocentio III. doctiſſimo Pontifice, *oculi Epiſcopi*, & *Vicarij Epiſcopi* appellantur. Idque multo magis de Archipreſbyteris, cùm Archidiaconis minores, eorumque auctoritati ſubiecti ſint, dicendum eſt. Quomodo igitur rectè probas Hierarchicum ordinem purgantium non componi à Dionyſio ex Principibus, quia ex Miniſtris componitur; cùm tot Theologi, ſocij tui, tu ipſe, eos principes, præſuleſque faciatis, quos Miniſtros, Vicarios, miniſteriali authoritate præditos, negare

Bellarm. ſupra.

Append. ib.

Innoc. 3. c. Ad hæc nos de offic. Archid. C. vt Archipresbyter de off. Archipresb.

Spong. pag. 17. & 118.

non poteſtis? Hîc *Suda* Spongia, hîc *hære*; hanc tuorum argumentorum è tuis ipſis argumentis (vt videas quàm non *hæreamus* aut *ſudemus*) confutationem, argumentis vllis, ſi qua, ſiue tua, ſiue à ſociis corrogata habeas, confutare aude, *& erit nouiſsimus error peior priore*.

Poſtremò, quæ te tanta vis animi toties iam, ſine cauſa, voluntario impetu tranſuerſum agit in Parochos, & in approbatam olim à Facultate Pariſienſi de eorum inſtitutione & poteſtate doctrinam; vt in hoc quoque genere tantam inſcitiam, quantam impotentiam tuam arguamus? Quid enim hoc probationis eſt, *Parochos non eſſe verè Prælatos*, quia *iuriſdictionem in foro externo non habent ex iure communi*? Quis tibi hanc ipſam Prælati definitionem probauit? Quam ſi veram putas, *hærebis* profectò, & valdè *ſudabis*, vt probes Abbates Commendatarios Prælatos eſſe, quales ſunt & habentur Romæ, cùm nihil externæ iuriſdictionis in religioſos habeant. *Hærebis* nihilominus, vt probes Archidiaconos eſſe Prælatos, de quibus ſic in Iure decretum eſt à ſummis Pontificibus; *Archidiacono non videtur de Eccleſiaſtica inſtitutione licere (niſi authoritas Epiſcoporum acceſſerit) in aliquos ſententiam promulgare*. Non igitur erunt Prælati per tuam definitionem. Quanquam adeo ignarus & turbidus es, vt ne quidem ea conceſſa, valeas è graui nota indoctæ temeritatis emergere. Nos enim faciliùs Parochos iuriſdictionem in foro externo habere iure communi, quàm tu Archidiaconos, vel Archipreſbyteros, probabi-

c. *Archidiacono*, de offic. *Archid.*

Digitized by Google

mus. Id enim apertè docet ſcholæ princeps: *Presbyteri Parochiales non niſi ex commiſsione eis facta, excommunicare poſſunt*, VEL IN CERTIS CASIBVS, SICVT IN FVRTO, ET RAPINA, ET HVIVSMODI: IN QVIBVS EST EIS A IVRE CONCESSVM QVOD EXCOMMVNICARE POSSINT. Ac ne ſolum D. Thomam id ſenſiſſe, qua es intelligentia, putes; Audi Pontificem Maximum Epiſcopo præſcribentem, *Mandamus quatenus ſi quando Plebanus ſancti P. in Clericos vel Laicos parœcianos ſuos interdicti, vel excommunicationis ſententiam rationabiliter tulerit, ipſam faeias inuiolabiliter obſeruari, & eam ſine congrua ſatisfactione, & abſque eiuſdem Plebani conſcientia non relaxes.* Quo etiam loco verbis paulò ante poſitis, *Plebanos* nomine *Prælatorum Eccleſiarum* complectitur. Et tu ſcribere audebis, *Fere omnes Theologos dicere Parochos non eſſe verè proprieque Prælatos, nec iuriſdictionem externam habere ex iure communi*; quaſi doctor Angelicus, Scholæ princeps, & Romani Pontifices non tibi ſint Theologi? neque verò *Prælatorum* & *Principum* nomen eis abſtulit D. Thomas, ſed tribuit, non fortuitò, non incogitanter, pluribus locis; modò eos *Eccleſiarum minores principes* apertè nominans; modò eos *Prælatorum ordinariorum* nomine bis vno loco comprehendens, vt iam ante monuimus. Ex quo patet gemina falſitas, qua D. Thomam violaſti ad Spongiæ calcem, citans eum, vt probes Parochos non habere externam iuriſdictionem ex iure communi, vt probet eos non eſſe Prçlatos; quibus locis nulla vox, nulla mentio rerum

S. Th. ſuppl. q. 22. a. 1. in corp.

Alex. 3. c. cùm ab Eccleſ. de offic. iud. ordin.

S. Th. 3. p. q. 67. a. 1. ad 2.

Idem 22. q. 188 a. 4. ad 4. & 5.

Spong. p. 169

D. Th. 3. p. q. 22. a. 1. & 2 2. q. 184 a. 8. ad 5.

Digitized by Google

iſtarum, ſed tua tantùm flagitioſa mendacia patent. Videſne ſcholaris Ieſuita, (hoc enim vos nomine compellat veſtri orbis communis magiſter) quàm facilè tua crepundia ſine magno argumentorum impetu, ſine multa vociferatione diſiecta ſint, etſi nulla tanta vociferatio eſt, quin ſi in ſtolidiſſiman tuam proteruitatem conferatur, exigua ſit futura? *Suda, hære*, quantum voles; magnum feceris, ſi laqueos, quibus tibi fauces eliduntur, excuſſeris. Quamquam te nec ariditas *ſudare*, nec temeritas vſquam *hærere* patiatur.

Suarez l. 3. de inſt. ſoc. c. 1. &c.

Denique vt telum vltimum in iſtam errorum, vel potius cæcitatum ſtruem immittamus; nihil agis, dum ais, *HierarchiZationem ſubordinatam & miniſterialem ſufficere, vt quis de Hierarchia hierarchiZante ſit.* Eſto enim; concedatur tibi. Quomodo inde conficis ſocios tuos eſſe hierarchizantes ex ſtatu, ſolo ſuo inſtituto eſſe in Hierarchia, quam *hierarchiZantem* vocas, vel antequam Eccleſiaſtico vllo ordine ſint donati? Tunc enim miniſtri Eccleſiæ, ſeu Epiſcopi, certè non ſunt, cùm nullam Epiſcopalis muneris partem, nullam poteſtatem, nullâ Epiſcopi circa ſe actionem ſuſceperint; quod tamen ad rationem Miniſtri, ſicut ad rationem inſtrumenti, neceſſarium eſt? Miniſter quippe & inſtrumentum ſimillima ſunt, teſte S. Thoma; & Miniſter nihil aliud eſt, niſi *inſtrumentum animatum*. Sicut ergo inſtrumentum nullam per ſe vim habet, niſi quam accipit à cauſa principali; ſic miniſter nullam vim habet, niſi quam accipit ab eo

S. Thom. 22. q. 188. a. 4. ad 2.

cuius

cuius miniſter eſt. Cùm ergo Ieſuitæ ordinis expertes, nihil Eccleſiaſticæ poteſtatis acceperint, ſequitur nec eſſe Miniſtros, nec vim vllam Eccleſiaſticã ſeu Hierarchicam habere, proindeque nec ad Hierarchiam aſpirare poſſe, nec eſſe hierarchizantes, ſeu Miniſtros Hierarchicos. Ita fit vt Spongia, quoquò ſe verterit, non faciliùs ſocios in Hierarchiam, & in hierarchizantium claſſes, euehere poſſit, quàm hæc quæ in eius indiſciplinatam & ineruditam præſumptionem intorquentur, effugere.

Vnum eſt quo ſe belle tueri poſſe videtur, ſi reſponderit, argumentum illud, *Eos tantùm eſſe de Hierarchia qui authoritatiuè hierarchizant, vt dominantes & principantes*, non tam ineptum eſſe, quàm prima fronte apparet, eo quod prolatum ſit vt inſinuetur, quo gradu Ieſuitæ in Hierarchia futuri ſint, ſi in eã admittantur. Clarum quippe, eos non aliter in eæ eſſe poſſe, quàm *vt dominantes & principantes*, quia proprium illud inſigne, quocumque ſe conferunt, trahunt ſecum, vt cæteris dominari, & ſuper omnia quaſi *principantes* eminere concupiſcant. Hoc igitur gradu, vel nullo, in Hierarchiam veniant; Cæſares, aut nulli ſint neceſſe eſt. Si ſui argumenti vim, & inſulſæ in ſpeciem obiectionis congruentiã hoc modo explanare tuerique voluerit Ieſuiticus propugnator, acuminis Ieſuitici famam locabit in tuto, ingenio verè Ieſuitico ſcripſerit, teſte omni orbe, quicumque Cenſores in eius libelli diſquiſitionem incumbant.

PROPOSITIO QVINTA.

Ibidem num. 10.

Regulares ex ſuo instituto ſunt auxiliatores ſubordinati immediatè vniuerſali Epiſcopo, vt adhibeãtur ab eo pro bono vniuerſalis Eccleſiæ; ex natura, inquam, ſtatus eorum, ſepoſitis priuilegijs exemptionum, ſtando in rigore diuinæ inſtitutionis, Regulares immediatè ſubijciuntur Papæ, & liberantur ab Epiſcopis vt Regulares ſunt, ſecundum votum obedientiæ, & Regularium obſeruantiarum, ad quas obligantur voto, regula, & conſtitutionibus.

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt falſa, temeraria, præſumptuòsè aſſerta, authoritatis Epiſcopalis imminutiua, in ſummos Pontifices, & àlios Epiſcopos priuilegiorum authores ingrata, ſchiſmatica, & hæretica.

SPONGIA.

Videamus an non huic Cenſuræ plus caloris, quàm lucis, vehementiæ quàm ſapientiæ inſit. In primis more ſuo malignè & diminutè authorem allegant. Omittunt enim, quod ipſe ibidem dicit ac repetit, Regulares quoad Eccleſiaſticam diſciplinam ſubijci Epiſcopis, non minus quàm alij Clerici ſæculares, ſtando in iure diuino, & ſepoſitis priuilegiis exemptionum: Vnde aſſertio non eſt ingrata, nec ſchiſmatica, cùm agnoſcat priui-

Digitized by Google

legia ſummorum Pontificum, quibus ab obedientia & correctione Epiſcoporum eximuntur, quo ad diſciplinam Eccleſiaſticam, præterquam in quibuſdam caſibus, qui iure præſcripti ſunt. Deinde non negat author ſummum Pontificem & Eccleſiam regulares olim ſubieciſſe Epiſcopis, etiam quoad regularem diſciplinam. Imò regulares ipſi ſua ſponte ſe ſubijciebant Epiſcopo tamquam proprio ſuo ſuperiori, & in eius manibus vota emittebant. Cuius ratio erat, quia tunc Epiſcopi plerique, imò ferè omnes regulares erant, & quid regularium diſciplinæ conueniret experti; quæ ratio ex aliqua parte ceſſauit, poſtquam Epiſcopi cœperunt eſſe ſeculares: & hinc iuſtam cauſam vt regulares ſimpliciter eximerentur à iuriſdictione Epiſcoporum eſſe ſuppeditatam probat Ioannes Lomede Aduocatus Pariſienſis tract. de exempt. cap. 1. num. 18.

Quod autem abſtrahendo à lege Eccleſiaſtica, & ſtando in ſolo iure diuino, non ſubijciantur Epiſcopo, quoad votum obedientiæ, & obedientias ad quas ex ſolo voto tenentur, Doctores tum Scholaſtici, tum Canonici omnium gentium diſertè affirmant. Certè enim, ſi Epiſcopi *eſſent regularium precipui ſuperiores, ijs deberent potius obedire, quàm Abbatibus ſuis. At S. Thomas ſic ſcribit:* In iis, quæ ad diſciplinam regularem ſpectant, Monachus plus tenetur obedire Abbati, quàm Epiſcopo, in his enim ſe voto obſtrinxit Abbati; ſed in iis quæ pertinent ad Eccleſiaſticam ordinationem plus tenetur obedire Epiſcopo. *Ecce clariſſimè Doctor Angelicus affirmat Monachum voto obſtringi Abbati, non* Epiſcopo: *atque adeo quoad votiuas*

In 2. ſent. diſt. 45. a. 3. in fine.

obſeruantias & regulares, teneri plus obedire Abbati. An igitur dicemus S. Thomam temerarium, præſumptuoſum, ſchiſmaticum, hæreticum? Caueant potius Cenſores ne in ipſos illud merito dici poßit; Quæcumque ignorant, blaſphemant.

Responsio.

Nec tuum eſt de ignorantia, nec de blaſphemia loqui, quibus vndiquaque diffluere non diceris, ſed probaris, quocumque oculos toto libro coniicias. Hoc enim inter virtutes & vitia intereſt, quòd de virtutibus loqui, eorum potiſſimùm eſt qui earum vſum habent; de vitiis dicere, præcipuè alienis, tam nemini vetitum eſt, quàm qui illis ipſis teneatur. Quippe lucem ſecum virtus vehit, ſine qua nec ipſam, nec alias videamus: Vitium tenebris circumfuſum eſt, quibus neque ipſum, neque alia cerni poſſunt. Ideo nec tuum fuit Cenſoribus ingerere illud, *Quæcumque ignorant, blaſphemant*, ne non ſolùm exerrare, ſed etiam inſanire videreris; ſed tot errorum conſcientia, qua iam teneris adſtrictus, demittere animos decuit, ſicut reum, ſicut ſui cognoſcentem, ſicut cordatum hominem par eſt; trabemque ex oculo tuo vel eruere, vel eruentibus non obluctari. Neque rurſus illud idem verbum tibi regerere libet, quamuis meliori iure poſſimus. Monemus hoc vnum, vt ſequentia verba memineris, quia tu non tam quæcumque ignoras, blaſphemas, quàm ea ipſa quæ noſti, corrumpis, & in iis corrumperis.

Digitized by Google

Statim enim ab ipſius doctrinæ tuæ ſimulatione & corruptione fallaci defenſionem inchoas, fallaciter expoſtulans tuam ſententiam *malignè & diminutè allegari; Omitti enim quod ibidem dicis & repetis, Regulares quoad Eccleſiaſticam diſciplinam ſubiici Epiſcopis, non minus quàm alij Clerici ſæculares.* Nam primùm hac de re nullum tuum verbum lego in Apologia, non modò iteratum & repetitum, vt ais, ſed ne quidem ſemel dictum. Verba tantùm D. Thomæ ibi lego ea ipſa quæ hîc refers, *ſed in ijs quæ pertinent ad Eccleſiaſticam ordinationem, plus tenetur obedire Epiſcopo*: At vbi *tu ipſe ibidem dicas & repetas, Regulares quoad Eccleſiaſticam diſciplinam ſubijci Epiſcopis non minus quàm alij Clerici ſæculares, ſtando in iure diuino, & ſepoſitis priuilegiis exemptionum*, nuſquam reperio, & Spongioſam iſtam fidem, ac oculorum perſpicaciam, ſeu potius omnipotentiam, quæ quod non eſt, videre poteſt, vehementer ſuſpicio. Deinde totum hoc genus parergum eſt, & ἀπροσδιόνυσον, more tuo πάρεργα plura quàm ἔργα congerendi, vt aliquid reſpondiſſe videaris. Nam propoſitio tua damnata eſt, quòd generatim Regulares ex ſuo inſtituto, ex natura ſtatus eorum, ſepoſitis priuilegiis exemptionum, ſtando in rigore diuinæ inſtitutionis, *auxiliatores* dicat *immediatè ſubordinatos vniuerſali Epiſcopo, & immediate ſubiectos Papæ ſecundum votum obedientiæ & regularium obſeruantiarum, ad quas alligantur voto &c.* Hoc erroneum Cenſoribus viſum eſt, hoc ingratum & impium, ſiue addas regulares ſubiici Epiſcopis quoad diſciplinam Eccleſia-

Digitized by Google

ſticam, ſiue non. Quia non minus impium in Deum, & in ſedem Apoſtolicam ingratum eſt, negare religioſos quoad regularem vitam & obſeruantias Monaſticas ſubiectos eſſe Epiſcopo, perpetuo & communi iure, ab eoque ſingulari Romani Pontificis indulgentia liberatos eſſe; quàm eoſdem non ſubeſſe Epiſcopo quoad generalem externamque Eccleſiæ diſciplinam, vt facilè probabitur, & cuiuis rebus Theologicis vel leuiter imbuto ſtatim ſua ſponte probatur. Quamquam peto concilies mihi id quod addis de ſubiectione religioſorum quoad Eccleſiæ diſciplinam, cum eo quod ait tua propoſitio, *eos eſſe auxiliatores natura ſua immediatè ſubordinatos vniuerſali Epiſcopo, vt adhibeantur ab eo pro bono vniuerſalis Eccleſiæ.* Nam ſi in auxiliatione quam Eccleſiæ præſtant, ſoli Pontifici ſubiacent, cùm ea auxiliatio ſita ſit in functionibus & miniſteriis ad diſciplinam Eccleſiaſticam, & ad præcipuam quidem eius partem, attinentibus; quomodo ſi quoad hanc auxiliationem Epiſcopo non ſint ſubiecti, dici poſſunt Epiſcopo naturâ ſuâ, & citra exemptionum priuilegium, quoad Eccleſiaſticam diſciplinam, non minus quàm alij Clerici, ſubeſſe? Nam alij Clerici in nulla re adeò Epiſcopali poteſtati arbitrióque obnoxij ſunt, quàm in diſciplina Eccleſiaſtica ad opus animarum pertinente: Ad quod opus adhiberi, amoueri, regi, corrigi, ab eo poſſint, prout Eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus ſancitum eſt. Si ergo Epiſcopis minus in religioſos licet ex ipſo eorum inſtituto, & ante omnis priuilegij conceſſionem; ſequitur tum

religioſos minus ſubeſſe Epiſcopis, quàm alios Clericos quoad Eccleſiæ diſciplinam, tum quoad præcipuam nobiliſſimamque partem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſalutem animarum, & miniſterium Eccleſiaſticum ſpectantem, iis prorſus non ſubeſſe. Viderit Ieſuita quo pacto hanc errorum ſuorũ, quaſi anguiũ inteſtinam colliſionem explicet, doceatque ſe ex animo, ex ſinceritate, coram Deo, non ficto pectore, ad minuendam importuniſſimæ hæreſeos inuidiã, coram hominibus tantùm, domeſtica æquiuocorum licentia, hãc nouiſſimam clauſulã ſuæ propoſitioni, quaſi *commiſſuram panni rudis veſtimẽto veteri*, aſſuiſſe. Matt. 9.

Alterum effugium eatenus minus malitiæ criminiſque habet, quã ſtupore & veternoſa ruditate plenum eſt, *Pontificem & Eccleſiã Regulares olim ſubieciſſe Epiſcopis, etiam quoad regularem diſciplinã: Imò Regulares ipſos ſua ſponte ſe ſubieciſſe Epiſcopo tanquam propriò ſuo ſuperiori.* Quis hoc ait? Spongia. Quis probat? Spõgia. Quo teſtimonio? nimirum Spongię, & ſola Spongię fide. Itáne verò non te tantũ, ſed omnes qui tua legerent, Spongias fore putaſti, vt apud eos tam protrita fronte blaterares? Quid enim? ſi perfidiæ, & apertiſſimarũ falſitatũ multitudine, qua propoſitiones tuas pene cunctas inquinaſti, non omnem penitus, vel in rebus veriſſimis, fidem amiſiſſes, pro eo quod ea mẽdacium iuſtiſſima pœna eſt vt nequidem dicentibus vera credatur; tamen iſto modo rem hactenus inauditã, fictitiã, portentoſã, ſine argumẽto, ſine authoritate, tuo ſolo arbitrio ſpargere debuiſſes? O te procudẽdis, quã purgãdis hæreſibus aptiorẽ! Quę in ſũma,

Digitized by Google

exhauſtique pudoris fabula, dum tua tuæque Societatis fama agitur, ne hoc quidem tibi ſolatij reliqueris, vt accuratiùs delirare videreris. Porro commentum tuum ita miſerum eſt, & omnium iudicio qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ elementa delibarint, væcors ac fatuum, vt qui hoc reſponſionis edere ſit coactus, non tam reſpondiſſe, quàm ceſſiſſe, & præbuiſſe iugulum, & cenſuram comprobaſſe cenſeatur. Quis enim primis Eccleſiæ temporibus vnum Pontificem, vnum Eccleſiæ Canonem edat, qui vnũ Regularium Monaſterium priùs immune, Epiſcopi authoritati ſubiecerit? Quis verò cœtum vllum quorumcumque Monachorum ſeu Religioſorum reperiat, qui ſe ſua ſponte, nulla iubente lege, contulerit in Epiſcopi tanquam proprij ſuperioris authoritatem? Vaniſſima ſunt hæc, indigniſſima quæ referantur, ſola obtuſæ peruicaciæ authoritate conficta. Faciliùs inuenias Pontifices [a] qui Monaſteria Epiſcopis ſubdita liberarint: Faciliùs inuenias Monachos, qui vel Epiſcopis inſultarint, cùm eis ſubeſſent, vel omni ope operáque ne ſubeſſent contenderint, repreſſamque à ſanctis Patribus, etiam Monachis,[b] eorum in hoc genere non vno loco licentiam.

Præterea conſtat iam inde ab Eccleſiæ initio, cùm priuilegiorum & exemptionum nomen adhuc nullum eſſet, cùm omnis Eccleſiaſtica ratio ſummo & primigenio ordine ex omni parte decurreret, Monachos Epiſcoporum poteſtati, non ſecùs ac omnẽ fidelium multitudinem, per omnia paruiſſe. Nec in Oriente, vbi primùm Monaſtica diſciplina floreſcere,

a Vid. Greg. Magnum paßim, præcipuè in epiſt. vt lib. 5. ep. 41. &c. & Bernard. l. 3. de conſid. c. 8. & 9.

b Sener. Sulp. dialog. 1. Pet. Damian. l. 8. ep. 11. ad Elorent.

cere, & hinc in alias Eccleſiæ oras propagari cœpit, veſtigium reperias vnde cernatur Romanum Pontificem Monachis Orientalibus immediatè præfuiſſe, aut vllam dediſſe ſignificationem immediatæ in eos potiſſimùm, vt religioſos, curæ aut poteſtatis. Contrà S. Dionyſius Areopogita Apoſtolorum diſcipulus, & antiquiſſimæ diſciplinæ Eccleſiæ teſtis, atque in primis Monaſticæ vitæ Monachorumque in Eccleſia conditionis interpres omnium primus & grauiſſimus, ſcribit Monachos nequidem apud Epiſcopum, ſed apud Presbyteros, Monaſtici inſtituti profeſſionem edere, & Monaſticam conſecrationem accipere conſueuiſſe, vt ſupra declaratum eſt. Cæterùm fuiſſe propriè ſub Epiſcoporum [a] cura & regimine, vt ab iis inſtituerentur, formarentur, ad Monaſticæ perfectionis apicem perducerentur. Hæc prima & antiquiſſima Monachorum in Eccleſia conſtitutio & norma eſt, de qua memoriæ proditum ſit. Nec priorem vllum ſtatum eorum, quantumcumque quæſierint, Moliniſtæ reperient. Similiter virgines ſacras notiſſimum eſt [b] nulla niſi Epiſcopi manu conſecrari velarique potuiſſe; ſub eius vt parentis præſidio tutelâque latuiſſe; ita vt virginum curam in primis Epiſcopalis dignitatis oneribus poſuerit [c] Chryſoſtomus. Legimus item Ambroſium lapſæ à propoſito virgini [d] pœnitentiam imperaſſe, eiuſque & cæterarum virginum

a Ἡ τῶν τελουμένων ἁπασῶν ὑψηλοτέρα τάξις, ἡ τῶν μοναχῶν ἐστὶν, &c. ταῖς τῶν ἱεραρχῶν τελειωτικαῖς δυνάμεσιν ἐγχειριζομένη, καὶ ταῖς ἐνθέοις αὐτῶν ἐλλάμψεσι, καὶ ἱεραρχικαῖς παραδόσεσιν ἐκδιδασκομένη, &c καὶ πρὸς τὰς ἱερὰς αὐτῶν ἐπιστήμας ἀναλόγως εἰς τελειοτάτην ἀναγομένη τελείωσιν. Hoc eſt, *Eorum qui myſteriis imbuuntur, altiſſima claſſis eſt Monachorum, &c. perfectrici Epiſcoporum poteſtati tradita & diuinis eorum illuſtrationibus, & hierarchicis traditionibus edocta &c. ſacráque ipſorum doctrina ad perfectiſſimam perfectionem pro ſuo captu euecta.* S. Dion. Eccleſ. Hierar. c.6.

b Concil. Carth. 2. c. 3. &c. Vid. ſup.

c Chryſ. l. 3. de ſacerd. c. 17.

d Ambr. ad Virgin. lapſ. & paſſim. in li. de Virg.

geſſiſſe præfecturam, non alio animo aut poteſtate, quàm qua Eccleſiæ ſuæ membris omnibus vt paſtor & parens præerat. Innumera huiuſmodi paſſim occurrunt, ex quibus clariſſimum euadit, ab initio Eccleſiæ, & perpetuo primorum temporum vſu, Monaſticæ vitæ ſtudioſos ſub ducibus Epiſcopis militaſſe; eorum regendorum, inſtituendorum, perficiendorumque poteſtatem fuiſſe penes Epiſcopos, non vlla Eccleſiæ aut Romanorum Pontificum lege, de qua conſtet, ſed ſola Paſtoralis officij & muneris Epiſcopalis authoritate.

Tertium denique effugium neſcio quibus vocibus inſequar, qua increpatione contundam, *Pleroſque olim, imò ferè omnes Epiſcopos Regulares fuiſſe*, ideóque Regularium curæ admotos. Superant omnem orationem tot tamque notabiles ſtupiditates, alia ſuper aliam ingeſtæ, imò ſuperant omnem fidem, nec credi poſſent ab ore Ieſuitico, doctiſſimo nimirum cultiſſimóque, manaſſe, niſi ſcriptæ legerentur. Quis enim ſanæ mentis aſſerere audeat aduerſus nobiliſſimam Theologorum Facultatem, inſpectante Eccleſia, totóque orbe, id quod ſæculorum omnium memoria teſte cõfunditur, quodque nec vllo verbo probatur, nec probari poteſt, niſi ad Eccleſiam inuiſibilem aliquam & inuiſibilia hæreticorum ſæcula confugiatur?

Nam primis illis ante omnia ætatibus, quibus Eccleſiam perſecutiones infeſtarunt, hoc nequidem fingi poteſt, cùm per ea tempora non ſine difficultate reperiantur Regulares qui vel in ſolitudine

latuerint, nedum qui *ſuper candelabrum*, in Eccleſiæ Thronis conſpicui fulſerint. Monaſticam quippe diſciplinam data demum Eccleſię pace floreſcere atque augeſcere cœpiſſe quis neſciat, clamantibus vndique & conſentientibus hiſtoriis? Quare ſanctos Ignatium; Dionyſios, Areopagitam, Corinthium, Romanum, Alexandrinum; Gregorium Thaumaturgum; Cyprianum; Petrum Alexandrinum, vt illuſtriores tantùm nominem, Clementem, Victorem, Zephyrinum, Cornelium, alioſque Romanos Pontifices, quis vnquam regulares fuiſſe iactauit. Neque rurſus quarto illo & celeberrimo ſæculo, quo Deus Eccleſiam pace ſimul & ſummorum virorum ſegete fœcundauit, plerique, nedum *pene omnes* Epiſcopi regulares fuerunt. Percurre Concilia generalia, quò regionum omnium celebriores Epiſcopi confluxerant. Numera in iis quos Epiſcopos regulares fuiſſe velis. Ne frontem quidem, ita duram, habiturus es, vt numerum inire audeas, ita vel nulli; vel pauciſſimi ſunt, qui Regulares fuiſſe dicantur. Quod ſi inſigniores huius æui Antiſtites ſeligamus, Athanaſium, Hilarium, Ambroſium, Cyrillos Ieroſolymitanum, & Alexandrinum, Oſium Cordubenſem, Luciferum Calaritanum, Gregorios Nazianzenum & Nyſſenum, Baſilium ipſum Monachorum inſtitutorem & patrem, Damaſum, Innocentium, Cœleſtinum, Leonem Magnum, alioſque clariores Romanos Pontifices & Epiſcopos (vt de Auguſtino nihil dicam) vide

tandem quos in hoc ſanctorum Patrum ſenatu, ex ipſo flore collecto, Monachos regulareſue reperias. Quid quod illi ipſi Patres docuerunt, ſcriptiſque mandarunt, Monachos parum idoneos ad Eccleſiæ munera videri, & paucos admodum ſua memoria extitiſſe, qui ea feliciter adminiſtraſſent? cuius rei luculentum teſtimonium videre potes apud Seuerum Sulpitium, tametſi ex Monacho Archiepiſcopum Bituricenſem, & Galliæ decus. Et ſi mali huius cauſam altiorem quæris, lege Chryſoſtomum ea de hoc negotio commemorantem, quamuis Monaſticæ vitæ non penitus inexpertum, non tamen tuo ſenſu regularem aut Monachum, quæ hoc loco ſcribere non attinet. Atque hanc eandem fuiſſe ferunt nobiliſſimi nuper Pontificis Clementis VIII mentem. Nec longè abludunt alij patres, dum è bono Monacho interdum vix bonum Clericum fieri; nec omnes Monachos Clero dignos, ſed eos tantum qui virtute præcipui & ſpectatiſſimi eſſent, vna voce docuerunt. Denique in Occidentem ſerò admodum Monachi & Monaſteria tranſiere ab Oriente, nempe ex quo S. Athanaſius exul vitam S. Antonij Romæ vulgauit. Nam in Africa nullum Monachorum aut Monaſticæ vitæ veſtigium ad tempus vſque S. Auguſtini cernitur. Nec eorum vlla mentio eſt apud Tertullianum, Cyprianum, alioſque ſuperiores ſcriptores Africæ; ſed virginum tantùm [a] & viduarum. Nam virginum cœtus in Eccleſia antiquiores ſunt [b] quàm Monachorum, viduarum [c] rurſus quàm virginum.

Vid. Seuer. Sulpit. dial. 1. poſt med.
Si quis Clericus fuerit effectus dilatat continuò fimbrias &c.
Chryſoſt. lib. 6. de ſacerd. c. 6. 7. 8.
Aug. epiſt. 76. ad Aurel.
Hieron. ep. ad Ruſt. &c.
a *Tertull. de veland. virg. S. Cypr. de diſcip. & habit. virg.*
b *1. Cor. 7. S. Ignat. ep. ad Philipp. &c.*
c *Act 6. 1. Tim. 5.*

Itaque temeraria nimis, & ſupina, & audax, aduerſaria cauillatio eſt, diſciplinæ ac temporum antiquorum pudendâ ignoratione turgida, ſine mente oppoſita celeberrimæ toto orbe Catholicorum Theologorum Facultati, & ab illius Societatis alumnis oppoſita, qui ſibi literarum & ſcientiarum imperium iampridem ſublimium cogitationum vacuitate ſtruunt, & abiectiſſimæ ignorationis plenitudine confirmare nituntur.

Quanta verò penuria, quanta ieiunitas, quòd in tantæ ignorantiæ patrociniū profertur vnus *Ioannes Lomede*, *Aduocatus Pariſienſis*, vt ſcilicet SS. Patrum, Hiſtoricorum, ſæculorum omnium auctoritas, vnius Pariſienſis Aduocati authoritate vincatur. O Ieſuiticum ſalem, quò tandem ex Anglicano capite auolaſti! Cuius Aduocati nomen ita vulgò Lutetiæ ignotum eſt, vt ipſis Aduocatis & forenſi nationi vix ſit auditum. Nec tenuis metus initiò ſubierat, ne quam in eo nomine fabulam, vt in Hermanno Loëmelio, Franciſco Fontano, Daniele à Ieſu, Smithæo, aliiſque laruis, Ieſuitica ſolertia texuiſſet. Indignum verò facinus, hominis Iuriſconſulti arbitrium in rem Theologicam, grauiſſimam, diuiniſſimam, ab homine Theologo, à Ieſuita interponi, & Theologicæ Facultatis authoritati obijci, vt ſolo eius nomine hæreſeos nota fœdiſſimæ doctrinæ inflicta eluatur. Meminiſſe oportuit, bona Spongia, illum Aduocatum nequidem in arte ſua iudicij aut ſuffragij habuiſſe poteſtatem: Aduocatum fuiſſe, non iudicem: Actiones ipſas &

Digitized by Google

diſputationes forenſes, magiſtrorum præſidumque ſuorum arbitrio ſubmittere debuiſſe. Nedum in re à forenſi ligitio remota, tota Theologorum propria, ſuffragium ei & tabella, quaſi à nouo Prætore Theologico, temerario & imprudenti, ab Hermanno Loëmelio, à Theologo & Profeſſore Ieſuita, dari debuit, & quidem inuito dari, contra ipſius in arte propria, multo magis in aliena, officium & voluntatem. Si quid deflexerat, aut titubauerat, tuũ fuit in aliena regione peregrinantem ſubleuare. Minor in eo culpa eſt ſi quid errauit in re non ſua, quá in te quòd errorem in re tua non agnoſti, quòd probaſti, quòd aliis probandum offeras, quòd eius te præſidio tutum putes, aut ſaltem quòd hominem cites vt iudicem, non vt Aduocatum, hoc eſt, vt ſententiam & ſuffragium ferentem, non vt argumentis & rationibus agentem: Quæ ſi tũ ab eo mutuata educere in aciem auſus eris, nos futiliſſimas copias ſine magno certamine, Deo duce, concidemus.

Magna quoque temeritate gloriaris tuum errorem à Doctoribus, *tum Scholaſticis, tum Canonicis omnium gentium diſertè affirmari.* Quorum tamen mirandum eſt nullum à te è tanta copia depromi niſi Ieſuitam vnum Thomam Sanchez, verè huius opinionis inuentorem. Nam S. Thomam, quem arripis, nos ſtatim non modò eripiemus tibi, ſed etiã eo te iudice contundemus, & tuam fallaciam profligabimus. Initio cùm hanc ipſam opinionem in tuæ innocentiæ ſpecimen protuliſſes, audacia paulò

minore dixiſti; *Hæc eſt doctrina S. Thomæ, Sylueſtri,* Spong. pag. 25.
Thomæ Sanchez, & aliorum plurium, quos ibi author citat: quanquam reuera in Apologia neminem pro ea cites, niſi Thomam Sanchez. Nunc concaleſcente, vt in proceſſu operis, impetu ac fiducia, proclamare non dubitas eam *à Doctoribus omnium gentiũ tum Scholaſticis, tum Canonicis,* & quidem *diſſertè affirmari.* Sic tu in peius proficere ſoles, & priores cogitationes poſterioribus deteriores facere, quibus eas alij meliores efficere conſueuerunt. Nemo eſt harum rerum non ignarus, qui tuæ gloriationis imperitam ſuperbiam capere aut credere potuerit, niſi eã lectorum oculis ſubieciſſes. Nemo enim neq; Theologus, neque Canonicus, author eſt qui hac de re dubitarit, aut quæſierit, aut locutus ſit, ante Thomam Sanchez, cui iſtius & doctrinæ & quæſtionis excogitatio vt primo parenti debetur. De ea apud priores merum ſilentium eſt, è quorum ambiguis duntaxat vocibus, velut inſidioſè captatis, eam elicere conamini, ſed falſis & ineptis argumentationibus, vti demonſtrare non operoſum eſt.

Primò Canoniſtarum neminem profers nominatim: nec ex quoquam eorum quicquam proferre poteris quod ſit ad rem, & non abſit longiſſimè gentium à meta propoſitæ quæſtionis. Nec ſi quicquã appoſitè ad quæſtionem, & ad tui patrociniũ, quod nunquam facies, proferas, tutior ex eo fies à reprehenſione, & à nota veriſſima quàm mereris, niſi doctrinam peſſimam recantes. Quàm enim vniuerſim ſit leuis in rebus Theologicis & dogmaticis Cano-

niſtarum veterum authoritas, quàm eorum volumina Theologicis erroribus & prolapſionibus ſcateant, nemo Theologus admonendus eſt. Vide ergo quàm ſecurus eſſe debeas, cùm eorum præſidiis deficiaris, qui ſi vniuerſi ſuccurrerent, tamen ſaluus eſſe non poſſes.

Quod ad Theologos Scholaſticos attinet, S. Thomas, quem vnum citas, à te & ſine iudicio, & ſine fide proponitur. Sine iudicio quidem, quia verba quæ refers non attingunt id de quo agimus. Etſi enim verba ſonent, *In ijs quæ ad diſciplinam regularem ſpectant, Monachum plus teneri obedire Abbati quàm Epiſcopo;* tamen S. Thomas non addit hoc fieri iure diuino, ex natura religioſi inſtituti, ſepoſitis exemptionum priuilegiis, de quo tota controuerſia eſt.

Deinde ætate S. Thomæ iam percrebruerant per Eccleſiam, & inualuerant religionum exemptiones. Vnde nihil æquius, quàm verba eius accipere de ſtatu religionum qui tunc erat. Quod etiam innuit eius locutio, *Monachus plus tenetur obedire Abbati,* &c. quia *ſe voto obſtrinxit Abbati,* &c. quæ ſatis indicant eum loqui de præſenti rerum ſtatu, & de eo quod tunc erat religioſorum officij. Nam S. Thomam minùs ſolitum in diſputando euagari à conſtituto rerum præſentium ordine, quàm plerique hodie Theologi ſoleant, qui tantum quærendo & inueſtigando prouehuntur, quantum imaginando volitare poſſunt, alibi fortaſſe declarandi locus erit. Atque hunc ſenſum accommodat ipſe

Suarez

Digitized by Google

Suarez iſti loco, *Quod loquatur de religioſis exemptis, quatenus in quibuſdam pertinentibus ad communem Eccleſiæ diſciplinam tenentur Epiſcopo obedire; & quoad illa intelligat eſſe præferendum præceptum Epiſcopi præcepto Abbatis, in cæteris autem obediendum ſit Abbati.* Quid ergo ſibi vult Spongia cum fiducia iſta ruſticana & ſyluestri, qua vociferatur, *Ecce clariſſimè Doctor Angelicus affirmat Monachos voto aſtringi Abbati, non Epiſcopo*, quaſi aut locus S. Thomæ, aut concluſio ipſa quæ inde ducitur eſſet ad rem; cùm nec S. Thomas loquatur, nec ipſa, quod mirum ſit, concludat de obedientia ex natura religioſi ſtatus, ſepoſitis priuilegiis exemptionum, &c. de quibus ſolis agitur? Quænam iſta infelicitas & peruerſitas animi eſt, quæ nec aliorum teſtimonia, nec ſuas ipſas concluſiones ſibi fauentes habet? Hæc de iudicio, cuius penuria locum S. Thomæ à Spongia productum eſſe dicebamus.

Suarez tom. 3. de relig. lib. 10. c. 11.

De fide ſeu fallacia, quicumque S. Thomæ conſuetudinem habent, iam intelligunt. Quid enim iniquius, & fraudulentiæ abiectioris quàm vnicum S. Thomæ locum, in angulo extremâque orâ commentarij in Sententias à iuniore conſcripti retruſum eruere, & ad contentionem ſerendam aucupari, neglectis ac diſſimulatis clariſſimis in Summa Theologica, cui ſenior edolandæ immortuus eſt, in quam quicquid in Theologia luminis & peritiæ maturioris habuit, eſt congeſtum? Nam in Summa non vno loco Ieſuitæ error tunditur & abdicatur perſpicuis verbis. Vbi S. Thomas Epiſco-

S.Th. 22. q. 184. a. 7. in corp. porum & Religioſorum naturas comparans, hos ad illos refert vt patientes ad agentes, vt eos qui perficiantur, ad eos qui perficiant: *Semper*, inquit, *agens præſtantius eſt patiente. In genere autem perfectionis, ſecundum Dionyſium, Epiſcopi ſe habent vt perfectores. Religioſi autem vt perfecti, quorum vnum pertinet ad actionem, alterum autem ad paſſionem.* Et alibi: Ib. q. 185. a. 8. in corp. *Status religionis comparatur ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem.* Quid ais, Spongia? Potuitne clarius? Religioſum ex ſuo ſtatu, de ſtatu enim ipſo loquitur, cum Epiſcopo confert vt patiens cum agente, vt diſcipulum cum magiſtro, vt perficiendum cum perfectore; & tu perſuadere conaberis eum docuiſſe religioſum ſtatum ſuaptè naturâ, in iis quæ ad perfectionem aſſequendam, in quo religionis ſtatus verſatur, pertinent, Epiſcopo non ſubeſſe? Dic eadem operâ patiens non ſubeſſe agenti, nec diſcipulum magiſtro, nec diſpoſitionem perfectioni, ſeu formæ. Ille Dionyſij opinionem de induſtria ſequitur, quem negare non potes religioſos ſub Epiſcoporum cura ad adipiſcendam quam appetunt perfectionem, ex Eccleſiaſtici & Hierarchici ordinis ratione collocaſſe; & tu religioſos, etiam ſine exemptionum priuilegiis, ab eo Epiſcoporum præfecturæ ademptos eſſe affirmas? Ib. q. 86. a. 5. ad 3. Clarius hoc ipſum alibi Doctor ſanctus: *Dicendum quod ſubiectio religioſorum principaliter attenditur ad Epiſcopos, qui comparantur ad eos ſicut perfectores ad perfectos, vt patet per Dionyſium 6. cap. Eccleſiaſt.*

Hierarch. vbi etiam dicit quod Monachorum ordo, Pontificum conſummatiuis virtutibus mancipatur, & diuinis eorum illuminationibus edocetur. Vnde ab Epiſcoporum obedientia, nec Eremitæ, nec etiam Prælati religionum excuſantur. Et ſi à Diœceſanis Epiſcopis totaliter, vel ex parte ſunt exempti, obligantur tamen ad obediendum ſummo Pontifici, non ſolùm in his quæ ſunt communia aliis, ſed etiam in iis quæ ſpecialiter pertinent ad diſciplinam religionis. Hîc profectò ſanctus Thomas perſpicuè confodit errorem Ieſuiticum, & vmbras ſibi offuſas diſijcit, & frontem Ieſuitæ, ſi quam hic Ieſuita frontem habet, vehementiſſimè conterit. Ait enim dilucidè, religioſos *principaliter* ſubiici Epiſcopo *vt perfectori*, eique hoc nomine obedientiam etiam *Eremitas, & Prælatos religionum* debere. Eos duntaxat excipit qui *à Diœceſanis Epiſcopis totaliter, vel ex parte ſunt exempti.* I nunc, Ieſuita, & oſtenta auctoritatem S. Thomæ, fidem tuam, conſcientiæ tuæ puritatem, in qua non plus, quàm in veſte candoris habes. Sic error, ſic hæreſis, non aliis quàm hæreticorum operariorum ſubdolorum, adulterantium verbum Dei & hominum, lucifugarum, verſipellium, artibus defendi poteſt. Quamquam non temerè hæreticum tam bardum reperias, qui errores quantumuis fœdos, non ſpecioſiùs, & ſine tot pudendis ignorantiæ, & oſcitantiæ tenebris, quas tu in hanc Spongiæ particulam quaſi certatim congeſſiſti, tueatur ac vindicet.

Digitized by Google

Sancto Thomæ alius adiungatur Thomas, doctrinæ & verò ſanctitatis laude non obſcurus, Thomas ſcilicet Sanchez, approbatus à Theologis Galliæ etiam ab Epiſcopo in hæc verba:

Nos infra ſcripti Sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, nos operis moralis in præcepta Decalogi R. P. Thomæ Sanchez Cordubenſis, Societatis Ieſu Theologi, tomum ſecundum perlegiſſe, omniaque in illo iuxta Orthodoxam Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione exponi. Lugduni 22. Ian. 1621.

Fr. Robertus Epiſcopus Damaſci, De Ville.

Hunc ergo audiamus huius approbati operis authorem lib. 6. cap. 7. n. 12. ita ſcribentem: Religioſi non tenentur obedire Epiſcopo ex vi voti obedientiæ, etiam ſtando in iure diuino, & ſecluſo exemptionis priuilegio; vnde quoad obſeruantias regulares non ipſi, ſed Abbati ſubſunt. Nam licet attento iure & ſecluſo priuilegio Epiſcopus eſſet eorum ſuperior, & illi ſubeſſent, ſicut omnes Clerici, quoad Eccleſiaſticam diſciplinam, non autem quoad obſeruationes regulares, ad quas ex ſolo voto tenentur. *Ita Sanchez, cum quo ſentiunt plures alij, tum Theologi, tum Canoniſtæ; quos cùm Richeriſtæ tam facilè damnant ſchiſmaticæ & hæreticæ doctrinæ, non poſſum non*

ipſis iterum in memoriam reuocare illud à Banneſio ſapienter dictum; quoſdam Theologos omnia quæ eorum iudicio non conſonant, grauioribus cenſuris inurere; idque tanta facilitate, vt meritò irrideantur. *1. par. q. 1. a. 8. dub. vlt. concl. 1.*

RESPONSIO.

Rideat verò non ſolùm Banneſius, neque ſolùm omnes Theologi, ſed omnes omninò quibus ſana mens, & ſaluus pudor, quòd tu inanes volutans Theologorum & Canoniſtarum ſonos, neminem autem reipſa exhibens niſi Thomam Sanchez Ieſuitam, Socium tuum, erroris tui Magiſtrum & inuentorem, tamen nobiliſſimæ Theologorum Facultatis, & XXXIV. Epiſcoporum conſentiens iudicium, Ieſuitæ vnius iudicio ac nomine præſumptione mirabili, & Moliniſtici ſpiritus incomparabili væcordia præponderari velis. Hic demum Cenſuras tanta authoritate inuſtas oppugnandi modus, & fatuitas, & vilitas, ridenda, exſibilanda, explodenda eſt: nam neque tu in Apologia vllum huius ſententiæ authorem prodis niſi vnum Thomam Sanchez; neque ipſe Thomas Sanchez loco à te indicato vllum eius authorem affert niſi ſe; vt tu non bono magiſtro deterior diſcipulus eſſes, dum doctrinæ ab eo ſumptæ nihil firmamenti de tuo adiicis, ſed æſtus tantum inconditos, & leuiſſimas Theologorum & Canoniſtarum omnium gentium nomine gloriationes, & temeritatis indoctæ plurimũ; à quo tuus Sanchez ſaltem abſuit, doctrinæ iſtius

nouitatem ipſo authoritatum & teſtimoniorum omnium ſilentio palàm agnoſcens. Sed tibi nihil ſapere conceſſum eſt, ne quidem id quod ſapuit magiſter is à quo deſipere didiciſti. Tu enim Spongia, ille homo: Quod illi humanus error fuit, tibi Spongioſa inſipientia factum eſt. Nam vt Thomam Sanchez omnium inſtar habeas, quia videlicet ſcripſit Tomos duos in Decalogum, & vaſtum de Matrimonio volumen, ne quidem de tuis ſociis ſaniores indulſerint. Non ea vis Summariis iſtis ſarcinarum librariarum textoribus, non ea authoritas eſt. Iam iam, ſi neſcis, gemere cœpit orbis tanta verè craſſorum operum, eaſdem nænias ingerentium & inculcantium, quæ quotidie ſine fine cumulantur, mole oppreſſus. Atque hanc temporis felicitatem vnis propemodum Ieſuitis Theologia debet: quorum ab ortu immenſum leuiſſimorum ſcriptorum examen, quaſi odioſa veſparum aut tabanorum acies, ſincero doctrinæ melli, & oculis doctorum infeſta, ſe ſe profudit. Antea pudor aliquis, & aliqua in publicum verecundia erat, nec facilè dabantur in lucem Theologicæ lucubrationes, niſi quæ audiri ſaltem, ſiue legi mererentur: Nunc Ieſuiticæ ambitionis aura, & falſæ gloriæ æmulatio, innumera tenuium ingeniorum millia, velut infimam plebeculam, peſtilenti contage peruadens, pudorem obruit, mentium ſenſus obſtupeſcit, vt ſua propudia publicare, ſuas mundo labes offerre geſtiant, quaſi priuatim peccare nefas eſſet. Quò fit vt ſæculum hoc, quod iſti pro-

priæ gloriæ lenocinio, mirandis laudibus proſequi, & interdum omnibus retrò ſæculis, quibus ipſi nondum erant, anteferre conſueuerunt, non multiplicis, vt aiunt, ſcientiæ, ſed audacis ignorantiæ ſæculum dicere iure liceat. In tantis enim laſciuientium ſcriptorum aceruis, ita paucos, pro illa multitudine, reperias quos perpenſa rerum cognitio, librata iudicij maturitas, dictorum ſuorum alienorumque delectus commendet; ita verò multos, in quibus nihil ſingulare præter promiſcuam loquacitatem, temerariam de rebus ignotiſſimis & minimè meditatis differendi fiduciam, incredibiles à veris puriſque fontibus euagationes, importunè ſolùm repetitos vulgarium cantilenarum ſuſurros, imparia vndique materiis propoſitis ingenia; vt minùs mirari oporteat paucos illos extitiſſe qui ſæculo laboranti ſubuenirent, quàm hoſce tam multos viliſſima imperitiæ mercimonia palam proponere auſos eſſe, quibus rude vulgus, & ſemi-doctórum turbam, quæ longè maxima eſt ac ſemper fuit, indúcerent. Neminem nomino, neminem priuatim inſector, ne quis verba mea in conſcientiam trahat ſuam. Atque vtinam hanc tandem ſæculi, & potiſſimùm Theologiæ noſtræ calamitatem, cui Typographiæ facultas anſam non paruam dedit, reſpexerit numen aliquod, ſeu cœleſte, ſeu humanum, ſeu vis aliqua potentior manantium à Deo poteſtatum, quibus ſolis tam effuſa infrænium ingeniorum intemperantia, vel dixerim furor,

percelli poſſe videtur. Omnium verò maximè intolerandi ſunt illi *Theologiæ Moralis*, *Inſtitutionum moralium*, *Moralis operis*, *Moralium præceptorum*, compilatores, pene omnes Ieſuitæ, quorum Societati neſcio quo fato innatū eſt, vt ex ea quotannis iſtiuſmodi operum ſtolo aliquis luxuriet: Ipsâ enim ſpecie præferunt ac denuntiant quiddā inſolens & eximium, quod à ſcholarum puluere & triuiis, à pingui Minerua, à vulgi ſapore abhorreat. Cæterùm ſi penetralia ſcrutere, nihil habes niſi meros fucos, vulgatiſſima cantica, elementa quotidiana ſcholarum, eandem illam quæſtionum congeriem D. Thomæ commentatoribus tritam & ſolemnem, detractis duntaxat laciniis quibuſdam tenuioribus, qua magis theoreticas ſubtileſque dicunt, quamuis vnius reuera indolis, & ſi minùs materia, forma tamen, & ſpiritu, & tractatione, ſimillimæ ſint. Itaque *Inſtitutionum moralium*, & *decalogi* nomine, Summam S. Thomæ recoquunt & refingunt, inopum cauponum inſtar, quos idem opſonij genus in plura fercula diſpertiri penuria penuaria compellit: Quo etiā modo variatis tantùm nominibus *diſcuſſionis Nicolai Smithæi*, *Apologiæ Danielis à Ieſu*, *Spongiæ Hermanni Loëmelij*, *Querimoniæ Eccleſiæ Anglicanæ*, *&c.* replicarunt & retorſerunt eadem putidè & imperitè, quæ vtiliùs, honeſtiùs, validiùs, ſub vno ſemel nomine protuliſſent. Sed eorum iudicia ambitio diſtinet atque implicat, nec ſui ſæuus amor patitur maculas quas quiuis alij in eorum operibus vno obtutu peruident ac mirantur, ipſorum oculis pateſcere:

cere:

cere : prorſus vt inſanæ matres, prolium informes artus & manifeſtiſſima vitia, quę cæteri intuentur & miſerantur, ne quidem admonitæ agnoſcunt, ſed affectus vehementiâ dementes etiam defenſare & exoſculari amant.

Hæc dicta ſint in præſumptionem peruicacem & effrontem, qua Ieſuita Thomas Sanchez à Ieſuita opponitur vniuerſæ Pariſienſi Facultati, & tot ampliſſimorum Epiſcoporum conſeſſui, eo ſolùm nomine (nihil enim aliud video quo tanta petulantia ferociat) quia Thomas Sanchez edidit denſum opus de Matrimonio, & duos in Decalogũ moralis operis Tomos. Quamquam de illo opere Matrimoniali hoc etiam dicere ſpeciatim poſſumus, eſſe opus non gloriandum, ſed pudendum; tam immani curioſitate, tã inuiſa in rebus ſpurciſſimis, & infandis, & monſtroſis, & diabolicis perſcrutandis ſagacitate horrẽdum, vt mirum ſit pudoris alicuius hominem ea ſine rubore ſcripſiſſe, quæ quiuis modeſtioris ingenij vix ſine rubore legat. Portenta iſta ſunt, non ſcripta; animorum inſidiæ, non mentium ſubſidia; incentiua libidinum, ſchola flagitiorum, non honeſtæ diſciplinæ, non ſcientiæ Chriſtianæ inſtrumenta. Infœlix ſcientia, quæ omnes perdere, paucos iuuare nata eſt. Quæ circa ſordes & ſterquilinia voluenda & reuoluẽda volutatur, vt eius doctorem iure cum ſcarabęo conferas, vel cum iis qui latrinariam factitant, vel qui eius artis fuſiſſima & minutiſſima volumina graphicè conſcribenda ſuſcipiant. Quamquam eo illud tetrius & odioſius eſt, quia corporum fœces moleſtiam

& turpitudinem breuiorem habent; illa animorum purgamenta, illa venereæ totius ſentinæ indagatio, & ante legentium oculos effuſio, non fœditatis modò permultum, ſed periculi & perniciei multo amplius vehit, quo animi vel ipſa inuſitata & inaudita turpitudinis nouitate moueantur. Quare more ſuo faciunt Collegij Granatenſis Ieſuitæ dum priori tomo Moralis operis, cum infinita quadam & minimè verecunda operis iſtius Matrimonialis laude præfantur. In primis dum nomine Clemētis VIII Pontificis iactare audent, neminem ſuperioribus omnibus ſæculis dubias de Matrimonio controuerſias vberiùs & limatiùs, quàm ſcilicet Thomam Sanchez enodaſſe; vt plurimos vaniſſimæ illius ſuperbiæ, de qua iam ſæpe diximus, teſtes domeſtico præconio colligant. Sic enim nihil minus quàm omniū rerum primi eſſe ambiunt, & paſſim Socios iis ſcientiæ & ingenij laudibus propalam ſine pudore augent & accumulant, vt dū ſingulas ſeorſum laudationes legimus, ſinguli nulli pares, doctrinarum doctorumque omniū principes, videantur. Equidem ſi de vberrima & ſubtiliſſima ſpurcitiarum omnigenarum ventilatione agitur, nemo vnquam eam laudem Thomæ Sāchez eripiet, quin omnium primus ſacramentum Matrimonij cum tanta cogitationum ſermoniſque licentia, imaginatione potiùs quàm iudicio duce, verſarit, quantā ante ipſum Eccleſia ab initio Chriſtiani nominis nec viderat nec audierat. Modeſtiores fuerunt ſemper Eccleſiaſtici tractatores, non obliti Apoſtoli vocem, *Fornicatio autem & omnis immunditia &c.* Epheſ. 5.

Digitized by Google

nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo &c. Ideoque ſi quando neceſſitate adacti ſunt, vt de illis loquerentur, parcè reſtrictéque locuti ſunt, vt facilè & coactum ſermonem cerneres, & rerum iſtarũ implacabile quoddam odium atque auerſationem, & timorem caſtum ne ſe alioſue illarum aſpectu & velut contrectatione fœdarent. Nec tanti fecerunt ancipitem iſtam & periculoſam coniugalium arcanorum, flagitiorum, piaculorumque ſcientiam. Maluerunt iſta neſciri à paucis, quorum fortè intereſſet; quàm ſciri à plurimis ad peſtilentiſſimæ curioſitatis illecebram, ad cupiditatum fomitem, ad publicum dedecus, dum promiſcuè maximis voluminibus ante ora omnium propoſitis explicantur. Nam & rarò vſuuenit, vt talium nefandorum cognitione ſit opus; & cùm vſuuenit, tutiùs viri probi, Eccleſiaſticarum rerum peritiores conſuluntur, qui iſta ex æquo & bono, & ex Eccleſiaſticæ diſciplinę comparatione diiudicent; quàm ex libro quopiam publicè noxio aut periculoſo, vbi aliquid generatim tantum, aut obſcure, aut à præſenti negotio remotè, vt fere accidit, ſcriptum ſit, quæſtionis fortaſſis diuerſiſſimæ expoſitio priuato cuiuſque iudicio repetatur. Atque ita hactenus obſeruarat Eccleſia, donec Thomas Sanchez ſuperiorum ſæculorum caſtiorem modeſtioremque conſuetudinem ſpernens, prodigioſo volumine, velut cloaca ingenti, fanda infandáque conuoluit, vt ſi priorum omnium Theologorum verecundiam pudoremque ſoluiſſet, eorum ſcientiam ſuperaſſe dice-

retur à ſociis, à Ieſuitis, prætento etiam tam dementi iactationi doctiſſimi & ſapientiſſimi Pontificis nomine, quem Moliniſticæ præſumptioni non admodum fauiſſe notú eſt. Nam quod Ieſuita adiicit Thomam Sanchez fuiſſe *ſanctitatis laude non obſcurum*; neque ipſe ſanctitatis iudex idoneus eſt, pręcipuè in Socio: & ſi maximè Sanchez fuiſſet ſanctus, non ideo fuiſſet, quia effuſiore quàm priores vlli ſpurcarum quæſtionum licentia ſacramentum Matrimonij vẽtilauit, & Eccleſiæ virgini penè ruborem incuſſit, & hæreticis quotidianarum in eam contumeliarum, ludibriorum, inſultationum materiam largitus eſt.

Atque hæc à me (Deum teſtor) non ea mente dicuntur, quaſi Thomæ Sanchez nominatim, aut cuiquam alij detractum cupiam; etſi nihil dico niſi manifeſtum, publicum, à cordatis viris, à melioribus Theologis ſæpe deploratum; ſed ad neceſſariã enormis arrogantiæ, & ſtultiſſimæ ambitionis Ieſuiticæ compreſſionem, qua Ieſuitas omnes hominum maximos, incomparabiles, per omnia principes circumferunt, & Ieſuitam vnum noui erroris inuentorem, quorumcumque aliorum iudiciis, quantiſcumque authoritatibus æquiparandum, & ſine dubio pręferendum arbitrantur.

Illud etiam in primis fatuum, quod morale iſtud Thomæ Sanchez opus à Theologis Galliæ duobus, quorum vnus Epiſcopus, approbatum obiiciunt; ideoque Thomam Sanchez vocant *approbati operis authorem*. Fatuè, inquam, vrgent authoritatem vnius Theologi aduerſus integram Facultatẽ Theologicã;

Digitized by Google

vnius titularis Epiſcopi, aduerſus ampliſſimum Epiſcoporum cœtum. Quid enim inſulſius, quàm eum qui celeberrimæ Facultatis, tot tantiſq; Theologis pleniſſimæ, ſententiam nihili faciat, vnius Theologi opinionem extollere? qui tot Epiſcopos petulanter inſectetur, vnius Epiſcopi nomen ſuſpici velle? Quid hoc aliud eſt quàm ludere ac ſpernere vniuerſas authoritates, & ſuam iis peruicaciam libidinemque præferre? Si quid ille Epiſcopus, ſi quid ille Theologus humani paſſus eſt, Epiſcopalis conſeſſûs, Theologicæ Facultatis fuit erigere lapſantes, confirmare nutantes, vt ſæpius factum eſt. Minor enim authoritas maiore regitur, & *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.* Ne- 1. Cor. 14.
que ille ipſe Epiſcopus, ille ipſe Theologus aliter ſentiant, aut alia mente illud opus approbaſſe putandi ſunt. Neque porrò mirandum eſt vnum & alterum Theologum in opere Ieſuitico approbando, quod fortaſſis non legerunt, ſed ſolo Ieſuitarum teſtimonio & authoritate, & factione probarunt, hoc vno decepti, quòd eos pluris fecerint quã par eſſet, aliquid grauiore notâ dignum præteriſſe; cùm ipſi Theologi Ieſuitarum, ipſe eorum Prouincialis, ipſe eorum Generalis, nuper approbarint mõſtroſum Ieſuitæ Garaſſi opus, in quo innumeri errores, incredibiles falſitates, antiquæ & nouæ hæreſes, pluribus editis Tomis ad oculum demonſtratæ ſunt; ipſorummet Ieſuitarum conſenſione tacita, qui conſtanti ad hanc diem ſilentio ea omnia crimina, eos omnes non ſolùm Garaſſi, ſed etiam

Digitized by Google

Prouincialis, & Generalis, & Theologorum Ieſuiticorum errores ac labes confitentur. Eat nunc Spōgia, venditet duorum Theologorum librum Thomæ Sanchez approbantium iudicia: Colligat malè in eo hæreſes, communi tot Epiſcoporum & Theologorum iudicio denotari. Prius tamen probet errores & hæreſes non eſſe à tota penè ſua Societate probatos in ſumma Franciſci Garaſſi. Reſpondeat tot Tomis ea de re ſolidè perſpicuéque conſcriptis. Refellat Cenſuram Facultatis Pariſienſis in ipſum illum librum editam; cuius Cenſuræ dolore atque infamia, ex eo tempore animoſa Societas ſolito impotentiùs in integerrimam Facultatem exæſtuat. Aut ſi hoc nec ipſa poteſt, nec ſociorum eius quiſquam adhuc potuit; patiatur æquo animo nos ſuam futilitatem, & improuidas obiectiones, & effugia miſerrima, inopiam & vltimas anguſtias clamitantia, aſpernari.

PROPOSITIO SEXTA.

Ex cap. 5. §. 2. n. 11.

IN Eccleſia ſub Chriſto viuente in terra 72. Diſcipuli proximi erant Apoſtolis, ideoque qui propriè ſuccedunt 72. Diſcipulis, & illis ſimillimi ſunt, ſunt in Eccleſia in proximo gradu ad Epiſcopos, qui ſuccedunt loco Apoſtolorum. Hi ſunt Regulares, vt S. Thomas probat, &c. Ac paulò poſt, *Regulares ſunt ſimillimi 72. Diſcipulis, ac ita propriiſſimè ſuccedunt eorum loco, & conſequenter præferendi ſunt illis, quorum labores &*

munera ſunt ſub iuſſu particularis Epiſcopi, & ex ſtatu & vocatione aſſignantur vni paruulæ particulæ particularis Eccleſiæ.

CENSVRA.

Iſta propoſitio in quantum ad miniſteria Eccleſiaſtica regulares ratione ſtatus, religioſi propriiſſimè 72. Diſcipulis ſuccedere aſſerit, eſt noua, falſa, temeraria, præſumptuosè aſſerta, contra communem Conciliorum, & Patrum doctrinam, & imponit S. Thomæ. In quantum verò authoritate proximo gradu regulares Epiſcopis ſubiungit, falſa eſt, temeraria, erronea, & ordinis Hierarchici deſtructiua.

SPONGIA.

Satis ferociter & ardenter, ſed etiam infeliciter & fortaſſis hîc etiam ipſos ſuæ Cenſuræ pigebit, cùm perſequantur erratum præli, quod author notauerat. Imponitur enim authori quod dicat Religioſos propriè ſuccedere ſeptuaginta duobus Diſcipulis quoad munera Eccleſiaſtica & miniſteria; cùm dicat ſuccedere quoad labores & charitatem. In Anglico quidem habetur Labours and charges, *hoc eſt*, Labores & munera, *ſed aberrauit prælum, nam loco* charges, munera, *poni debuiſſet* charities, *hoc eſt*, opera charitatis, *& hoc inter errata numeratur, vt videre eſt in Catalogo erratorum linea* 28. *verbo vltimo.*

Digitized by Google

Hinc apparet vt Collectori & Cenſoribus nimij impetus, & ardores mentem eripuerint. Nam vbi ſtatuiſſent tanta ferocia fulminare in authorem, ſi quid ipſis conſilij & animi compoſiti infuiſſet, primò omnium errata conſuluiſſent, eaque calamo emendaſſent, ne fortè ridiculè & inſulsè, aduerſus errata præli (vt nunc factum) fulmineos globos torquerent.

RESPONSIO.

Quantum *nimij impetus & ardores* valeant ad *eripiendam mentem*, ex illis ipſis quæ modò dicere audes, audaciſſima Spongia, omnes oculis faxò videant. Nam dum expoſtulas impoſitum tibi eſſe à Collectoribus & à Cenſoribus, nequiſſimè & ſtupidiſſimè imponis non ſolùm Collectoribus & Cenſoribus ſimul, ſed etiam, quod mirum eſt, tibi ipſi. Audi modò ſingulas probationes: Triplici enim crimine, velut tridente, confoderis. Primùm Cenſoribus imponi à te dico, dum quereris te argui, quaſi dicas, *Religioſos ſuccedere 72. Diſcipulis quoad munera Eccleſiaſtica & miniſteria*, eo quod velis ſuccedere, *quoad labores & charitatem tantùm*. Teſtor oculos tuos, lege ſi potes Cenſuræ verba, in quibus vocem, *munera*, non reperies, ſed ſolùm *miniſteria Eccleſiaſtica*. Cui tu voci vocem *muneris* interſeris ſolita fide, ne querimoniæ ſtultitia & proteruitas prima fronte pateat. Nam quantùm inter *munus* & *miniſterium* interſit, ſolæ fortaſſis Spongiæ neſciunt. *Munus*, ſtabilem dicit & ordinariam poteſtatem: *Miniſterium*, quamlibet functionem alterius

Digitized by Google

rius nutu ac poteſtate ſuſceptam. Vnde religioſi *muneres* carent, *miniſterio* præditi ſunt, cùm à Præſulibus adhibentur. Non igitur Cenſores imponunt tibi, ſed tu Cenſoribus, in quos adeò emotâ mente, & turbido affectu es, vt eorum verba vel legere neſcias, vel inſulſo errore confundas.

Cenſores enim prudenter admodum vt tua effugia præcluderent, generali *miniſterij Eccleſiaſtici* voce vſi ſunt, qua omnis Eccleſiaſtica functio, ad quãcumque rationem aut obligationem pertinere dicatur, continetur. Vocem verò *officij*, aut *muneris* omiſerunt, ne tu ſociique, qui anguino more aucupamini rimas, & magis voſipſos quàm veritatem expedire cogitatis, aliquem exitum quæreretis in voce, quæ reuera vobis non conuenit, tametſi tu eam ipſam tibi arroges, vt paulò poſt dicendum eſt.

Collectoribus deinde, ſeu potius interpretibus, imponis, expoſtulans quòd vitiũ Typographi in te conferant, vertentes *labores & munera*, pro *labores & opera charitatis*, quia nimirùm tu tantùm dicas religioſos ſuccedere diſcipulis, quoad *labores & opera charitatis*, non quoad *munera*. Qua in re mentem illã à te ipſo exigo, quam tu per *nimios impetus & ardores* iis *ereptam* eſſe vociferaris. Nam profectò vel tibi nihil mentis eſt, vel relectâ modò tuâ propoſitione vides verba illa, *labores & munera*, in ea non tribui religioſis, ſed Curatis & Paſtoribus. Sic enim habet propoſitio, *Regulares præferendi ſunt illis, quorum labores & munera ſunt ſub iuſſu particularis Epiſcopi.* Quibus verbis à te deſcribi Curatos, quorum labo-

Digitized by Google

res & munera conſtringi dicis intra nutum Epiſcopi particularis, ſi tu negas, omnes vident, ſi tu vides, omnes te conſilij inopem, mente caſſum perſpiciũt, qui præcipitante animo, furore neſcio quo percitus, ne perlecta quidem quietis oculis propoſitione tua, eas voces corruptas ais, & affictas regularibus contra tuum propoſitum, quæ in ea propoſitione ad Curatos manifeſtè referuntur, ad religioſos ſine ingenti hallucinatione referri non poſſunt. Iam cùm de Curatis agitur, clarum eſt nihil intereſſe an dicas, *labores & munera*, an *labores & opera charitatis*, cùm vtrumq; Curati habeant. Vnde correctio illa ſpongialis, pro *munera*, ſummutans, *opera charitatis*, inutilis eſt, nec quicquam ad rem pertinens, cùm vtrolibet modo locutio verè conueniat Curatis, quibus ſolis tribuitur. Atque ita querela Ieſuitæ, & atrocium verborũ barbara turbulentia, perſpicuo labantis animi ſtupore nititur; Et crimen eſt humana execratione, & diuina vindicta obruendum, eum cui animus tam miſerè ruat, & cæcutiat, & motuum vehementia ſurſum deorſum raptetur, in ipſa illa fœdiſſima cõmotione vltrò exclamare eos qui ipſius errores verè referant, iuſtè increpent, mentem ardoribus & nimio impetu amiſiſſe. Nam contrà Interpretes multo aptius ad mentem eius verterunt, *labores & munera*, vbi de parochis ſermo eſt, quàm *labores & opera charitatis*. Nam Daniel obligationem charitatis negat Curatis, iuſtitiæ tantùm obligationem ex officio ac munere concedit. Et quamuis poſtmodũ, obuelandi erroris gratia, in Spongia addiderit eos

Spong. pag. 77.

tamen ad opera charitatis obligari, ex iuſtitia videlicet, nos tamen oxymoron iſtud ſupra retudimus, & ſeipſum euertere probauimus. Quare tantum abeſt vt interpretes Ieſuitæ mentem detorſerint aut diſſimularint, vt contrà rectius eam ceperint & expreſſerint quàm ipſemet, correctionem intempeſtiuam ingerens, & primam ſuam ſcriptionem poſteriore malè commutans, vt quod vitium typographicum vocat, ſit vera ſinceraque locutio; quod autem emendationis nomine affert, vitium potiùs emendatoris cenſeatur. Adeò, infœliciſſima Spongia, quoquò te vertis, à re, à fide, à te ipſa diſcedis. *Ad Prop. 9. tit. 3. de Epiſc. & Curat.*

Denique tibi ipſi à te imponi dicimus, ſeu tuam doctrinam æquiuoca perfidia de more tranſuerti, dum negas te dixiſſe religioſos *ſuccedere 72 Diſcipulis quoad munera Eccleſiaſtica & miniſteria.* Quid enim aliud tibi vis illis verbis propoſitionis, *Regulares ſimillimi ſunt 72 Diſcipulis, ac ita propriiſſimè ſuccedunt eorum loco?* ſicut ais ibidem de Epiſcopis, *eos ſuccedere loco Apoſtolorum.* Quis non videt te eodem modo tota propoſitione conferre religioſos cum diſcipulis, quo Epiſcopos cum Apoſtolis, nempe ſucceſſores cum anteceſſoribus? niſi turpiſſima æquiuocatione propoſitionem obtenebraſti, ne intelligi poſſet? Nam ex verbis quidem tuis nemo aliud percipiet, niſi qui te ſanorum hominum more non loqui ſupponat.

Cur enim tantopere hoc loco fugis tribuere religioſis *munera & officia Eccleſiaſtica,* niſi ad maiorem

Digitized by Google

ſimulationem & fallaciam, cùm in Apologia, eo ipſo capite, vnde propoſitio, de qua núc agimus, ſumpta eſt, ea illis tribuas ex ſtatu & gradu ipſorum? nam, *Religioſi vt tales*, inquis, *munere aliquo in Eccleſia funguntur*. Et infra, *Regulares vt tales, non tantum officium habent, ſed officiorum præcipuum, nempe, vt animarum perfectionem adiuuent*. Ex quo patet non ſolùm fictitia tua ſimulatio quoad vocem *muneris & officij*, quam nunc videri vis non dare religioſis; ſed etiam patet te verè religioſos ſucceſſores facere 72 Diſcipulorũ, *quoad officia & munera Eccleſiaſtica*. Eos enim quoad ſtatum & gradum, quem in Eccleſia habent, ſucceſſores dicis diſcipulorũ, ideóq; quoad ſtatum proximos Epiſcopis, ſuperiores Parochis. In eorum autem ſtatu *munus, & officium*, vt vocas, *præcipuũ* & præſtantiſſimum includis, vt ex tuis verbis declarauimus. Manifeſtum igitur eſt te eos parochis anteponere, & diſcipulorũ ſucceſſores facere quoad munus illud, & officium quod in eorum ſtatu & gradu continetur. Niſi fortè non quoad totum eorum ſtatum, ſed tantùm quoad aliquã illius partem eos ſucceſſores dicis diſcipulorũ, & parochis præſtantiores.

Apol. c. 5. 5. 1. n. 5.

Iam iam ferendæ nobis ſunt, & æquiori animo in poſterum tolerandæ hæreticorum perfidiæ, & mendacia, & ſubdolæ artes, quas perpetuis reſponſionibus à Catholico, à Theologo, à Ieſuita omnium ſociorũ ſtudiis opibuſque ſubnixo, vel ſuperari, vel omni ex parte exæquari videamus. Nemo enim hæreticus turpiùs tergiuerſatus eſt, audaciùs mendacia, & fallacias toto orbe ſpectante profudit.

Digitized by Google

Quòd autem religioſi, qui ſunt inſtrumenta Chriſti in terris Vicarij, in vniuerſum orbem mittenda, vt loquitur author, ſint quoad labores & charitatem ſimillimi 72 Diſcipulis, & in hoc ipſis ſuccedant, apertiſſime traditur à S. Thoma. 2. 2. q. 188. art. 4. ad 5. vbi dicit non ſolùm Presbyteros Curatos ſuccedere diſcipulis, ſed etiam alios minoris ordinis qui Epiſcopis in eorum officio deſeruiunt: non autem legitur, *inquit*, quòd 72 Diſcipulis Dominus aliquas determinatas Parochias aſſignaret, ſed quod mittebat eos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus. *Hæc S. Thomas, duplicem rationem inſinuans, ob quam regulares ex inſtituto ordinati ad prædicandum ſimiliores ſint 72 Diſcipulis quàm Curati. Vna eſt, quia ſicut 72 mittebantur immediatè à Chriſto Domino, non ab Apoſtolis, ita regulares immediatè à Chriſti Vicario, illique ſe voto obſtringunt, quod attinet ad miſſiones. 2. Sicut Diſcipuli mittebantur in omnem regionem & locum, nec erant determinatis Parochiis aſtricti; ita regulares iſti ordines inſtituti ad prædicandum, ſunt ſummi Pontificis inſtrumenta ſalutis & prædicationis in orbem vniuerſum. Quis autem neſcit bonum quo vniuerſalius, eò melius eſſe? hoc etiam expreſſe docet Caietanus 2.2.q.188.art.4.ad 3. Dicit enim hoc magis conuenire delegatis, quàm Curatis. Et D. Fontanus Concionator regius libro quem iam nominaui, Regulàres eſſe 72 Diſcipulis ſimiliores, quàm ſint Curati, probat 7. rationibus ex ſancto Vincentio ſumptis.*

RESPONSIO.

Hæc omnia ſunt leuiſſimarum ſtipularum inſtar, quæ qualibet aura diſſiliunt ac diſſipantur.

Primò locus S. Thomæ de Religioſis nihil habet. Tãtùm loquitur de *Presbyteris Curatis*, & generatim *de aliis* MINORIS ORDINIS *qui Epiſcopis in eorum officio deſeruiunt*. Quibus verbis ſi Ieſuita intelligi velit Regulares, vt verè intelliguntur, quamuis ipſe id non probet, vide quãta eius doctrinæ, hoc ipſo loco traditæ & aſſertæ, ruina paratur. Si enim per eas voces, *& alios minoris Ordinis qui Epiſcopis in eorum officio deſeruiunt*, D. Thomas intellexit regulares; primò ſequitur Regulares eſſe inferioris ordinis quàm Parochos, ex D. Thoma, quem tamen Ieſuita adducit vt probet religioſos eſſe ſuperioris ordinis quã Parochos proximos Epiſcopis, ſimillimos 72 Diſcipulis. Sequitur Secundò, eoſdem Regulares deſeruire in officio Eccleſiaſtico & ſalute animarum non ſoli Pontifici, ſed etiam Epiſcopis, & eorum labores ſubeſſe nutui particularis Epiſcopi, & ipſos eſſe inſtrumẽta Epiſcoporum, & ab iis mitti, non à ſolo Pontifice, contra perpetuam Moliniſtæ toto libro, & hoc ipſo loco gloriationem ac faſtum. Ecce quibus conditionibus Regulares admittuntur à D. Thoma in eorum numerũ qui formam teneant 72 Diſcipulorum: Nẽpe iis quibus tota doctrina Ieſuitica, ad cuius cõfirmationem citatus eſt, confutatur ac diruitur. Quanquam verbũ *ſuccedendi*, abeſt ab hoc loco S. Thomæ; qui nõ docet Regulares *ſuccedere 72 Diſcipulis*, vt falsò Ieſuita ponit, multo minùs *propriiſſime ſuccedere*, vt eſt in dam-

Digitized by Google

nata propoſitione, ſed tantùm eorum *tenere formam*, id eſt, eorum aliquã ſimilitudinem gerere, & cum iis comparari poſſe. Conſultò enim vſus eſt generaliori locutione, qua Parochi ſimul & religioſi caperentur. Nam quæ tandẽ erit iſta *ſucceſſio*, aut *propriiſſima ſucceſſio* regulariũ ad 72 Diſcipulos, quibus nulli regulares tanta tot ſæculorum intercapedine, qua Eccleſiæ miniſterium, ſine religioſis & Monachis geſtum eſt, ſucceſſerunt? Extant clariſſimi Conciliorũ & Patrum Canones, quibus omnis Eccleſiaſtica adminiſtratio regularibus per multa ſæcula interdicitur. Fatetur id S. Bonauentura ſuprà citatus: & id ipſum egregiè inprimis docuit libello aureo Romæ probato, Pariſiis edito vir Apoſtolico ſpiritu venerabilis. Archiepiſcopus Philippẽſis, in fœderatis Belgij Prouinciis Vicarius Apoſtolicus, de quo iam initio dictũ eſt. Vbi ergo regulariũ ſucceſſio iſta tunc latebat? vbi hærebat? vbi velut opera interrupta pendebat? tam multis ſęculis 72 Diſcipuli præcipuis ſuis maximiſq; ſucceſſoribus toto orbe caruerunt? Hęc ſunt hæreticorum figmẽta: in iis hæc deliria ridemus: ad quæ turpiſſimũ eſt compelli Ieſuitas, vt iſtius regularis *ſucceſſionis*, & *propriiſſimæ ſucceſſionis* cõmmentum tueantur. Nã Eccleſia Catholica nullam veram aut *propriiſſimã ſucceſſionem* agnoſcit, niſi perpetuam, perennem, nũquam interciſam: & hoc ipſo iſtam regularium ad 72 Diſcipulos Ieſuiticam ſucceſſionem, immani hiatu laceram & claudicantem, reſpuit, eodéque loco habet quo improbas & cõmentitias hæreticorum ex Apoſtolis primiſque Apoſtolorũ Diſcipulis ſucceſſiones.

Digitized by Google

Itaque explanato loco S. Thomæ, & pulſis ignorantiæ nebulis, quibus Ieſuita eum obducere geſtiebat, facilè eſt duas illas rationes diffringere, quas indidem elicuit; quæ ex iis quæ diximus iam nutant, & ſua ſponte corruunt. Nam ſi 72 Diſcipuli non ab vllo Apoſtolo, nec à Petro quidem, ſed ab ipſo Chriſto miſſi ſunt; quomodo ex S. Thoma conferas cum iis regulares, quos S. Thomas docet non ſolùm à Pōtifice, Petri non Chriſti ſucceſſore, ſed ab Epiſcopis mitti, iiſque *deſeruire*? nec ſolùm ab Epiſcopis, ſed etiam à Parochis, cùm doceat *regulares prædicare, confeßiones audire, authoritate Prælatorum, ſuperiorum & inferiorum, ad quos ex officio pertinet*; &, *ſubſeruire Prælatis in tali miniſterio*, eſſe regularium proprium? Nam Prælati ſuperiores & inferiores, ad quos ex officio pertinet prædicare & confeſſiones audire, nulli ſunt niſi Epiſcopi & Parochi, vt per ſe patet, & ex S. Thoma pluribus antè dictum eſt. Quid igitur ſimile eſt Regularibus, iuxta S. Thomam non ſolùm Pontificis, ſed etiam Epiſcoporum, Parochorum authoritate ac miſſione prædicantibus, & ſacramenta miniſtrantibus, cum 72 Diſcipulis, nullius Apoſtoli, ne quidem Petri, ſed ſolius Chriſti Domini miſſione inſtructis? Quantæ dementiæ eſt errorem, quem S. Thomas tot partibus iugulat, hoc ipſo loco qui obiicitur, ei tribuere, & ex eius dictis probare conari? & vt à doctrina S. Thomæ, de qua tamen ſola hîc agitur, diſcedamus, & ad propriam Ieſuitæ opinionem veniamus, tãta eius infirmitas eſt, vt ne quidem ſtare queat per ſe, ſed propria diuulſione, quaſi monſtra

S. Thom. ib. a. 8. ad 2.

ſtra

Digitized by Google

ſtra perimatur. Nam vt demus Regulares à ſolo Pōtifice mitti, ei ſoli ſubſeruire, ei ſoli ſubeſſe in miniſterij Eccleſiaſtici functione; tamen hoc ipſo manifeſtè different à 72 Diſcipulis, qui cum Paulo dicere poterant, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum*, cuius ſolius authoritate mittebantur. *Galat.* 1. At Regulares mittuntur à Petro, hoc eſt à Petri ſucceſſore, ab homine qui non ſit Deus. Non igitur ſimiles ſunt, nec ſuccedunt hac ex parte Diſcipulis; nec eorum miſſio cum miſſione Diſcipulorum conferenda eſt, cùm miſſio Diſcipulorum eſſet iuris diuini, miſſio verò Regularium ſit humani & Eccleſiaſtici iuris, ideóque diuerſiſſima à miſſione 72 Diſcipulorum. Quod argumentum validè vrgeri poteſt aduerſus Ieſuitam ex ſententia quæ Parochorum officium & poteſtatem diuinæ inſtitutionis ac diuini iuris facit, vt hac ex parte Parochi cum 72 Diſcipulis ſimillimi, Religioſi diſſimillimi comprobentur.

Secunda ratio nihilo pluris eſt. Nam ſi Ieſuitæ in orbem vniuerſum mittantur, non igitur in eo ſimiles ſunt nec ſuccedunt Diſcipulis, qui nunquam in totum orbem à Chriſto miſſi fuerunt. Non enim generatim *in omnem regionem & locum* miſit eos Chriſtus, vt ait Ieſuita Euangelium adulterans, exemplo Franciſci Fontani, ſeu P. Bineti Sodalis ſui, de quo infra, à quo hanc corruptelam mutuatus eſt. Nam cùm Chriſtus primùm mittens Apoſtolos præceperit eis & interdixerit, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraue-* *Matt.* 10.

Digitized by Google

ritis, ſed potius ite ad oues quæ perierunt domûs Iſraël; cùm profiteatur, ne quidem ſe miſſum eſſe *niſi ad oues quæ perierunt domûs Iſraël*; ſequitur non miſiſſe Diſcipulos in totum orbem, cùm iis ampliorem miſſionem non dederit quàm illo tempore Apoſtolis, aut quàm ipſe ſibi tunc ſumeret, Euangelio manifeſte prædicante Chriſtum non miſiſſe Diſcipulos *niſi in omnem ciuitatem & locum quò erat ipſe venturus.* Quo ex textu Ieſuita, ducem quem diximus ſecutus Binetum Patrem reſecuit poſtremas voces, *quò erat ipſe venturus*, & pro, *in omnem ciuitatem & locum*, vt in Euangelio eſt, refinxit *in omnem regionem & locum*, vt hæreticorum more Euangelium interpolans & maculans, ſacrilegiis ſuos errores conſpergeret muniretque. Cæcus cæcum ſecutus eſt; ambo in foueam ceciderunt. Talia documenta, non feliciora ſperare debuerat à Bineto iſto, ſi eum noſſet, cuius in eo loco quem citat, Euangelici textus labes & profanationes congeſtæ ſunt velut in aceruum ita multæ & craſſæ, ita fidentibus ferocibuſque verbis inflatæ, vt ab homine ipſa ſtoliditate ſuperbienti fluere videantur. Nam primò ex Euangelio Lucæ affert quaſi de 72 Diſcipulis dictum, *miſit eos prædicare*, quod in toto Euangelio nuſquam eſt. Item illud de iiſdem, *nolite portare ſacculum, neque peram, neque pecuniam in Zonis &c.* quod iſto modo nuſquam etiam legitur. Prior quidem pars 72 Diſcipulis dicta fuit à Chriſto; ſed poſterior, *neque pecuniam in Zonis*, ſolis Apoſtolis: nec Bineto licuit mimicam ſuam licentiam in

Matt. 15.

Luc. 10.

Libellus inſcriptus Franciſci Fontani, *authore Bineto Ieſuita, pag. 196. & 197.*

Matt. 10.

Euangelium vſque protendere, & ex verbis partim S. Matthæi, partim S. Lucæ, nouum textum quaſi quinti Euangeliſtæ conflare. Falſatum etiam illud, *neque baculum, neque calceamenta*, quod à Chriſto mittente Diſcipulos nuſquam dictum eſt, nec in vlla Euangelij parte reperitur. Legimus ſolùm apud Mattheum hęc verba Chriſti ad Apoſtolos cùm eos mitteret, *Nolite poſſidere aurum &c. Neque calceamenta, neque virgam.* Matt. 10. Quæ ſine dubio anſam præbuerunt Bineto, vt eum induceret 72 Diſcipulis præcipientem ſuum illud, *neque baculum, neque calceamenta.* Ex hoc ſpecimine, & ex tot tamque pinguibus intra paucos verſus flagitiis, & Euangelici textus contaminationibus ſacrilegis, diſce, lector, quis quantuſq; vir ſit P. Antonius Binetus, & quantus ſit in illo opere quod toties à bona Spongia citari audis, & ex quo tot laciniæ, quaſi laceræ olidæque veſtis, ad tegendam Ieſuitæ Anglicani cæterorumque ſociorum inopiam, ad velandam turpitudine turpitudinem, depromuntur.

Quid iam dicam de 7. illis rationibus quas Spongia laudat, & quas ſola Bineti fide credi vult eſſe S. Vincentij, quaſi egregiè probent Regulares eſſe 72 Diſcipulis ſimiliores quàm Parochos? Quæ ſanè rationes ita Binetum & eius acumen ſapiunt, vt prima, & velut cæterarum caput ponatur, *Regulares ire binos*, ſicut 72 Diſcipuli *bini & bini* miſſi ſunt. Vnde inferri poterit, Regulares, ſi terni aut quaterni, aut plures mittantur, vt ſæpe fit in miſſionibus longinquioribus, non fore amplius 72 Diſcipulorum

ſucceſſores, nec iis ſimiles: & cùm concionator regularis laïco fratre miniſterij experte comitatus incedit, deſinere eſſe Diſcipulorum ſucceſſorem, quia ſolus eſt, nec ſocium habet miſſionis participem, vt Diſcipuli habebant.

Secunda eſt, de Diſcipulis dictum eſſe, *miſit eos prædicare:* quod & improbe falſum fictumque à Binetio diximus; & ſi maxime verum eſſet, ſtultum foret dicere id magis Regularibus conuenire quàm Parochis, cùm his eo magis conueniat, quod ex officio, & ordinaria poteſtate conuenit, Regularibus extraordinaria tantùm & precaria, Parochis ipſis concedentibus.

Tertia eſt, miſſos eſſe Diſcipulos *in omnem ciuitatem & locum &c.* quem item locum tum impie truncatum, ſuppleto in vocum eliſatum locum captioſo &c. more hæreticis vſitatiſſimo, tum imperite à vero ſenſu detortum eſſe oſtendimus, cùm Diſcipuli non miſſi ſint in vniuerſum orbem. Quamquam neque in hoc ipſo regulares habent quo ſeſe Parochis anteferant, qui nihilominus quã ipſi in omnem regionem, in omnem ciuitatẽ, in omnem locũ mittantur. Nulla enim regio, nulla ciuitas, nullus locus vbi Parochi nõ ſint, vel eſſe debeant, ſeu ex Chriſti ipſius miſſione & inſtitutione, ſi eorum inſtitutio ſit diuini iuris, ſeu ex lege diſciplináque Eccleſiæ, quę iam ita conſtituta eſt, vt omnes Eccleſiarum regiones non ab Epiſcopis tantùm, ſed etiam à Parochis regendæ ſint, quacumque ratione infideles aut hæretici, aut etiam factioſi Catholici, legis ac diſciplinæ

illius obſeruationem impediant. Hæc enim eſt propria & ſtabilis Eccleſiæ forma, vel diuino, vel Eccleſiaſtico ſaltem iure compoſita, ita vt Eccleſiæ in quacumque orbis plaga debeatur, & neceſſariò reſultet, mox vt externa vis nulla obſtat. Nec refert quod ſinguli Parochi in totum orbem non mittantur, quia nec ſinguli regulares in eum mittuntur, nec mitti poſſunt. Totus tamen Parochorum ordo ita mittitur & dirigitur, ſicut & totus ordo Epiſcoporum, qui tamen ſuis ſinguli Eccleſiis alligantur. Sicut autem eſt vnum Epiſcoporum corpus, & *vnus*, vt ſanctus Cyprianus loquitur, *Epiſcopatus*, cuius membris toto orbe fuſis tota Eccleſia continetur; ſic vnum eſt Parochorum corpus, & vnus Paſtoratus Eccleſiaſticus, qui per ſua membra totum orbem complectitur, & ad totius orbis regiones deſtinatus eſt, eo prorſus modo quo tota ipſa Eccleſia Catholica implet orbem, varia nimirum & latiſſima membrorum ſuorum diffuſione. *Cypr. ep. 52. &c.*

Quarta eſt, *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque pecuniam in Zonis;* quod nos flagitium potiùs & labem Euangelij, quàm rationem eſſe demonſtrauimus. Sed tamen hoc ipſum, aut Parochis non officit, aut tantumdem regularibus, & Ieſuitis ipſis, qui nullam longiuſculam peregrinationem, vel miſſionum, vel alius rei cauſa, præcipuè in remotas illas regiones, quarum nomine tantoperè gloriantur, ſuſcipiunt ſine ſacculo aut pera, in quam aliquid ad vſum conferant, nec ſine pecunia, qua ad quotidianum victum per hoſpitia, locaque ignotiora

Digitized by Google

ytantur, vt patet ex iis regularibus, quos ad itinera non ita longinqua viaticum corrogare videmus.

Quinta ridicula eſt, ex verbis illis deſumpta, *neque baculum, neque calceamenta,* quam item ſacrilegè aduerſus Euangelium concinnatam eſſe probatum eſt. Sed condonato ſacrilegio Binetiano Patri, cui talia multa condonari debent; quid magis fatuum, quàm eos quibus vetitum ſit gerere baculum aut calceamenta, ſimiles in eo facere cum regularibus, qui paſſim & calceati ambulant, & baculos gerunt ſi quò longiùs mittantur, aut peregrinentur? Nonne eleganti ingenio hominem eſſe neceſſe eſt, qui rationes tam congruas è ſuæ mentis caligine in lucem publicam efferre ſit auſus? Pauci ergo ſunt regulares quibus hæc ratio conueniat, niſi fortè Ieſuiticis ſodalibus, qui miſſi aliquò prædicandi cauſa, eatenus non egent baculis, quatenus vehuntur equis; nec calceamentis Apoſtolicis, ſed ocreis & lacernis equeſtribus ſuccinguntur.

Sexta ratio eſt, quia diſcipulis dictum fuit, *Curate infirmos*: Quæ pars ſi de poteſtate miraculorum intelligitur, vt putat Binetus Pater, quæſo dicat quonam miraculo, quânam alicuius ægri miraculoſa curatione ipſe ſe probarit 72 Diſcipulorũ ſucceſſorem. Si verò intelligatur de ſtabili aliqua & perpetua poteſtate nouæ legis, qua ægri curentur & alleuentur; quibuſnam ea poteſtas, niſi Parochis conuenit, quibus poteſtas data eſt *vngendi oleo* in-
Iacob. 5. firmos, & *alleuandi*, & *ſaluandi*? Atque huius pote-

Digitized by Google

ſtatis figuram, & inchoationem quandam fuiſſe illam poteſtatem à Chriſto viuente datam Apoſtolis, & diſcipulis curandi infirmos, qua illi *vngebant oleo ægros,* & *ſanabant*, docuit Concilium Tridentinum, nec pro ſua perſpicacia vidit Ieſuita Binetus. *Marc. 6. Trid. ſſ. 14. cap 1. de Sacram. Extr. Vnſt.*

Septima denique in eo eſt, quod diſcipuli miſſi ſint, *ſicut oues inter lupos.* Quod obſecro ipſi iudicent in vtros aptiùs cadat, in eos quibus dictum eſt, *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis*, & quibus neceſſaria lex impoſita eſt vitam pro ouibus aduerſus luporum impetus opponendi & profundendi; an iis qui ſe nulla lege, nullo præcepto ad hoc adſtringi fatentur. *Ioan. 10.*

Hæ ſunt, Lector, ſeptem illæ rationes Franciſci Fontani, Patris Bineti Ieſuitæ, Spongiâ laudatrice dignæ, in quibus plus ſacrilegiorum & corruptionum Euangelij, an lenitatis & abſurditatis ingenij concluſerit, tu Lector, ex iam dictis iudicabis. Fuit quidem per ſe indignum tam ridiculorum argumentorum viliſſimam infirmitatem perſequi; ſed ſuperborum hominum, & tot ſua ſuperbia moles toties concitantium, inſcitiam & inſulſitatem patefacere, vt vel ipſi, vel cæteri moderatiores fiant, vel ſaltem authoritate ad conturbandam Eccleſiam exuantur, magnum operæpretium eſt.

His autem rationibus vnicam breuitatis cauſa, præter ea quæ dicta ſunt, opponere libet, vt pateat ex ipſis Spongię miniſtrorumque principiis eos cótra perſpicuam lucem inuehi, dum regularium miſ-

Digitized by Google

ſionem ſimiliorem & propiorem dicunt miſſioni 72 Diſcipulorum, quàm miſſionem Parochorum. Nam 72 Diſcipuli ita miſſi ſunt, vt eis dictum ſit,

Luc. 10. *In quamcumque domum intraueritis, &c. in eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Quibus verbis datur eis in mercedem operum, poteſtas exigendi ea quæ ad victum cultumque neceſſaria ſunt, ex generali

1. Cor. 9. illa norma qua Apoſtolus ait, *Chriſtum ordinaſſe iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Qua in re 72 Diſcipuli manifeſtè Parochos referunt, quibus ſimiliter ius eſt neceſſaria vitæ ſubſidia à ſubditis exigendi. Regulares autem referre non

D. Th. 22. q. 188. a. 4. ad 4. poſſunt, tum quia D. Thomas negat hoc ius eis cõpetere, ſed ſolùm ordinariis Præſulibus; tum quia Ieſuitæ ſpeciatim profitentur ſe *teneri nihil accipe-*

Spong. ſup. pag. 79. *re, quo ſui labores compenſari videantur;* tum denique quia Spongia ſupra generatim conſtituit id diſcri-

Ibid. men inter regulares & Parochos, quod *Regularium ſtatui terrena ſtipendia non ſint annexa, imò voto paupertatis longiſſimè arceantur;* Parochorum autem, *ſtatui terrena merces per ſe ſemper annexa ſit.* Fateantur ergo, vel Regulares nihil in hoc genere Parochis eſſe puriores; vel 72 Diſcipulorum miſſionem eſſe non poſſe formam miſſionis ſtatuſque regularium, cui eam perfectionem puritatemque tribuunt, quæ non magis in miſſione aut vocatione 72 Diſcipulorum, quàm in miſſione Parochorum reperiatur. Vnde ſi conſtanter loqui velint, dicant apertè potiùs, ſtatum regularium eſſe perfectiorem, & mera

charitate

Digitized by Google

charitate puriorem ſtatu, tum Parochorum, tum 72 Diſcipulorum, cui terrena per ſe merces ab ipſo Chriſto ſit annexa.

Hæc meditanda damus vel P. Bineto, vel Spongiæ, vel cuilibet ex Sociis, cui ſolidior & quietior vtroque mens obtigerit, & paratior animus exuendæ fiduciæ Moliniſticæ, vt diuina veritas, & puriſſima lux capacibus oculis infundatur.

SPONGIA.

Quod autem dicunt authorem authoritate proximo loco Epiſcopis Regulares ſubiungere, eſt impoſtura. Non enim dixit proximos Epiſcopis authoritate, ſed proximos ſtatu & gradu perfectionis. Quod ſpectat ad authoritatem in foro externo, dignitatemque & honorem inde prouenientem, Religioſi non grauatè Curatis & Prælatis Epiſcopo inferioribus cedunt. Quantum autem ad ſtatum perfectionis, cùm ſanctus Thomas dicat eos eſſe propinquiſſimos perfectioni Epiſcoporum, non debent Curati & alij moleſtè ferre, ſi hunc locum tueantur, niſi eos inde argumentis & rationibus dimouere poſſint.

RESPONSIO.

Nec argumentis, nec operoſis rationibus tecum opus eſt, ſed tantùm communi ſenſu, quo ſi tu præditus eſſes, non magno labore leuaremur. Quid enim minus congruum, quàm poſt tantam ſermonum arrogantiam perfidiamque, quantam à te

audiuimus, te tamen *impoſturæ* loco numerare quod diceris *Regulares authoritate proximos Epiſcopis* poſuiſſe? Quid deinde fallacius, quàm te tuam mentem ita exponere, vt dicas te *authoritatem in foro externo, dignitatemque & honorem inde prouenientem Curatis & Prælatis inferioribus cedere?* Sic enim odioſè tuo more vocem *authoritatis* obnubilas Ieſuitica æquiuocorum licentia, ſolumque fateris regulares non eſſe Epiſcopis proximos *authoritate externi fori*, authoritate verò fori interioris, in qua ſolâ regularium miſſio & authoritas ſita eſt, fraudulenter proximos innuis: atque ita reipſa fateris errorem obiectum, licet ludificandi & cornicandi gratia diſtinctionem alieniſſimam ingeras de *authoritate fori externi*, de qua nulla controuerſia eſt. Quæ mens, quæ ratio denſiſſimas & perennes iſtius Spongiæ impuritates capere vel enarrare valeat?

Spong. pag. 107. Deinde quid hoc ineptiæ eſt, quod *authoritatem in foro externo* Curatis concedis, quibus eam ſupra detraxiſti, eos ideo Prælatos eſſe negans, quia poteſtate fori externi carerent? Tunc ſobrius, aut ſanus es? Tu Parochis petulanter illudas, contumelioſè tribuens quod reuera aufers, eo planè modo quo percuſſores Chriſti milites, cùm eum pro améte, non pro Rege deputarent, poſito ante ipſum genu ludibrioſè inclamabant, AVE REX IVDÆORVM?

Vt autem probemus te *authoritate interni fori*, ſeu poteſtate interna Regularium miſſioni propria, regulares ſtatuere Epiſcopis proximos, & Parochis

Prælatiſque minoribus ſuperiores, ne fortè hoc etiã loco tergiuerſari incipias, & errores tuos offuſis tenebris tegere, non veris rationibus, aut vera pœnitentia perpurgare; triplici potiſſimum capite poteſtatem illam internam, ſeu miſſionem regularium, altiorem & præſtantiorem efficis poteſtate ac miſſione Curatorum. Primò, quia poteſtas Regulariũ vniuerſalior ſit & amplior; poteſtas verò Parochorum anguſtior & arctior. Vnde infers, *Quis autem neſcit bonum quo vniuerſalius, eo melius eſſe?* Nobiliorem igitur facis miſſionem ac poteſtatem regularium, quia vniuerſaliorem. Secundò, quia miſſio regularium à principio altiore oriatur, à Pontifice Maximo, à quo *Regulares immediatè mittantur*, vt dixiſti paulò antè; Parochorum verò miſſio ab Epiſcopis fluat. Tertiò, quia Regulares ſint *inſtrumenta & opitulationes Pontificis*; Parochi autem ſint miniſtri & inſtrumenta particularium Epiſcoporum, eorumque *labores & munera ſint ſub iuſſu particularis Epiſcopi, & ex ſtatu & vocatione aſſignentur vni particulæ particularis Eccleſiæ.* Quartò denique, quia miſſio & officium Parochorum ad iuſtitiam pertineat, & ſit officium munuſque iuſtitiæ: Miſſio verò, & vocatio Regularium ſit meræ charitatis, & purior *ex vi ſtatus.* Ex his aliiſque toto opere à te ſparſis clarum eſt te miſſionem poteſtatemque regularium ex quadruplici parte ſuperiorem & præſtantiorem facere poteſtate Parochorum, quia nimirum poteſtas regularium ſit origine nobilior, obiecto vniuerſalior, ſubiectione liberior, puritate

Spong. pag. 107.

Vid. prop. 9. tit. 3. de Epiſcopis & Curat.

dignitateque præcelſior. Vis enim miſſionem & miniſterium regularium proportione quadam reſpondere dignitati & eminentiæ ſummi Pontificis, ita vt cum eo regulares vniuerſali quadam ſupra omnem Eccleſiam poteſtate polleant; & ſicut Pontifex eſt vniuerſalis Epiſcopus, ita regulares ſint quaſi vniuerſales Parochi & miniſtri eius generales, tanto particularium Eccleſiarum Parochis altiores, quanto Pontifex particularibus Epiſcopis antecellit. Hùc tua mens, tua argumenta, tuus ſermo ſpectat omnis. Vbi autem ſuperbiæ errorumque tantorum turpitudinem deprehenſam, & orbis oculis propoſitam videas, tum demum ſtimulante animũ conſcientia tergiuerſari, & tenebras latebraſq; moliri, quid aliud tandem eſt quàm ſuperbam ignorãtiam impudentia ſuperbiore cumulare, & pro defenſione legitima deſperationem afferre?

Fruſtra etiam ad D. Thomam confugis, vt eius doctrinam cum tuo errore commiſceas, & oculos imperitorum perſtringas. Imperitia hæc quoque & fallacia tua eſt, quæ ſocios amentiæ quærit, nec reperit vſquam. D. Thomas Parochorum miſſionem, ſeu poteſtatem, ſeu miniſterium, nunquã miſſioni ac miniſterio regularium poſtpoſuit, vt iam antè reſpondimus. Hæc tua tuorumque ſodalium excogitata doctrina eſt ad innatæ ſuperbiæ ſolatiũ. S. Thomas enim de ipſo per ſe regulari ſtatu locutus eſt, quatenus ad propriã religioſi perfectionẽ dirigitur; Et maioris perfectionis fortaſſe putauit religioſi ſtatũ propriæ in Monaſterio ſtudentis perfectioni,

Digitized by Google

quàm ſtatum Parochi aut Prælati inferioris in animarum ſalutem incumbentis. Quæ controuerſia nihil ad propoſitum eſt, & alibi exponetur. At miniſterium functioneſque Eccleſiaſticas regularium S. Thomas non prætulit vnquam miniſterio & miſſioni Parochorum: Imò aperte docuit Parochos quoad curam animarum eſſe eminentiores religioſis, & ſimiliores Epiſcopis. Deſine tandem aut tam altè ſapere, aut tam abiecte tricari. Si perfectio quam ambis, meliora ſolidioráque præſidia non habet, non eſt fundata ſuper petram, nec pluuiarum, nec fluminum, nec ventorum incurſione opus eſt, vt fiat ruina eius magna nimis. Non à fundamento ſolùm, ſed ab omni parte vitioſa eſt. Falſi nominis perfectio, falſi nominis ſcientia ſuſtinetur.

PROPOSIIO SEPTIMA.

Ex cap. 6. §. 4. n. 22.

QVI ex Epiſcopis fiunt Religioſi, dici poſſunt aliquo modo altius volare, & non omnino deſcendere.

CENSVRA.

Iſtud in contemptum dignitatis Epiſcopalis proponitur, & contra ſenſum ſummi Pontificis in cap. *Niſi cum pridem*. De renuntiatione, citato ab authore in confirmationem ſuæ ſententiæ.

Digitized by Google

Pontifex illo capite dicit, ſeceſſum Epiſcopi ad ſolitudinem religioſam pennis fieri & volatu, vnde ſicut non eſt contra naturam pennarum & auium in altum aſcendere, ita non eſt contra ſenſum dicere Epiſcopum ab Epiſcopatu ſe pennis & volatu proripientem in altum ferri. Quod ſi Epiſcopatu relicto migrare ad religioſæ humilitatis inſtitutum, eſſet omnino deſcendere, vt volunt hi Cenſores, & nullo modo proficere, cur ſummus Pontifex Gregorius XV, vocat illam deliberationem qua relinquitur Epiſcopatus, hominum Angelorumque linguis laudandam, RAPERE OCVLOS VNIVERSÆ ECCLESIÆ TOTIVSQVE COELI? *Cur Epiſcopo ſecedenti ſcripſit*, triumphat planè de humanis cupiditatibus & diabolicis inſidiis, fraternitas tua, cùm opulentiam & Epiſcopatus dignitatem, quæ mortales tanto ſtudio, tanta contentione petere ſolent, ab Apoſtolica authoritate demiſſe flagitas, vt tibi per eam relinquere liceat ſub vexillo nominis Ieſu in S. Ignatij caſtris militaturo? *Hæc ſummus Pontifex. Certe ſi author dixiſſet, qui relinquit Epiſcopatum vt ſecedat ad Societatem Ieſu, de humanis cupiditatibus & diaboli inſidiis triumphare, ſtatim Cenſores noſtri ingeminarent ſuum cuculinum carmen, falſum, blaſphemum, hæreticum; & tamen ille qui habet claues regni cœlorum, nec aberrare poteſt, hoc dicit. Sed verè Saluator*, Non omnes capiunt verbum iſtud; qui poteſt capere capiat.

Citatur breue Apoſtolicũ in Apolog. c. 6. in fine.

RESPONSIO.

Itáne deſipis, vel alios deſipere putas, vt ſperes quemquam hominum ſine ſtomacho & ſi ne iuſtiſſima indignatione audire poſſe inſolens reſponſionis genus, & minime tolerandam ſummi Pontificis eluſionem? Quid enim hoc reſponſi eſt, non eſſe contra ſenſum Innocentij Pontificis loco citato, eos qui ex Epiſcopatu ad religionem transuolare dicuntur, altiùs euolare, *quia non eſt contra naturam pennarum & auium in altum aſcendere?* vbi tibi pudor, vbi mens, aue pennáque leuior? Haſcéne excordes Spongias in Epiſcopos, in tantam Theologorum Facultatem à tumidiſſimo ſcientiæ & ingenij opinione Ieſuitarum ſodalitio immitti? Plus in eam ſtoliditate & barbara fatuitate ſcriptoris, quàm ipſa maledictorum & mendaciorum petulantia iniurij ſunt. Eſſe verò propoſitionem Ieſuiticam non tantum contra ſenſum, vt verè dicunt Cenſores, ſed etiam contra verba Innocentij III in illo cap. *Niſi cum pridem*, patet ſola lectione capituli. Dicit enim apertè Pontifex, eum qui deſerto Epiſcopatu fit Monachus, *deſcendere ad Monachátum;* Monachum verò qui fit Epiſcopus, *aſcendere ad præſulatum.* Ita quæuis gloſſa Ieſuitica, Innocentij verbis excluditur. Senſum verò Innocentij à Ieſuitæ propoſitione longiſſime abhorrere, inde planum eſt, quia Innocentius propoſitis & ſumma eruditione explanatis ſex cauſis quibus Epiſcopatum dimittere ſit fas, quarum prima eſt *conſcientia criminis. 2. debili-*

Digitized by Google

tas corporis. 3. defectus ſcientiæ. 4. malitia plebis. 5. ſcandalum. 6. irregularitas; non iis annumerat voluntatem tranſeundi ad regularem vitam. Imò hanc generatim excludit, addens; *Verum ſi propter alias cauſas ceſſionem adfectes, non eſt in hoc tibi poſtulanti fauendum.* Ac ſpeciatim ſtudium vitæ contemplatiuæ negat eſſe idoneam cedendi rationem; varias eius rei cauſas afferens, propter quas ait, *Facilius indulgeri vt aſcendat Monachus ad Præſulatum, quàm præſul ad Monachatum deſcendat.* Denique concludit denuntians, ſi alas habeat quibus velit in ſolitudinem auolare, eas tamen *ſtrictas eſſe nexibus præceptorum, nec liberum habere abſque ſua permiſsione volatum*, quem ei ſe conceſſurum negat ſolo deſiderio ſolitudinis, niſi ſubſit cauſa grauior, aliqua nimirum ex illis ſex quas paulo ante præſcripſit. Non igitur proficit vllo modo vel aſcendit, Innocentij ſenſu, qui ſolo regularis vitæ amore ſtatum Epiſcopalem abdicat; ſed deſcendit penituſque deficit, & rem vndiquaque illicitam aggreditur. Quare S. Thomas perpenſo accuratiùs hoc Innocentij capite, è quo pœne omnia dicit quæ de hac quæſtione docuit, maiori lumine, maiorique quàm Spongia fide ſic aperte proloquitur: *Quandiu poteſt eſſe aliquis vtilis proximorum ſaluti, retrocederet ſi ad ſtatum religionis vellet tranſire, vt ſolùm ſuæ ſaluti inſiſteret, qui ſe obligauit ad hoc quod non ſolùm ſuam ſalutem, ſed & aliorum procuraret.* Neque aliter dicere potuit S. Thomas, qui Epiſcopalem ſtatum tanto à regulari ſtatu ex omni parte attollit, vt ſtatum Epiſcopalem, ſtatum perficientium,

D. Th. 22. q. 185. a. 4. ad 1.

tium, ſtatum Regularem, ſtatum perficiendorum definiat. Vnde ſicut qui à ſtatu perficientium ad ſtatum perficiendorum delabitur, is ſine dubio deſcendit, nec aſcendere dici poteſt; ſic qui à ſtatu Epiſcopali ad ſtatum regularem tranſgreditur. Audiat ergo Spongia Innocentij Pontificis vel verba, vel ſenſum, vel ſaltem expoſitionem S. Thomæ religioſorum luminis, & Theologorum principis.

Illa autem Ieſuitæ oſcitantis, & Spongiam non maturo partu, ſed canina abortione fundentis, inſulſa muſſitatio, & indigna in *pennis & volatu*, de quibus agit, Pontifex, nugatio, ſerie ipſa verborum & orationis Pontificis, quam ſupra expoſuimus, eliditur. Nam Pontifex de eo *volatu*, déque iis *pennis* agit, quibus ibidem dicit *à præſulatu ad Monachatum deſcendi*, adeoque de pennis quibus deſcenditur, non quibus aſcenditur, cùm Epiſcopus ab Epiſcopatu ad Monachatum deuolat. Nec enim *pennæ* & *volatus* ſignificant niſi deſiderium animi, quo voluntas ad rem optatam fertur. Nec volatus iſte metaphoricus perfectionem aut aſcenſum dicit, ſed merum ab vno in aliud tranſitum, præcipuè rapidiorem, qualis eſt affectuum, motuumque voluntatis. Humanus enim animus deſideriis, quaſi *pennis* & *volatu* ad res diiunctiſſimas momento temporis auolat, & in ijs cõquieſcit. Quod præcipuè dici ſolet de vehementioribus affectibus, quibus ex moleſtia & neceſſitate aliqua grauiore qua tenetur aſtrictus, euadere geſtit, qualis erat affectus illius Epiſcopi veniam exuendi moleſtiam & ſeruitutem

Epiſcopalem ab Innocentio Pontifice ſtudioſiùs & perſeuerantiùs flagitantis, Innocentio non minus ſtudioſè renitente, vt capituli lectio declarat.

Quod ergo Gregorius XV ait de Virdunenſi Epiſcopo ad Ieſuitarum Societatem tranſmigrante, de quo ſatiari non poſſunt gloriantes, adeò ab vnius humilitate omnes ſuperbiendi materiam corripiũt; perſonæ rationem habuit Pontifex. Perpendit nimirùm fuiſſe virum principem, alto genere ortum; cuiuſmodi ad munera Eccleſiaſtica, & præcipuè ad Epiſcopatus vulgò accingi non ſolent, niſi fructuum & amplitudinis Epiſcopalis amore. Denique iis plerumque rationibus culmen illud aſcendunt, quibus priſcorum canonum, & antiqua Eccleſiæ norma deſcendere cogerentur. niſi neceſſariæ interdum cauſę iis pluſculum indulgere compellerent. Quare cùm ſua ſponte cedunt, merentur laudem, quòd vltro faciant id quod iam olim debuerant facere, & optabat Ecclesia, & iubebant Eccleſiæ leges, ſed neceſſitate conſtrictæ ſilebant, nec ſuam vim exercere ſinebantur. Laudantur ergo meritò ſponte cedentes, quòd *de humanis cupiditatibus, & diabolicis inſidiis, de opulentia, de dignitate triumphent*, quibus plerumque cupiditatibus & inſidiis, non animarum Eccleſiæque ſtudio, dignitates eiuſmodi ambire, ſuſcipere, tenereque conſueuerunt. Rectè verò laudabuntur tum ipſi, tum quicumque alij ad ea munera eadem tranſgreſſi via, & in iis eodem animo permanentes, dum quoquo modo cedere, & quod male fecerunt, ac faciunt, infectum facere, & inſidias cupiditatum ac dę-

Digitized by Google

monum in quibus male hærent, fugere velint, non tantùm ea mente vtſiant Ieſuitæ, ſed etiamſi nec Ieſuitæ, nec omninò Regulares fieri, ſed priuatam vitam vbiuis agere meditentur. Non ſe adeò facilem fortaſſis præbuiſſet Pontifex in quemuis alium Epiſcopum: ſed Innocentij III exemplo cauſas rationeſque ceſſionis ſingulares & intimas perpendere voluiſſet perſcribique accuratè. Si enim Innocentius veniam abeundi in ſolitudinem Epiſcopo flagitanti concedere noluit, niſi ex aliqua ſex cauſarum quas paulo antè vidimus, quantocumque ſolitudinis deſiderio teneretur; multo minùs conceſſiſſet inituro ſodalitatem Ieſuitarum, quæ mundo implicatior, vulgari vitæ propior, à ſolitudine longe alienior eſt. Ad quam ideo ab Epiſcopatu deſilire, quandiu quis vtilis eſſe poſſit ſaluti proximorum, S. Thomas multo certius cenſuiſſet fore retrocedere.

PROPOSITIO OCTAVA.

Ibidem num. 24.

SI ſtatus Epiſcopi eſſet abſolutè perfectior & ſine comparatione, quàm ſtatus religioſi, cur religioſi non poſſunt tranſire ad illum ſine licentia ſuperiorum?

CENSVRA.

Iſta propoſitio inquantum videtur negare maiorem perfectionem ſtatus Epiſcopalis ſupra religioſũ, eſt falſa, temeraria, communi Patrũ, & doctorũ conſenſui repugnans, & rationem continet fallacem.

Digitized by Google

SPONGIA.

Mirum eſt non puduiſſe viros graues & Theologos ita putidè cauillari, vt vel ex verbis quæ citant, lector hoc ſtatim videat. Non enim Author negauit perfectionem ſtatus Epiſcopalis eſſe ſupra Religioſam, ſed non ita abſolutè, & abſque comparatione: quid autem ſit ſine comparatione & abſolutè, ibidem explicat, nimirum quod non contineat in ſe totam perfectionem Religioſi ſtatus. Quis Catholicorum Theologorum aliter ſentit?

RESPONSIO.

Non cauillaris tu hoc quidem loco, fateor, ſed imperitia laberis, & ineptia ruis in putidam aduerſus viros graues & Theologos criminationem. Nam vel negandum tibi eſt perfectionem ſtatus Epiſcopalis eſſe ſupra Regularem perfectionem abſolutè, vel confitendum ita ſupra eam eſſe, vt tota regularis ſtatus perfectio in Epiſcopali perfectione includatur. Ea enim graduum ſtatuumque Eccleſiaſticorum natura eſt, vt quique ſuperiores vim omnem perfectionemque contineant inferiorum, vt patet in gradibus omnibus Eccleſiaſticis, & ſupra eos in Angelicis, eorum formis & exemplaribus. Nam ſicut ſuperiores Angelorum gradus omni ex parte ſuperant inferiores, neque quicquã perfectionis aut præcellentiæ inferioribus ineſt, quod ſuperiores pleniùs & perfectiùs nõ habeãt: Ita in gradibus Eccleſiæ neceſſe eſt altiores &

perfectiores quoſque ſupereminere vndiquaque inferioribus, & quicquid in iis perfectionis inſidet, altiùs cumulatiuſque complecti. Si ergo Epiſcopalis ſtatus omnium Eccleſiæ ſtatuum, graduumque perfectiſſimus ac ſummus eſt, vt Ieſuita confitetur, & Patres vniuerſi Theologique prædicant, neceſſariò agnoſcendum eſt omnem omnium Eccleſiæ graduum, ſtatuumque perfectionem in Epiſcopali ſtatu contineri. Vel ſi hoc negetur, negandum illicò eſt, ſtatum Epiſcopalem eſſe perfectiſſimum, & ſummum omnium Eccleſiæ ſtatuum.

Equidem ſi quid perfectionis in vllo Eccleſiæ ſtatu, ſeu Regulari, ſeu quocumque demum lateat, quod abſit Epiſcopali; iam Epiſcopalis ſtatus non erit illo ſtatu abſolutè perfectior & maior, ſed ad eũ ſe habebit, vt excedens & exceſſum, vna parte vincet, alia vincetur, collaterales quodammodo erunt, nec alter alteri abſolutè præferendus, vt patet inductione per omnes Eccleſiæ & Hierarchiæ, ſiue Angelicæ, ſiue humanæ gradus. Atque ob hanc cauſam Franciſcus Suarez, quia putat ſtatum regularium, aliquid habere perfectionis, quod abſit ſtatui Parochorum & Prælatorum inferiorum; aliquid rurſus adeſſe Parochorum ſtatui, quod ſtatui Regularium abſit; ideo fatetur horum ſtatuũ neutrum altero eſſe abſolutè perfectiorem, ſed [a] excedere ſe mutuò. Et quia ſimiliter putat [b] aliquid perfectionis ſubeſſe in regulari ſtatu, quod in Epiſcopali non reperiatur, ne quidem eminenter (quo ex fonte errorem iſtum combibit Spongia, quamuis

[a] *Suarez tom. 3 de relig. l. 1. c. 21. n. 5.*
[b] *Idem ib. c. 19. n. 18.*

à Soario ſolo ſuo arbitrio, non vllius Theologi authoritate inducatur) eadem opera confitetur idem penè dici poſſe [a] de ſtatu regulari collocato cum Epiſcopali, nimirùm eos non ſe abſolutè ſuperare perfectione, ſed inuicem excedere. Quamuis turpiſſimæ doctrinæ verecundia commotus, conetur aliquid verbis adijcere Epiſcopali ſtatui plus quàm Parochiali ſupra regularem: ſed ita vt facilè videas eum mera verba dare ad fœdiſſimi dogmatis, cuius vel ipſum authorem pudet, conuelationem. Rectè igitur Cenſores aduerterunt ex eo quod tota perfectio regularis ſtatus negetur ineſſe in ſtatu Epiſcopali, negari ſtatum Epiſcopalem eſſe abſolutè perfectione ſuperiorem regulari ſtatu. Vidit hoc ipſum Suarez, ſola Spongia pro ſua perſpicacitate non ſenſit. Faciliùs enim conceſſerim eam hîc imperitia, naturæque graduum ac ſtatuum Eccleſiæ ignoratione, quàm ſolita obſtinatione peccaſſe.

[a] *Ibid. c. 21. n. 7.*

Inſcitè igitur quærit, *Quis Catholicorum Theologorum aliter ſentiat?* Non enim quærendi, ſed proferendi fuerunt qui aliter ſenſerint extra Ieſuitas nouæ Theologiæ præcones, extra Soarium eius auſpicem, qui neminem habet cuius authoritate nitatur. Nam SS. Patres cùm de perfectione ſtatus Epiſcopalis, ſeu de perfectione quam Epiſcopi dignitas exigit, diſputant, ſic eam ſupra omnes Eccleſiæ ſtatus, non excepto Regulari, extollunt, vt maiorem præcellentiam verbis ſignificare nō poſſint. Audiuimus ſuprà Gregorium tantum perfe-

Digitized by Google

ctionis in Epiſcopo ſupra Eccleſiæ corpus poſtulantem, quantum homines ſupra pecudes habent. Idem ante ipſum alij docuere SS. Patres. Idem poſt ipſum docuit S.Thomas, Epiſcopum videlicet *debere omnes alios excedere in conuerſatione & contemplatione*, non quomodocumque, imperfecto aliquo & mutilo exceſſus genere, vt Spongia & Suarez autumant, ſed *ita vt in reſpectu ſui alij ſint grex*. Quod Soario potiſſimùm in ipſos etiam Regulares extendere neceſſe eſt, cum fateatur Epiſcopos *ex vi ſtatus* eſſe Paſtores & ſuperiores Regularium, etiam quoad ea quæ ad vota, & ad vitam Regularem pertinent. Nec mediocris ex hac parte in eius doctrina pugna eſt. Si enim Epiſcopi ex vi ſtatus Paſtores ſunt Regularium, etiam quoad vitam Regularem, manifeſtum eſt, nullam perfectionem eſſe poſſe in regulari ſtatu, quæ non in Epiſcopali contineatur, cùm Paſtoris ſtatus omnem ſtatus ouium perfectionem neceſſariò complectatur, quia hanc iis transfundere debet. Nihil enim filij non à Patre habent, nihil oues non à Paſtore, vt ſenſu notum eſt. Sic etiam ſumenda ſunt verba S. Thomæ cùm Epiſcopos perfectiores facit, & magiſtros Regularium, vt ſupra ſæpius eius verbis declaratum eſt Imò Chryſoſtomus Regulares ſpeciatim, ſeu Monachos cum Epiſcopo comparans, docet illos ad hunc ſe habere ſicut *priuatos* ad *Regem*, vt ſuprà etiam vidimus: Ideoque ſicut in ciuili ſtatu nihil eſt quod cum præſtantia & perfectione conditionis Regiæ conferri poſſit, in qua ciuilis omnis per-

Greg. paſt. p.2.c.1. Vid. Chryſoſt. l.2. de Sacerd. c.2. Et Gregor. Naz. orat.1. S.Thom. in c.3 ep.1. ad Tim. lect.1.

fectio eminentiùs quàm in vllo priuato gradu reſidet; ſic nihil regularis aut Chriſtianæ perfectionis eſt,quod non ab Epiſcopalis ſtatus perfectione ſine comparatione ſuperetur. Similia multa extant apud alios Patres, quæ hîc colligere non opus eſt, cùm alibi commodiùs exponenda ſint, his interim velut ad ſpecimen prælibatis.

Tantùm addam luculentum Scripturæ ſacræ pluribus locis teſtimonium, quod in hac re prætcriri nullo modo poteſt. Si enim eſſe in ſtatu perfectionis nihil aliud eſt, quàm ad perfectionem obligari; & is in ſtatu perfectiori cenſetur qui ad maiorem perfectionem obligatur, vt clarum eſt, & ſupponi debet, ne in terminorum æquiuocatione cæcorum more luctemur; quid clariùs ex ſcripturis quàm nullum eſſe in Eccleſia hominum genus, quod ad parem aut vllo modo comparabilem cum Epiſcopis perfectionem obligetur? Quid enim Chriſtianæ perfectionis excogites, quod in illo complexu cumulóque virtutum, perfectionumque omnigenarum, quas Apoſtoli tot locis Epiſcopis, Chriſtus tot locis Apoſtolis, Epiſcoporum typis & anteceſſoribus, præſcripſerunt? Quid ſuperadiicias illi Epiſcoporum, vt ita dixerim, regulæ, ab Apoſtolo promulgatæ, *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui benepræpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate: Non neophytum,*

1.Tim.3.

phytum, &c. Et alibi: *Benignum, ſobrium, iuſtum, ſan-* Tit. 1.
ctum, continentem, &c. Et alibi, *formam gregis*, ita vt 1. Pet. 5.
Epiſcopus ſit forma & exemplar virtutis omnis & perfectionis Chriſtianæ, quæ in vniuerſo Eccleſiæ grege reperitur; quod ab illis SS. Patribus, quos modò attulimus, multo etiam ſplendidiùs dictum eſt. Chriſtus autem quantum perfectionis vltra cæteros quoſcumque fideles impoſuit Apoſtolis, cùm ſui eis muneris magnitudinem exponens diceret, *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi*, &c. Qua- Matth. 5.
ſi in aliis, non ſolùm nihil lucis, aut ſalis eſſe debeat, quo ipſi careant, ſed nec quod ab ipſis, vt à luce mundi non ſit hauſtum. Quantum verò perfectionis à Petro Paſtorum principe ſupra Eccle- Ioan. 21.
ſiæ gregem omnem poſtulauit, cùm quæſiit ab eo, *Diligis me plus his?* Quod Epiſcopis omnibus in perſona Petri dictum eſſe conſentiunt SS. Patres, & ex iis D. Thomas. Omnium igitur maxima ab Epiſcopis ſuper totum Eccleſiæ corpus, ſuper omnes gradus ac ſtatus, charitas, quæ eſt vinculum perfectionis Chriſtianæ, exigitur iuxta doctrinam ſcripturarum; neque id de Epiſcopis negari poteſt, quin etiam de ſummis Pontificibus negetur, cùm vtriſque maxima cæterorum omnium Chriſtianorum perfectio iiſdem Chriſti vocibus imperetur. Ac reuera iſte error ſummum Pontificatum, & Epiſcoporum inferiorum ſtatum ex æquo impetit, cùm nihil fingi queat perfectionis in regularium ſtatu, quod Epiſcopali ſtatui abeſſe dicatur, quin idem ſummo Pontificatui ſit abfutu-

Ambroſ. de dignit. ſacerd. cap. 2. Aug. ſerm. 106. de diuerſ. c. 10. &c. D. Thom. 22 q. 184. a. 7. ad 2. & q. 185. a. 1. ad 1. Coloſſ. 3.

BBbb

rum. Satis enim patet Ieſuitam nihil comminiſci poſſe, niſi fortè regulares obſeruantias & vota Monaſtica, quibus ſummi Pontifices, non magis quàm cæteri Epiſcopi obligantur. Ideoque ſi hac ex parte regularis ſtatus perfectionis aliquid contineat quo careat ſtatus Epiſcopalis, clariſſimè conſequitur eadem perfectione carere ſummum Pontificatum: Qui proinde non erit *abſolutè & ſine comparatione perfectior regulari ſtatu*, ſenſu Ieſuitico. Ea enim eſt Moliniſtarum infœlicitas, vt cùm diuiniſſimam Epiſcoporum dignitatem ſuperbo ſpiritu, dominatus & excellentiæ cupidine, deiicere connitantur; ſummi verò Pontificatus apicem extollere videri velint, vt impotentiæ libidinique ſuæ fauorem Pontificium eblandiantur, rebellium plebium more, quibus nihil ſolennius quàm ſummi Principis nomen, ſuumque in eum ſtudium aduerſus legitima Præfectorum imperia prætendere, vt principem quaſi tuendæ maieſtatis lenocinio in ſuas partes ſolicitent; Tamen propter ſummam Epiſcopalis omnis dignitatis coniunctionem & vnitatem, nihil erroris, nihil contumeliæ in Epiſcopos inferiores conijcere poſſint, quin eodem ſummum Pontificem velint nolint traiiciant, vt ſæpius toto opere demonſtratum eſt. Non enim maior capitum Eccleſiæ cum membris, quàm capitum ipſorum inter ſe, & ſupremi capitis cum inferioribus vnitas intereſt. Qua ergo ratione dicere audent, non omnem perfectionem regularem eminenter ineſſe in Epiſcopali perfectione, eadem

dicere debent eam non ineſſe in Pontificali; neque vnquam hunc laqueum effugient.

De obſeruantiis verò regularibus quæ Epiſcopali perfectioni deeſſe fortaſſe videantur, reſpondet vno verbo D. Thomas: *Dicendum quod abrenunciatio propriarum facultatum dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo ſecundum quod eſt in actu. Et ſic in ea non conſiſtit eſſentialiter perfectio: ſed eſt quoddam perfectionis inſtrumentum, ſicut ſupra dictum eſt. Et ideo nihil prohibet ſtatum perfectionis eſſe ſine abrenunciatione propriorum*, SICVT ETIAM DICENDVM EST DE ALIIS EXTERIORIBVS OBSERVANTIIS. *Alio modo poteſt conſiderari ſecundum præparationem, vt ſcilicet homo ſit paratus, ſi fuerit opus, omnia dimittere vel diſtribuere.* ET HOC PERTINET DIRECTE AD PERFECTIONEM, &c. *Ad hoc autem maximè tenentur Epiſcopi*, &c. Vides vt vnica reſponſione quicquid in obſeruantiis regularibus veræ & directæ, & eſſentialis perfectionis ineſt, Epiſcopali ſtatui tribuit eminentem? Idemque breuiùs D. Gregorius Magnus, è quo plurima in hanc materiã hauſit D. Thomas, *Sit præſul actione præcipuus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus.* Audis omnibus generatim anteponi ſtatum Epiſcopalem, tum actione, tum contemplatione? Vt ſcias nihil neque externi operis, neque internæ perfectionis à te fingi poſſe in vllo Eccleſiæ ſtatu, quo non maius aliquid ac præſtantius in ſtatu Epiſcopali conſtituat Gregorius, & cum eo ſanctus Thomas, Monachi ambo, & lumina Monachorum. Quid

D. Th. 22. q. 184. a. 7. ad 1.

S. Gregor. paſt. 2. c. 1.

Digitized by Google

quod ſuprà ex eodem D. Thoma retulimus, cum Regulares conferre cum Epiſcopis, vt diſcipulos cum magiſtris, Epiſcopalem ſtatum ad regularem, vt magiſterium ad diſciplinam, & perfectionem ad diſpoſitionem? Ac de votis ipſis, *Vota*, inquit, *religionis ſe habent ad Pontificalem dignitatem, ſicut diſpoſitio ad perfectionem.* Aude nunc dicere eſſe aliquid perfectionis in diſcipulatu, quod non ſit in magiſterio; in diſpoſitione, quod non ſit in perfectione; in materia, quod non ſit in forma; tum denique fas erit authore D. Thoma regularem perfectionem aliqua ex parte anteferre vel conferre Epiſcopali. Atque huic doctrinæ, totius Eccleſiæ ab initio, & SS. Patrum conſenſus, quocumque oculos coniicias, ſuffragatur & conſonat, Epiſcopalem ſtatum, vt ſupremum, ita ſine comparatione ſanctiſſimum & perfectiſſimum eſſe omnium ſtatuum, qui intra Eccleſiæ corpus cōcludantur. Vt mira ſit non tam Soarij ignorantia, contrarium ſcribere auſi, quàm ſupra eius ignorantiam procacitas Ieſuitæ Floydi, ſine vllo teſtimonio, volucritate innata, & audaciſſima leuitate quærentis, *Quis Catholicorum Theologorum aliter ſentit?* Quaſi nec ſanctus Thomas, nec tot ſanctiſſimi Patres, nec perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus apud Ieſuitas Catholici habeantur. Quanto aptius illud à Spongia malè ſuprà locatum, huc transferas, *Quæcumque ignorant, blaſphemant?* Ignorantiæ enim hoc totum vitium eſt, & inconſultæ cæcitatis.

22. q. 185. a. 8. ad 2.

Vid præcipuè Gregor. Nazianz. orat. 1. tota. Et alios paſſim.

Poſſemus verò ad cumulum confutationis ſtultiſſimi & ſuperbiſſimi dogmatis addere, non ſolùm Epiſcopalem, ſed etiam ſacerdotalem, atque adeò Clericalem omnem dignitatem, plus ex omni parte perfectionis habere, ſeu ad maiorem vndique perfectionem obligare ſacerdotes, & Clericos, quàm regularis ſtatus profeſſores. Nec id, de ſacris ſaltem ordinibus, probare operoſum eſſet ex ipſo D. Thoma docente, *per ſacrum ordinem aliquem deputari ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſeruitur in ſacramento altaris, ad quod requiritur maior ſanctitas interior, quàm requirat etiam religionis ſtatus.* Quod à Soario ridicule & ſine fide refertur, quaſi S. Thomas hoc diceret ſolùm de ſacerdotio; & ipſum ſacerdotium non præferret perfectione ſanctitatis niſi ſtatui religioſi laïci, ſeu conuerſi, ſeu, vt Ieſuitæ vocant, coadiutoris. Idem porrò ſine magno labore promptum eſt ex SS. Patribus Conciliiſque probare de omnibus generatim Cleri gradibus, quibus ſemper Regularium perfectio tum dignitatis, tum vitæ. à Patribus poſtpoſita eſt. Sed hoc & eſt longius, & ad præſentem controuerſiam non neceſſarium. Alibi opportuniùs explanabitur.

D. Th. 22. q. 184. a. 8. in corp.

Suarez to. 3. de relig. l. 1. c. 21. num. 8.
D. Thomas d. art 8. fatetur dignitatem ſacerdotis eſſe maiorem, maioremque poſtulare ſanctitatem, quàm ſtatū ſimplicis religioſi laici, ſeu conuerſi.

Tantùm addo, Spongiam confiteri ſaltem poſteriorem Cenſuræ partem, Propoſitionem ipſius *rationem continere fallacem.* Nihil enim ad eam ait, adeóque ſilentio approbat, vt & multa quæ paſſim in Cenſuris diſſimulauit, neque attingere auſa eſt, vt facile eſt legenti cuiuis aduertere ſine noſtra commonitione, qui quocumque ſtudio eam perpurgare

contendamus, multa præ macularum diffluente multitudine prætermittere cogimur. Fallax ergo ratio eſt, ideo ſubeſſe aliquid perfectionis in regulari ſtatu, quod deſit ſtatui Epiſcopali, quia religioſi non poſſunt tranſire ad illum ſine licentia Superiorum. Hæc quippe licentia non niſi poſitiuo iure, & Eccleſiæ lege requiritur, nec olim requirebatur cùm ſubeſſent Epiſcopis; Et facile eſt aſſignare tempus quo primùm requiri cœpta eſt, ad auertendam à regularibus ambitionem, ne propriæ ſortis pertæſi, altiùs euolare ad Clerum & ad faſtigium Epiſcopale, ſpretis Superiorum monitis, laborarent. Sed hæc quoque, quando nihil ad Spongiam, agentur alibi.

PROPOSITIO NONA.

Ibidem n. 18.

PROBABILE *eſt Epiſcopos ex ſuo ſtatu, & ex ordinaria poteſtate quam habent ex diuina inſtitutione, non eſſe perfectores & magiſtros Religioſorum, quantum ad votum, & voti perfectionem, etiam ſepoſitis priuilegiis exemptionis ab Epiſcopis, quam habent Religioſi.*

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt falſa, temeraria, erronea, iuri communi & antiquæ Eccleſiæ praxi contraria.

Digitized by Google

SPONGIA.

De propoſitione iſta iam dictum ſuperius. Quàm verò temeraria ſit iſta Cenſura, & Theologis indigna, vel hinc patet, quòd qui contra hanc propoſitionem tenent, vt Suarez ac alij, tamen fatentur eſſe probabilem, ac eſſe ſancti Thomæ, Syluestri, Tabienæ, Innocentij, Abbatis, & aliorum grauiſſimorum tum Theologorum tum Canoniſtarum. Quid verò antiqui Monachi ſenſerint ac fecerint hac in parte, ſatis patet ex facto Hieronymi & Monachorum Palæſtinæ, qui Ioannis Hieroſolymitani Epiſcopi in ipſos imperium agnoſcere recuſabant: Theophilo autem Patriarcha Alexandrino Monachos ſcripta epiſtola ad pacem cum Epiſcopo habendam hortanti, reſpondet ſuo & eorum nomine Hieronymus, ſe pacem cupere, ſed ſalua libertate ab eius iugo. Pacem, *inquit*, veram cupimus, pacem ſine inimicitiis, pacem, quæ non, vt aduerſarios ſubiiciat, ſed vt amicos iungat. Quid dominationem nomine pacis vocamus, & non reddimus vnicuique rei vocabulum ſuum? *Ita Hieronymus. Qui ſtatim probat exemplo Theophili Monachos Epiſcopis nonniſi voluntaria ſubiectione & reuerentia colla ſubmittere.* Non quæris, *inquit*, Monachos tibi eſſe ſubiectos, & ideò magis ſubiectos habes. Tu offers oſculum, illi colla ſubmittunt, exhibes militem, & ducem impetras, quaſi vnus in pluribus es, vt ſis vnus

Tom. 2. ep. ad Theoph. con. Ioan. Hieroſ.

ex pluribus : citò indignatur libertas ſi opprimitur: nemo plus impetrat à libero quàm qui ſeruire non cogit. Nouimus cánones Eccleſiaſticos, non ignoramus ordines ſingulorum. *Ita Hieronymus euidenter demonſtrans Hieroſolymæ Epiſcopum non habuiſſe in ipſum & Monachos Palęſtinæ iuriſdictionem coactiuam, ſed liberos fuiſſe, & iugum imponere volenti meritò reſtitiſſe.*

Responsio.

Iterùm hæreticorum vafritiem imitaris, fallaciter & velut in deuio interceptis laciniis SS. Patrum, vt vnius verbuli ambiguitate perpetuam & vbique clariſſimam ipſorum aliorumque doctrinam obũbres, & imperitorum oculos animoſque impedias. Turpe eſt Ieſuitam infame defenſionis genus accerſere, quod in hæreticis Catholici omnes ſcriptores, & ipſi eius ſocij toties damnarunt & execrati ſunt.

Primò enim, etſi Hieronymus id ipſum docuiſſet quod ei perperam aſpergit mala Spongia, inſolens tamen eſſet, vna ipſius voce aduerſus totius antiquitatis autoritatem conſenſionemque contraniti, cùm ipſemet hac ipſa epiſtola quæ obiicitur palàm aiat, *ſcio me aliter habere Apoſtolos, aliter reliquos tractatores. Illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam vt homines aberrare.* Sed nihil opus hoc genere præſcriptionis, quo tamen Spongialis obiectionis prima quaſi frons eliditur, & aciei interioris debilitas iam pateſcit.

Nam hîc Hieronymi ſermo nihil ad Regulares, cùm

cùm nuſquam pateat Hieronymum fuiſſe regularem, ſeu vllis ſe votis ad vitæ monaſticæ obſeruationem, & ad ſolitudinis incolatum obligaſſe. Nihil ea de re nec ab ipſo, nec ab aliis patribus proditum eſt. Solùm conſtat eum ſe ſolitudini vitæque puriori mandaſſe, in eáque ſumma voluntatis conſtantia, & inuicto propoſito perſtitiſſe. Quod & à multis SS. Patrum, diutiùs interdum, aut breuiori tempore factitatum eſt, pro cuiuſque zelo, ſine vllo tamen de quo conſtet, votorum nexu, vt ſpeciatim de Chryſoſtomo, & Baſilio patet, quemadmodum latiùs alibi declarabitur. Sicut enim non deerant Monachi qui ſe votis adſtringerent, ita non deerant qui ſine vinculis eiuſmodi ſeueriorem Dei cultum & ſtudium pietatis proſequerentur. Nec facile credere eſt Hieronymum, ſi vitam ſolitariam & Monaſticam in deſertis illis Orientis verè vouiſſet, migraturum Conſtantinopolim, & Gregorij Nazianzeni tanto tempore futurum auditorem; nec deinde perrecturum Romam, ibique tamdiu tum viuente, tum mortuo Damaſo, commoraturum in varia omnis generis hominum conſuetudine, vſque eò vt in maleuolorum voculas incurreret. A quibus tamen, pleráque vellicantibus, nunquam audiit votifragus, aut promiſſæ Deo ſolitudinis fruſtrator, quamuis per tot annos in Romana frequentia verſaretur. E qua tandem non voti vllius religione, ſed inimicorum obtrectatione depulſus, ad priſtinas ſolitudines reuolauit. Illud ſaltem iſtinc patet, eum non habuiſſe Abbatem, aut præfectum vl-

Chryſ. l. 1. de ſac. c. 1.

Digitized by Google

lum Regularem, cui obedientiam regulari more vouiſſet, cuius nutu regeretur; Qua de re nulla item apud eum mentio eſt; Sed fuiſſe ſicut in Preſbyterio, ſic in Monaſtica vita ſui iuris, & nullius ſpeciatim imperiis alligatum.

Hinc ſequitur, Hieronymi exemplum abeſſe à propoſito, neque probaturum eſſe Regulares quoad vota, Regularemque vitam, non ſubeſſe Epiſcopis ex natura rei, ſine exemptionum priuilegiis, etiamſi alioquin probaret Hieronymum fuiſſe liberum à poteſtate Epiſcopi Hieroſolymitani.

Verùm nec hoc ſine ineptia dici poteſt. Nam ſi Hieronymus non habuit Monaſticum patrem ſeu præfectum cui ſubeſſet, vt oſtendimus, ſaltem habere debuit ſuperiorem Epiſcopum, vt cæteri fideles, ne ſine cauſa fiat liber & exemptus ab omni penitus authoritate Eccleſiaſtici Regulariſque præfecti. Quod profectò Spongia dicere cogitur in ſtolida huius loci obiectione. Nam ſi Hieronymi verba ad literam exigamus, probant non ſolùm quod Spongia dicit, ſed etiam quod negat, & eodem iure in ipſam torqueri poſſunt, quò ab ea in cenſuram detorquentur. Sunt enim generalia verba, neque quicquam præfiniunt vt Monachi liberi ſint ab Epiſcoporum ſubiectione quoad vota Monaſtica tantum; quoad alia verò ſint iis ſubditi. Nihil, inquam, excipiunt, aut definiunt: vniuerſam, & quoad omnia libertatem ſonant, & tam Spongiæ ſoluenda quàm nobis ſunt, ne non modò Hieronymum, ſed Monachos omnes ab

Digitized by Google

omni penitus Epiſcoporum poteſtate, tum quoad vota, vt ipſa vult, tum quoad alia, vt non vult, ſolutos immuneſque habeamus. Ita quoquò te vertas, obiectio imperitiſſime & incautè contexta eſt, ſéque ipſa diſſoluit.

Fatendum ergo Hieronymum, & Monachos Bethleemitas, verè fuiſſe Epiſcopo Hieroſolymorum ſubiectos. Nam Bethleem vbi degebant, ad Hieroſolymitaná Diœceſim pertinebat. Nec enim Marianum Victorium moror, qui præuio ad hanc Epiſtolam argumento notauit quaſi authore Hieronymo, Bethleem fuiſſe extra Hieroſolymitanam Diœceſim? Hieronymus id non ait. Imò Ioanni Hieroſolymitano conquerenti Preſbyterum Bethleemi in Diœceſi ſua ab alieno Epiſcopo ſe inſcio ordinatum, tacitè fatetur Bethleem reuera fuiſſe ſub eius poteſtate; fratrem autem ſuum, de quo Ioannes querebatur, ordinatum eſſe in Monaſterio S. Epiphanij in agro Eleutheropolitano, non in Hieroſolymitano.

Cùm ergo Bethleem intra Ioannis Diœceſim ſitum eſſet, ſequitur Hieronymum, qui ibi ætatem ageret, fuiſſe Ioanni ſubditum, eique obſeruantiam, vt Epiſcopo & ſuperiori debuiſſe. Nec hoc negat Hieronymus, ſed Ioannis erga ſe acerbitatem, & impotentiorem dominatum auerſatur, quod is ſibi non quaſi filio pater, ſed quaſi mancipio Dominus ad ſuæ libidinis arbitrium imperitare geſtiret contra præceptum Apoſtoli, *non dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis*. Quod 1. Pet. 5.

veritatem, ſummi nominis Facultati tam miſerè obiectari, vt ſola loci lectione peſſima & imperitiſſima fraus tamquam meridie deprehenſa teneatur.

Innumeræ verò ſunt eiuſmodi locutiones apud quoſcumque ſcriptores, nominatim apud ipſum Hieronymum, qui alibi præcipiens Clerico quemadmodum Epiſcopo ſuo obtemperare deberet, ſimiliter ait: *Eſto ſubiectus Pontifici tuo, & quaſi animæ parentem ſuſcipe. Amare filiorum, timere ſeruorum eſt.* Et infra: *Illud etiam dico, quod Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe nouerint, non dominos. Honorent Clericos, quaſi Clericos, vt & ipſis à Clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur. Scitum illud eſt Oratoris Domitij, Cur ego te, inquit, habeam vt principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem? Quod Aaron & filios eius, hoc Epiſcopum & Presbyteros eſſe nouerimus.* Ac deinde affert locum Apoſtoli, *Non dominantes in Cleris*, &c. Et eadem deinceps omnia de Clericis, quæ hic de Monachis commemorat, habendos ſcilicet ab Epiſcopis vt filios, non vt ſeruos, amore non dominatione, benigna & paterna manſuetudine, non herili imperio. Ex quibus tamen ſicut non ſequitur Clericos, non ſubiici Epiſcopis à D. Hieronymo, ſic neque Monachos ab eorum authoritate eximi. Ita etiam D. Ambroſius vxores officij in viros admonens. *Mulier*, inquit, *viro deferat, non ſeruiat; regendā ſe præbeat, non coërcendam*: vt doceat vxoris in virū obſeruantiam non coactam & expreſſam ab inuita, ſed liberam, voluntariā, & beneuolentem eſſe oportere.

Hier. ep. ad Nepot.

Ambroſ l. 3. epiſt. 25. ad Vercell.

Digitized by Google

Quare ridiculè afferuntur verba Hieronymi ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, quaſi ex paterna & amica Theophili in Monachos propenſione, & liberali ac ingenuo Monachorum in eum obſequio, colligere liceat Theophilum nihil in Monachos authoritatis habuiſſe. An igitur cùm ſæpè legi dicique ſolet, nihil eſſe quo Principes plus poteſtatis in ciues comparent, eoſque ſubiectiores & ad imperata paratiores efficiant, quàm ſi eis non acerbè dominentur, ſi quaſi liberis & ingenuis, non quaſi ſeruitiis præſint, ſi amore potius quàm timore aut poteſtate deuinciant, ideo principibus imperia & ſubditi abrogantur? Quis adeò deſipiat, vt hoc ſapiat? Hæc eſt Spongiæ ſapientia. Hoc Ieſuiticum acumen. Hic aries quo fundatiſſimæ veritates, & antiquiſſima Facultatis Pariſienſis authoritas quatiuntur. Vtra maior in his pugilibus, imbecillitas, an audacia? communis hominum ſenſus, an communis Eccleſiæ conſenſus oppugnatio? Quod igitur Hieronymus in hanc ſententiam de Theophilo prædicat, meræ ſunt Theophili laudes à benignitate, clementia, manſuetudine, ciuili animo, & in ſumma poteſtate moderato, quales bonis principibus, ducibuſque tribui ſolent ab omni ſcriptorum & hominum genere. Ita probi duces, milites in quos militare omne imperium tenent, tamen *commilitones* vocitant. Sic Apoſtolus ſeruos ipſos & mancipia, ſeruire non vult inuitos & repugnantes, ſed *ex animo & bona voluntate*, propter Chriſtum; eodemque modo dominos illis præ-

Epheſ. 6.

eſſe. Clariſſimè ipſe Hieronymus Epiſcopum cum Rege comparans, in hoc tamen diſſimilem ponit, quod Rex *nolentibus præeſt, Epiſcopus volentibus; ille terrore ſubijcit, hic ſeruituti donatur.* Quod ex Euangelio ſumptum eſt, vbi Chriſtus ſimile diſcrimen ſtatuit inter eos qui gentibus dominantur, & eos qui Eccleſiæ præſident, quos omnium miniſtros & vltimos fieri vult, ſicut ipſe *venit non miniſtrari, ſed miniſtrare.* Quare ſi eiuſmodi locutionibus abuti volumus, omnis authoritas, omnis Eccleſiaſtica & Apoſtolica poteſtas, non ſolùm in Monachos, ſed etiam in quoſuis fideles, collabitur.

Hieron. epiſt. 3. ad Heliod. in Epitaph. Nepot.

Matth. 10.

Præterea ne Monachi quidem Bethleemitæ, in quibus Hieronymus, ſuberant Theophili præfecturæ cùm eſſent extra fines eius ditionis, nec ad ipſius Diœceſim propriam, nec ad eius generalem Patriarchatum pertinerent. Quamquam videtur Hieronymus generalius paulò loqui, non tam de Theophili in Monachos ſpeciatim Palæſtinos animo, quàm de vniuerſa eius in Monachos conſuetudine, quorum longè plurimi & nobiliſſimi greges in eius regione ac poteſtate, per Ægypti deſerta florebant.

Nam quod ait, *Nouimus Canones Eccleſiaſticos, non ignoramus ordines ſingulorum*, de Monachorum exemptione nequaquam intelligi poteſt, de qua nulli ante id tempus Canones ſtatuerant, vel omninò meminerant. Dicit ergo ſe *noſſe Canones Eccleſiaſticos, & ordines in Eccleſia ſingulorum*, hoc

Digitized by Google

eſt, ſcire quod ſit Epiſcoporum in ſubditos officium, quod ſubditorum in Epiſcopos; quomodo ſi præcipere, illi parêre debeant ex Canonum inſtitutis; quatenus horum poteſtas, illorum ſubiectio protendatur. Hoc tota oratio ſonat, ſi quietè legas. Nec eſt quod Spongia vrgeat verbum *libertatis*, cũ Hieronymus ait, *Citò indignatur libertàs, ſi opprimitur*, quia iſtam partem explanat proximâ, *Nemo plus impetrat à libero quàm qui ſeruire non cogit.* Libertatem enim à ſeruili iugo, non ab ingenua ſubiectione aſpernatur Hieronymus, eo modo quo ſupra dictum eſt. Nec enim qui poteſtatibus à Deo conditis, præcipuè ſanctioribus & Eccleſiaſticis, ſunt ſubiecti, ſeruile iugum trahunt, nec ſeruorum ac mancipiorum inſtar ſubigi debent. Humano & liberali imperio habendi ſunt, quo ingenuorum hominum innata libertas non lędatur.

Quod autem Spongia libertatem non agnoſcit, niſi quæ non tantum ſeruitute, ſed etiam ſubiectione vacet, licentiam non libertatem fingit animo, & rebellium omnium cogitationes imitatur. His enim vna libertas eſt, nullam vereri poteſtatem, neminem ſuſpicere ſe maiorem. Quorum infrænes animos, & populares impetus bellè hactenus Ieſuitæ in Eccleſia referunt. Sani verò, & quieti homines maiorem libertatem non habent, quàm legitimis imperiis ſubiici; & ſicut quòd Deo pareant, libertatem ſuam nihil minui ſentiunt, imò hoc magis augeri, quo magis ei ſubduntur; ita nihilo ſe minus liberos putant, quod conſtitutis à Deo poteſtatibus, quæ ipſius

ipſius diuinæ poteſtatis radij, & quaſi partes ſeu riuuli ſunt, obtemperent ac deferant. Ipſos Imperatores videmus, quamuis toti orbi ſummo imperio præeſſent, tamen libertatis iura ſcriptis legibus ſancientes, & intacta protegentes. Hinc *Patres patriæ* dicti: hinc *Dominorum* nomen, quando clementius regnauere, ipſi vltro repulerunt. Nec liberi minus liberi ſunt, quòd toti ſunt in patria poteſtate, quæ ſecundum poteſtatem regiam, maxima & maximè naturalis poteſtas eſt. Hoc Ieſuitam ignorare non decuit. Turpe, perduellium aut fugitiuorũ inſtar, eam demum putare libertatem, quæ nullius imperij, quantumuis æqui moderatique, fræno teneatur; quæ ſtudioſos ſui, *filios Belial*, hoc eſt, *ſine iugo* faciat, vt ait Scriptura; quæ dum legitimæ poteſtatis vincla exuit, nefariæ impotentiæ libidini mancipetur. *Iud. 19.*

Nam Hieronymum diuinam legitimamque Epiſcoporum, & Cleri in ſe & in alios Monachos poteſtatem agnouiſſe, ipſe facilè teſtificabitur; *Mihi*, inquit, *ante Presbyterum ſedere non licet. Illi ſi peccauero licet tradere me Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu. Et in veteri quidem lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpiritali mucrone truncatur: aut eiectus de Eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.* Ac ne cauſeris Hieronymum loqui de generali & communi fidelium omnium in Epiſcopos & Clerũ obedientia, *Hieron. ep. 1. ad Heliod.*

Digitized by Google

non de ſingulari Monachorum, quoad vitæ Monaſticæ inſtitutum; Audi eundem Soario tuo interprete hoc tibi præcludentem effugium: *Eccleſia habet cœtum Presbyterorum, ſine quorum concilio nihil Monachus agere licet.* Neque vſquam apud Hieronymũ reperies, vbi Monachos Epiſcopis & Clero minus obedientes, ac ſubditos velit, quàm quemuis è numero fidelium. De vtriſq; enim ſimiliter vbique loquitur, & Monachos cum Clero comparans, generatim ait, *Clerici paſcunt, ego paſcor.* Et, *Monachus ſi ceciderit, orabit pro eo Sacerdos. Pro Sacerdotis lapſu quis rogaturus eſt?* Vt videas authore Hieronymo Epiſcopos fuiſſe Monachorum, ſicut aliorum quorumlibet, Paſtores, Emendatores, Præſides. Nec tu, ſi quid ſenſus aut pudoris ſupereſſet, per motum animi quo ad tumultuariam reſponſionem conuolaſti; vaniſſimis obiectiunculis aliud contendere potuiſſes.

Citatur à Suarez tom. 3. de relig. l. 10. c. 11. n. 15.

Ep. 1. ad Heliod.

Porrò hac de re iam plura dicta ſunt, & dicentur infra. Satis oſtenſum eſt temeritate maxima citari à Spongia S. Thomam, & Canoniſtas aliquot. Sanctũ enim Thomam apertè reluctari; Canoniſtas autem nec adſtipulari, nec omninò quicquã quod ſpectet ad errorem Ieſuiticum loqui, vt clariùs probabitur, ſi quis eorum authoritates vrgere cœperit; Et ſi quis eorum faueret, huius in re Theologica & dogmatica, teſtimonium fore leuius, cùm in hoc genere multa veterum Canoniſtarum errata grauia habeamus. Vnde vniuerſæ Ieſuitæ in hunc errorem authoritates, ad vnicum Thomam Sanchez rediguntur, eius authorem & defenſorem vnicum. Neq; vllũ Theo-

Digitized by Google

logum ei ſubſcribentem affert Suarez, nec tu ipſe in Apologia. Quod verò eius opinionem probabilem fateatur, fraterni affectus, & ſocialis fœderationis ſtudium magis in eo miramur, quàm veræ charitatis vim, & liberum diuinæ veritatis, quæ Deus ipſe eſt, amorem, & æquiſſimum pro violata perpetua, quam agnoſcit, Eccleſiæ doctrina feruorem ac zelum.

SPONGIA.

Quamquam non ignoro Eccleſiam poſtea Monachos Epiſcopis ſubieciſſe quoad diſciplinam Monaſticam, vt patet ex varijs Conciliis. Probabile tamen eſt diuino iure non ſubijci, & hoc Hieronymi teſtimonium probat, & illud dictum B. Petri Damiani, Abſit vt Monachus qui viuit ſub regula vel Abbate, aliis hominibus ſubiiciatur, *nimirum particulari alicui paſtori, quoad regulæ diſciplinam.*

Tom. 5. epiſt. 19.

RESPONSIO.

Hæc omnia iam ſupra exſufflauimus, & ſicut decuit caſtigauimus indigniſſimi commenti, quod hîc iterum refricas, inſulſitatem. Tuum fuit non futiliter dicere; ſed grauiter probare, & vnicum ſaltem afferre Canonem, qui doceat Monachos ex aliquo tẽpore cœpiſſe ſubiici Epiſcopis, quibus antè non ſubeſſent. Nullum vnquam afferes. Cogeris leuiſſimi figmenti temeritatem iterum deuorare. Quemcumque Canonem edideris, nos ante illum docebimus Monachos fuiſſe per omnia in Epiſcoporũ poteſtate, quantũcumq; ſurſum verſus Eccleſiæ initia progre-

Digitized by Google

diare. Damus enim Dionyſium ſubiectionis huius teſtem, quo nullus antiquior qui de Monachis & Monachorum in Eccleſia conditione ſcripſerit. Vnde quo modo ſuas Eccleſia traditiones aduerſus hæreticorum machinamenta tueri ſolet, eaſque ab Apoſtolis, & primæua Eccleſiæ conſtitutione profectas demonſtrare; eodem nos modo tuum errorem ab Eccleſia pellimus. Beati Petri Damiani authoritas tibi quoque erepta eſt ſupra; cui tu reſpõſioni vide, cautius omnino & maturius quàm ſoles, quomodo occurrere valeas. Nouam tamen gloſſam hic etiam ridere lubet, *Abſit vt Monachus alius hominibus ſubiiciatur*, hoc eſt, *particulari alicui Paſtori*, & huic quidem non quoad omnia, ſed *quoad regulæ diſciplinam* tantum. Te nihil eſt quod pudeat, qui nihil vides. Tu ne neges Monachos ſuaptè natura *particulari alicui Paſtori* ſubiici? Neminem igitur *particularem Paſtorem* habebunt? Nequidem Abbatem, aut Præfectum, quem veteres *Patrem Monachorum*, nunc Paſtorem & Prælatum vocant? Non negabis opinor, huic *particulari Paſtori* ſubiici, cui obedientiam voueant, cui ſe totos emancipant. Gloſſa igitur alia tuæ gloſſæ ſuperiici debet, hoc modo, *Abſit vt Monachus aliis hominibus ſubiiciatur.* Gloſſa, id eſt, *particulari alicui Paſtori*; Iterum Gloſſa, id eſt, *particulari alicui Paſtori Epiſcopo*, non *particulari Paſtori Abbati*, ſeu Præfecto ſeu Rectori. Hæccine flagitia in conſpectu orbis effutiri, vno nempe verbulo, quaſi res compertiſſimas & lucidas, de quibus nemini dubium eſſe, vel ambigi liceat?

Digitized by Google

PROPOSITIO DECIMA.

Ibidem.

NEC, *vt mihi perſuadeo, hæc doctrina diſplicebit ſanctis Epiſcopis, quibus Epiſcopi obligatio videtur tam onerosa, vt lætaturi ſint ex bona probabilitate ſe releuari à tam alta obligatione, qualis eſt teneri ex ſtatu potentes eſſe docere Religioſos viam perfectionis.*

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt contumelioſa, & irriſoria Ordinis Epiſcopalis, eoque ſenſu homine Religioſo, imò etiam Chriſtiano indigna.

SPONGIA.

Scilicet, cogitatio eſt Epiſcopis, homine Chriſtiano indigna, credere Epiſcopos hac ætate reperiri ſanctos, humiles, Gregorio & Auguſtino ſimiles, qui ſub pondere Epiſcopalis officij gemant, qui ſe ſi bona cum venia & aliorum commodo poßint, ſubleuari cuperent parte oneris Angelicis humeris formidandi. Apud prudentes rerum æſtimatores, ipſa per ſe dicti modeſtia authorem tuebitur. His verò Cenſoribus, qui in eum hîc ferociunt, obijcio clypei loco Ciuem ipſorum Ioannem Lomede Aduocatum Pariſienſem. Hic tractatum ſcripſit de exemptionibus & lib. 1. n. 18: diſerte aſſerit plus etiam quàm Author dixit, ſcilicet Epiſcopos ſæculares Monachis quoad Regularem diſciplinam non congruè præfici, vix poſſe eſſe huic muneri pares. In quam ſententiam ex iure Ca-

Digitized by Google

nonico plurima congerit, præcipuéque vrget di-ctum Petri Bleſenſis ſæcularis Prælati, primum Ba-thonienſis in Anglia, poſtmodum Londinenſis Ar-chidiaconi. *Olim Monachi & Canonici Regulares in Clauſtris viuebant Eccleſiæ vicinis, eadem menſa om-nes vtentes. Ex his electi Epiſcopi Regularia inſtitu-ta callebant, & ideo Monaſteria viſitare, & quæ per-tinent ad Regularem diſciplinam corrigere & inſtitue-re poterant. Nunc verò cùm ſint Epiſcopi ferè om-nes ſæculares, regularis diſciplinæ ignari, qua fronte Monaſteria viſitare & de ijs conſtituere quæ neſciant prorſus non video: ſcilicet docebunt, quod nunquam didicerunt, Doctores antequam Diſcipuli, Duces prius quàm milites.* Hæc Lomede Pariſienſis Aduoca-tus ante annos ferè triginta in ſæculares Epiſco-pos, qui geſtiunt Regularibus quoad votiuas ob-ſeruantias præeſſe. Hinc lector videat Pariſien-ſes Lamiarum inſtar cæcutire domi ſuæ, qui adeo ſunt foris oculati. Quis non rideat hos hæreſum hoſtes? Tantis laboribus & impenſis mare & ari-dam percurrunt, vt in libro Anglicano illud dog-ma inueniant & damnent, quod ante eorum oculos Pariſiis venale laudatum, certe indamnatũ proſtat.

RESPONSIO.

Miſeret me tuæ inopiæ: miſeret miſerrimæ cau-ſæ, quæ iterum imbelli ignobilis cauſidici patroci-nio, quaſi comploratis rebus, committitur. Hæc omnium maxima contumelia tua eſt in Theologicã Facultatem, in tot Antiſtitum cœtũ, quòd eos ido-neos cenſueris, quos in viliſſimum deuocares pugnę

genus, quos vel ipſe tu perpetua ineptiarum hebetudine allatrares, vel cum hominibus alieniſſimis, longe imparibus, ſumma abſurditate committeres; modò cum Franciſco Fontano, Antonio Binetio Ieſuita Socio tuo, modò cum Ioanne Lomede Aduocato Pariſienſi neſcio quo, cuius ætatem non in ſplendida ſupremi Senatus luce, ſed in Officialis auditorij anguſtiis contritam fuiſſe ferunt. Eſtne ſanæ mentis, teſtor ſelectum illud ex omnium regionum ingeniis, tuum Sodalitium, eſtne humani ſenſus, eiuſmodi hominem dignum ducere qui tot Antiſtitum, tot Theologorum emeritorum luminibus toties opponatur? Concedatur tamen hoc delirium neceſſitati, qua oppreſſus rapere cogeris quicquid primum obuium eſt, ſine delectu rerum, ſine ineptiarum diſcrimine, ſolo explendæ penuriæ deſiderio. Cæterùm Aduocatus iſte, ad quem ab omnibus patronis repulſus, velut ad aram confugis, tuam quoque causã repudiat. Nã verba quæ affers nulla ſunt in tractatu de exemptionibus Ioannis Lomede, quem mihi videre contigit Pariſiis, editum cum multis aliis variorũ opuſculis anno 1613. in quo nec libro primus quẽ citas reperitur, nec vlla mentio Petri Bleſenſis Londinenſis aut Bathoniẽſis Archidiaconi. Tractatulus eſt breuis, duodecim capitulis conſtans, nõ pluribus libris diſtinctus. Quare vide quẽ nobis tractatũ, quos libros, quæ verba Lomede narres. Si enim forte ſumpſiſti ex antiquiore aliqua editione, de qua quæ operis iſtius ignobilitas eſt nobis nõ cõſtat, ſed tamẽ aliqua eſſe potuit, cũ autor teſtetur illud à ſe ſcriptũ, nõ

ante annos ferè triginta, vt tu falsò ais, ſed ante quadraginta vel quinquaginta, rege nempe Hérico III, cuius ab obitu anni quadraginta amplius ſunt; ſi igitur ex aliqua antiquiore editione ea verba habes (nec enim adduci poſſum vt hæc à te tam nequiter fingi putem) vbi eam protuleris, ſaltem agnoſcere debebis petulantiam qua Cenſoribus Pariſienſibus exprobras id quod vel in iſto libro nunquam fuit, vel ſi fuit, eorum iudicio expunctum eſt. Ita ridiculus iſte *clypeus* quem iis obiicis, in telum quod nullo clypeo effugias conuerſum eſt. Tu iam *lamia* es, tu *cæcus domi & foris*. Tu *ridendus* non *hoſtis*, ſed defenſor *hæreſum*. Tu denique conuitia omnia quæcumque in Cenſores procaciter agglomeras, in tuū caput congeſſiſti, mendaciter aſſerens *illud dogma ab ijs in libro Anglicano damnari quod ante eorum oculos Pariſiis venale laudatum, certe indemnatum proſtet*. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. *Pſal. 63.*

Tertiò, vt ſingulas gradatim tuæ obiectionis ineptias explicemus, iſta ipſa verba, etſi Epiſcopis contumelioſa, tamen à tuo errore longe diſſonant. Aiunt quidem Epiſcopos qui regularia inſtituta nō calleant, non videri idoneos viſitandis Monaſteriis, & docendis quæ non didicerint; ſed non aiunt non debere ea virtute animi, eaque gratia præditos eſſe vt id poſſint, quemadmodum potuere & fecere plures Epiſcopi tum præterito, tum præſenti æuo. Qui quamuis regulares non fuiſſent, tamē religioſas domos non ſolùm egregiè viſitarunt rexeruntque, ſed

etiam

etiam noua regularium inſtituta condiderunt, vt Epiſcopus Geneuenſis Religionem Monialium Beatæ Mariæ Viſitationis in Gallia; vt ſileam Congregationem Oratorij ab Eminentiſſimo Cardinali Berulio conſtitutam Lutetiæ, ac deinceps tota Gallia; Societatem Oblatorum S. Ambroſij Mediolani à S. Carolo, & alias quæ propriè regulares non ſunt, quamuis à regularium vita non admodum diſſentiant. Non negant igitur illa verba eſſe Epiſcopalis officij ea virtute & vitæ integritate præditum eſſe quæ regendis erudiendiſque regularibus ſufficiat; ſed olim id frequentius fuiſſe volunt in Epiſcopis, quia ſæpius fuerint regulares; nunc minus frequens eſſe, eo quod minus ſæpe è regularibus aſſumantur. Atque in hoc contumeliam irrogant Epiſcopis, eamque contumeliam, quam Miniſtro ipſi eluere neceſſe eſt, ne latiùs quàm velit ſerpat, non ſolùm ad Epiſcoporum, quos violare non metuit, ſed etiam ad ſummorum Pontificum, quibus adulatur, & in quos ſtudioſior videri laborat; ludibrium. Nam, quod ſæpius monuimus, adeò connexæ ſunt & cohærent Epiſcoporum omnium, tum ſummorum, tum inferiorum, dignitates, vt aliæ infringi non poſſint, quin aliæ eodem impetu labefiant.

Si ergo Epiſcopi non congruè præficiantur regularibus, nec poſſint huic muneri eſſe pares, niſi regularem vitam ſint profeſſi; Si alioquin dicendi ſint *conſtituere quæ neſciunt*, *docere quod non didicerunt*, *Doctores eſſe antequam diſcipuli*, *duces priuſquam milites*; ne ſummi quidem Pontifices congruè præ-

erunt Regularibus, cùm ipſi non fuerint Regulares. Quærenda erit liberatio ab eorum poteſtate; exemptiones à Romano quoque Pontifice nouo iure inducendæ erunt, ne fortè conſtituant quæ neſciunt, doceant quæ non didicerunt, doctores antequam diſcipuli, duces priuſquam milites ſint. Hanc ego conſecutionem à turbidiſſima Spõgia nõ viſam eſſe video. Etſi enim aperta & ineluctabilis eſt, tamen nihil tam apertum in quo non cæcutiat, nihil tam perditum quò effræni Epiſcoporum odio, & inſolenti æmulatione trahi non poſſit. Quo maior opera Pontifici maximo adhibenda eſt, vt errores improbi, & impotentes iſtorum animi comprimantur, ne per Epiſcoporum deiiciẽdorum libidinem, ad ipſius primarii Epiſcopi conuellẽdam authoritatem vel volẽtes, vel inuiti abripiantur ipſą motuum ſuorum vehementia & indomito impetu, qui neque ab ipſis, neque ab aliis teneri queat. Eſt hæc hæreſum omnium errorumque natiua indoles: longam ſecum trahunt malorum ſcelerumque grauiorum ſeriem, cuius admiſſo initio, cætera eodem agmine, irrefragabili pernicitate conſequantur. Eſt hæc, inquam, errorum propria quædam concupiſcentia, cuius motus nulla ratio cohibet; imò quæ inuitam eius in quo inſederunt rationem deuinciunt, vt ſe explicare nequeat inenodabili quodam prauitatum aliarum ex aliis religatarum laqueo. Quàm multa hæreſiarchæ initio dicere horruerunt, ex hæreſibus ſuis conſequentia? Quàm inuiti ea ſuis dogmatibus innexa & indiuulſa viderunt? Quæ tamen

paulatim priorum hæreſum amore ac lenocinio, cum iis pariter complexi ſunt, gliſcente & inoleſcente in animis errorum quaſi langore. Amare didicerunt, quæ prius fugiebant & oderant, quia illa odiſſe non potuerunt, quorum amore hæc amare coacti ſunt. Ita iſti nunc quidem ſimulant ſe nihil mouere in Pontificem, nihil de illius poteſtate minuere; & forſitan ex animo dicunt. Vbi verò errores hæreſeſque quas fouent, tuentur, vindicant, ſine Pontificij culminis depreſſione teneri non poſſe, argumenta omnia eò impellere, rem ipſam id exigere, nec aliter cohærere perſpexerint; horum errorum ſtudio, eos quoque quos nunc vitant, quorum pudet, quos metuunt, ad neceſſarium auxilium aſciſcere compellẽtur, & primò non fœda, hinc pulchra videri incipient, quæ nunc deformia putant. Nunquam enim adduci poterunt vt hos errores vnde illa manant, expuant animis, ſtirpeſque malorum eruant, quantũcumque priuatis commonitionibus, & rationum lumine obruantur, niſi maiore metu, & Pontificij oris oraculo inuicta ſuperbiæ pertinacitas maturiùs expugnetur. Nos interim quos timore non poſſumus, pudore, & errorum perditorumque conſiliorum infamia compeſcere conamur, ne ſine vllo vndique retinaculo ad Eccleſiæ labem, ad ordinis doctrinæque Eccleſiaſticæ & auitæ ſubuerſionem graſſari pergant.

Vt igitur ad propoſitum redeamus, intolerabilis arrogantię eſt Ieſuitam hominis penè ignoti vocibus iactitare, Epiſcopos, niſi regulares fuerint, non

eſſe regendorum regularium muneri pares, docere quod neſciant, doctores priuſquam diſcipulos eſſe, duces priuſquam milites. Quo ſermone & Romani Pontifices, & Eminentiſſimi Cardinales, aliique viri primarij qui Congregationi quæ Romæ de Regularibus Pontificis authoritate conſtituta eſt, præſumit, vellicantur & carpuntur, quaſi munus cui ſint impares aggredi audeant, & docere quod non didicerint. At nos iſtud quidem legimus ſcriptum à SS. Patribus in Monachos præproperè & illotis, vt aiũt, manibus ad Clerum prouolare geſtientes, verẽdum nimirum eſſe ne magiſtri prius fierent, quàm diſcipuli fuiſſent; *ſi Clericatûs te titillat deſiderium*, inquit Hieronymus Monacho, *diſcas quod poßis docere, & rationabilem hoſtiam offeras Chriſto, ne miles antequam tyro, ne priùs magiſter ſis quàm diſcipulus*. Quibus verbis Monachorum ſtatus ad Clericorum, vt tyronum ad militum, vt diſcipulorum ad magiſtrorum, comparatur. Sed tali ſermone vllius nominis ſcriptorem quempiam præpoſterè vſum eſſe ad erigendas ſupra Clericos, imò ſupra Epiſcopos, ceruices Regularium, quos Hieronymus non modò ſupra Epiſcopos, ſed etiam infra infimos Clericorum ordines ſubiicit; nuſquam à me lectum eſt, nec ab alio legetur vſquam.

Quis enim ferat Eccleſiæ totius regimen, myſteriorum, ſacrarũ rerum diuinarumque omnium adminiſtrationem, quæ Epiſcoporum cura & poteſtate continentur, minoris fieri, tenuioris virtutis & facultatis haberi, quàm regularium directionem?

Digitized by Google

Quis ferat aſſeri eos qui illis omnibus, tot tantiſque rebus ſint pares, huic vni eſſe impares? Quænā iſta eſt Ieſuitica proteruia, vt ſe reliqua omni Eccleſia maiores, ſacris omnibus diuiniſque rebus excelſiores exiſtiment? Non ita S. Dionyſius, & ex eo S. Thomas, quos toties audiuimus Regulares ſubmittentes Epiſcopis, vt perficiendos perfectoribus, diſcipulos magiſtris, diſpoſitionem perfectioni, materiam formæ, patiens agenti: Non ita cæteri SS. Patres partim iam citati, partim citandi alibi, quorum vno conſenſu patet Monachos ab initio Eccleſiæ fuiſſe ſub Epiſcoporum regimine ac poteſtate, virgines etiam ſacras, non ſecùs ac vniuerſam membrorum Eccleſiæ plenitudinem; adeoque Epiſcopos ea gratiæ virtutiſque abundantia inſtructos eſſe debere ex lege ſui muneris, vt huic officio ſufficiant, cùm aliis longè maioribus & grauioribus debeant eſſe pares. Quanto enim minoris animi, & minoris ſit virtutis Regularem familiam regere, in qua omnes ad nutū parent, & pectora ſponte offerunt, parum audent, parum poſſunt, quàm Eccleſiam multiplici omniū ordinum varietate, proborum, improborum, piorū, impiorumque, diſtractam, quiuis per ſe intelligit, nemo regularis Ieſuita ſanior non videt. Si qui verò ſunt vſpiam minus idonei tantæ rei, non ex hominibus muneris magnitudo metienda eſt. Quàm paucos fatentur ipſi Regulares in ipſis cœnobiorū ſtadiis idoneos exiſtere, qui aliis præponantur? Quā multa per præpoſitos non optimos detrimenta fieri gemunt? Quamobrem non paucæ Regularium do-

Supra ſapè.

mus notæ melioris, præcipuè Monialium, in Epiſcoporum poteſtatem, & in Sacerdotum Eccleſiaſticorum diſciplinam ſe dedere maluerunt, Regulariũ ſuperiorum tum alia incommoda, tum hoc potiſſimũ fugientes, quod Regulares Monaſticarum, exteriorumque obſeruantiarũ fiducia, interiorem animorum diſciplinam [a] non pari ſemper ſtudio perſequãtur. Contrà Presbyteri ſunt, qui licet regularis vitæ conſuetudinem non experti, in virtutũ tamen [b] omnigenarum ſtudio, in Eccleſiæ charitate, in pietate, in mortificatione ſpiritus ſeſe totos collocantes, id aſſecuti ſunt quod in regendis animabus præcipuũ eſt, ſolidam humilitatem, charitatem, moderationẽ affectuum, diſcretionem, quam vnam S. Thomas regularibus obſeruantiis omnibus anteponit. Atque hac vna illarum vim diuiniùs percipiunt, prudentiùs moderantur, certiùs dirigunt quàm ij qui externo religionum cultui intentiùs hærent, quàm gratiæ ac ſpiritus interiori, laborioſiori, diuiniori certamini, non ſatis memores Apoſtoli commonentis, [c] *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt*. Quem in locum vide ſodes commentarium S. Thomæ.

a *Chryſ. l. 6 de Sacerd. c. 5.* Μοναχῶν μὲν γὰρ πολὺς ὁ πόνος, ἀλλὰ κοινὸς τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ σώματος τὸ ἀγώνισμα. μᾶλλον δὲ τὸ πλέον τοῦ σώματος κατορθοῦται κατασκευῇ· ἐπισκόπων δὲ καθαρὰ τῆς ψυχῆς ἡ τέχνη, *&c. hoc eſt:* monachorum etſi multus eſt labor, tamen commune eſt animæ corporiſque certamen. Imò maxima ex parte corporis conſtitutione perficitur. Epiſcoporum autem ars ſolius animi eſt.
b *Vid Conc. Aquiſgran ſub Steph. 4. c. 15.* c *1. Tim. 4.*

Quod verò ſuſurrat Spongia, *Sanctos Epiſcopos Gregorio & Auguſtino ſimiles, ſubleuari cupere parte oneris Angelicis humeris formidandi*, Malè nouit, malè lædit Gregorij, Auguſtini, & piorum Epiſcoporũ ſanctitatem. Optauerunt quidem ſancti Epiſcopi,

ſi Deo volente fas eſſet, totum onus illud Angelicis metuendum humeris deponere, eius præſtantiæ & propriæ tenuitatis conſcij. Vnde Auguſtinus Epiſcopatum ſuum ſæpè ſeruitutem, ſæpè ſarcinã, ſæpè pondus vocat. At diuidere Epiſcopatum, nõ minus quàm Eccleſiam diſcindere horruerunt, ne fidẽ muneri ſanctiſſimo, Eccleſiæ, Chriſto ipſi, à quo tantam rem, quaſi diuiniſſimum depoſitum ſuæ curę datam eſſe norant, fallerẽt, ſi eam ſui leuaminis ſtudio lacerari paterentur. Coluerunt eam, venerati ſunt, amarunt; iura eius diuinaſque dotes maiori ſtudio quàm propria membra tutati ſunt; citiuſque mortem ſubeundam docuerunt, quàm permiſſę ſibi ſacratiſſimę Chriſti poteſtatis, quæ regni ipſius pars magna eſt, leuiſſimam deminutionem. Sed iſta Spongiæ ignorare licitum eſt. Nihil nouit niſi ignobiles ignotiſſimorum cauſidicorum codicillos. Hinc ſcientiam Theologicam; hinc veterem Eccleſiæ diſciplinã petit; læua quadam & ſiniſtra humilitate hominem nõ Theologum doctorem capere mauult, quàm florẽtiſſimam Theologorum Facultatem, quàm ampliſſimum cœtum Epiſcoporum, qui Doctorũ Doctores, & Theologię Doctores primarij ſunt, non ab Academiis, ſed à Chriſto Ieſu per Spiritum ſanctum cooptati, & [a] *in Eccleſia poſiti, ne circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.*

Aug. epiſt. 203. & homil. 25. l. 50. homil. & ep. 135. & paſſim.

Chryſoſt. lib. con. Gent. ſeu de S. Babyla: Τὸν τῆς ἱερωσύνης λαχόντα χρὴ τῆς ἐξουσίας ταύτης τὸ μέγεθος μὴ ἐλαττοῦν, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς ἐξίστασθαι πρότερον, ἢ τῆς αὐθεντίας ταύτης, ἣν ὁ Θεὸς ἄνωθεν ταύτῃ συνεκλήρωσε τῇ ἀρχῇ. ὁ μὲν γὰρ οὕτως ἀποθανὼν, καὶ μετὰ τὴν τελευτὴν δύναιτ' ἂν ἅπαντας ὠφελεῖν· ὁ δὲ ταύτην τὴν τάξιν λιπὼν, οὐ μόνον μετὰ τὸν θάνατον οὐδένα ὀνήσει, ἀλλὰ καὶ ζῶντας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ ἐπιτροπευομένους πολλῷ μαλακωτέρους εἰργάσατο, καὶ παρὰ τοῖς ἔξωθεν ἐπονείδιστος, καὶ καταγέλαστος γίνεται, &c. *Hoc eſt:* Epiſcopum oportet non minuere magnitudinem huius poteſtatis, ſed animam potiùs exuere quàm authoritatem huic principatui à Deo ſupernè attributam. Qui enim hoc pacto moritur, etiam poſt mortem omnibus prodeſſe poterit. Qui verò hunc ordinem deſeruerit, non ſolùm poſt mortem proderit nemini, ſed etiam viuentes eos quibus præeſt plures molliores efficit, & ipſe apud extraneos vituperabilis & ridiculus efficitur.

a *1. Cor. 12. Epheſ. 4.*

Dicet quiſpiam, Gallus hic eſt, at Daniel à Ieſu Anglus. Ergone Gallis, quia Chriſtianiſſimi audiunt, licebit quod Chriſtiano non licet? in Epiſcopos ſcilicet quod libet dicere; vt olim Ioannes Gerſon in omnes vnius gentis, ſcilicet Angliæ Epiſcopos debacchatus eſt inuectiua, quam Pariſienſes ipſi ediderunt, atque adeo ſi ſit ibi quidpiam nota dignum, noſtros Cenſores id tangit. Audiamus ea ibi dicentem quæ magis Cenſura egent, quàm quæ Daniel à Ieſu, aut Nicolaus Smithæus ſcripſit. In Dialogo Anglum inter & Gallum, Anglo monenti ne carperet Præſules Eccleſiæ Anglicanæ, quas ſua dignitas faceret venerabiles, reſpondet Gerſon : Dignitas ex ſe improbos nequit facere reuerendos, quia ex ſe dignitas nihil habet virtutis, nec virtus ex dignitate, ſed propter virtutem datur dignitati honor. Si enim aliquid boni à natura ineſſet dignitati, mali non præeſſent, ſicut videmus præeſſe. Video Præſules veſtros & Sacerdotes armigeros, & viros ſanguinum effectos, ſed quo iure neſcio; & tamen nuper audiui Regem veſtrum Henricum vltimo vita functum ſtrenuum mirabiliter, Præſules veſtros arguentem & mordentem, quod ex eorum incumbenti officio non eſſent pacis amatores, zelatores & perquiſitores. Et tamen veſtros vidi Prælatos magnos, & audio bellatores, eorumque mores tam euerſos conſiderans, recolo quod dicit Bernardus ad Eugeniũ, Quod totus zelus Eccleſiaſticus feruere videtur in tuendis poſſeſſionibus, dignitatibus, honorique to-

Dignitas in Dialogo duorum militũ, tom. 2. col. 869.

tum detur, & ſanctitati nihil, de Dei placito vltima fit mentio, & de iactura ſalutis cunctatio nulla, nec ſalubre putatur niſi quod ſublime, & nihil iuſtum videtur niſi quod gloriam redolet. Dic precor Prælatis tuis, Non in fortitudine viri beneplacitum eſt Deo, ſed ſuper humilem & manſuetum, & timentem verba Domini requieſcet ſpiritus eius, &, Qui te in vna maxilla percuſſerit, præbe aliam. Dic Prælatis tuis magis annuentibus maieſtati quàm veritati, mente vt reuoluant illud tremendum Euangelium, Niſi iuſtitia veſtra abundauerit magis quàm Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum: qui dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit iudicio: qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Hæc Gerſon, quæ abſit vt regeram in Galliæ Epiſcopos; nec enim, vt ille, rumuſculis de Epiſcoporum moribus fidem habeo, neque ſi mihi conſtaret de eorum moribus euerſis, propterea illos venerari deſiſterem. Odi enim & execror illud Gerſonis dictum, à noſtris Cenſoribus editum & approbatum,* Dignitatem ex ſe Epiſcopos virtute deſtitutos non facere reuerendos, nec dignitati ex ſe, ſed virtuti honorem dandum, *quod niſi violenta interpretatione torqueatur à proprio ſenſu verborum, ipſiſſimum eſt Vvicleſi dogma in Concilio Conſtantienſi damnatum, quod iſti falsò, & malitiosè Nicolao Smithæo imputant.*

RESPONSIO.

Redi, redi in viam & in mentem. Malæ te intemperiæ præcipitant. Quò abis à propoſito, à pu-

dore,à ſanitate,in deuiam conuitiorum blaſphemiarumque voraginem? Agebatur de propoſitione qua dicere auſus es gratum fore ſanctis Epiſcopis ſi dicatur ſui muneris lege potentes eſſe non debere dirigendorum Regularium. Hanc vbi vix delibaſti, ſoloque cauſidici neſcio cuius indocto falſatoque teſtimonio, homo Theologus, & Ieſuita Theologus, ridicula vanitate probare ingreſſus es, tranſuolas ſine cauſa, ſine lumine animi, inſita tui genij mobilitate ad longam Ioannis olim Gerſonis in ſui ęui Anglicanos Epiſcopos increpationem, vt ſub illorum imagine, quorum honori ne mortuorum quidem parcere potes, inhærentem medullitùs in Galliæ Epiſcopos, prauitatum tuarum vindices, maleuolentiam exoneres. Nec enim iam ferimus illas voces ſtolidæ vafritiæ toties exſibilatæ plenas, *Abſit vt hæc regeram in Gallia Epiſcopos*: quia intolerandum eſt te tam inanis præſidij ſpe, ruere effuſo animo in enormis maledicentiæ ſpatia, vt quæcumque fanda infandaque vomueris, impunè fore putes, dummodò coronidis vice ſubiicias, te ſine blaſphemandi ſtudio blaſphemaſſe, & in medio criminum æſtu eſſe inſontem. Nempe non ſolùm impudens, ſed amens haberi cupis.

Si Gerſonis locum non probabas, nihil fuit cur referres, cur exſcriberes, cur pagellam impleres. Locus eſt remotiſſimus à ſerie ſermonis tui, & à diſputationis orbita. Nihil eò te compulit, niſi & intentus ad contumeliam animus; & natura laſciuior, certæque rationis terminis teneri neſcia. Lætatus

eſte Gerſonis verbis venditare poſſe, quod mente conceptum tuo nomine expromere vterebare. Metuiſti ne quod notum eſſe cupiebas, nimis lateret. Quæ enim dolemus mala, etiamſi publica ſunt, tegere conamur: Quæ cupimus & volumus, etiamſi latent, prodimus, & ſine neceſſitate buccinamus. Nam illa clauſula, *Abſit vt hæc regeram in Galliæ Epiſcopos*, admonitio potius eſt, ne Lector minimè malus generatim ſpargi putet in omnium gentium Epiſcopos, quæ ad Præſules Galliæ, qui nimirũ auſi ſint Moliniſticam gloriam, Ieſuiticam teneritudinẽ attingere, nominatim referuntur. Ac, ne color conuitio deſit, additur, *Nec enim, vt ille, rumuſculis de Epiſcoporum moribus fidem habeo*, vt confictis rumuſculis, & veteratoriè de vocata in dubium fama Epiſcoporum, intentatæ blaſphemiæ in eorum nomine faciliùs inſideant. Eò enim referuntur ſequentia, *Neque ſi mihi conſtaret de eorũ moribus euerſis, propterea illos venerari deſiſterem*, quibus verbis cumulatur conuitium, Epiſcopi venerationis ſpecie, quò maior inſultatio fiat, ad vltimam dedecoris infamiam detruduntur.

Nec hoc ſatis ad tuæ *amaritudinis radicem* eruendam. Altiùs manant eius fibræ, & in ipſum Gallicanorum Præſulum velut cor ſua venena conferũt. Nec enim omnes, nec vlli adeò ſunt, Galliæ Epiſcopi, eorum in primis quorum nominibus tuarum hæreſim Cenſura notata eſt, quibus impingere poſſis Gerſonis locum, & ſimulatam Gerſonis nomine declamationem. Nulli eorum ſunt in quos dicere *Heb. 12.*

queas, *Video Præſules veſtros & Sacerdotes armigeros, & viros ſanguinum effectos, non pacis amatores, Zelatores, perquiſitores, ſed bellatores, &c.* Nulli eorum bella geſſere, nulli tractarunt arma, nulli bellorum conſilus interfuerunt. Vnus eſt in quem iſta cadãt: Vnus qui criminationi huiuſmodi ſubiici poſſit, vt merito ſuo maximus & celeberrimus, ita ſummis in tuam Societatem meritis, tibi tuiſque, non ſugillationibus obliquis, ſed gratulationibus publicis proſequendus. In quem quòd impote ſui animo, & improuida mordacitate ferare, tamque amplum nobis in eum laudum, in te obiurgationum & increpationum æquiſſimarum campum aperias, non minima feruoris & imprudentiæ tuæ, tuorumque pars eſto. Retunderemus verò iſtos æſtus non molli brachio, & ſummi viri famæ procacem iſtam ſtultitiam ſplendidè admodũ mactaremus, niſi altiſſima quadam reuerentia, & publicarum rerum religione prohibiti, ſancta *Regum ſacramenta* temerè, more tuo, violare, & ſuperuacuas ei defenſiones, & intempeſtiua encomiorum munera tribuere vereremur. Satis eum interim ſua ipſa fama, & totius orbis, etiam inimicorum, admiratio, & neceſſarij plauſus, non ſolùm à tuis contemptiſſimis fraudibus, ſed à multo valentioribus quibuſlibet petitionibus, tuebuntur.

Card. Richelieu

Tob. 12.

Infeliciter verò, & in primis fallaciter, in illius cõtumeliam rapitur Gerſonis locus. Gerſon enim eos Præſules Anglicanos carpit, qui Regem ſuum ad bellum apertè iniquiſſimum & nefarium, vt validis

argumentis late probat, in nationem Gallicanam concitabant. Quo bello præter infinitam Galliæ calamitatem hoc etiam Chriſtianæ rei vniuerſæ detrimenti attulerant, quòd Philippum Valeſium Galliæ Regem expeditioni Hieroſolymitanæ cum trecentis armatorum millibus accinctum, à pio propoſito abſtraxerant, cùm ei ad ſacrum iter ſuppetias ſpopondiſſent; corrogatumque per Angliam pium pij belli ſtipendium in bellum nō pium aduerſus Chriſtianiſſimam gentem conuerterant. Quod maligne à Spongia ſuppreſſum eſt, ne Gerſonis publicum crimen expoſtulantis æquitas manifeſtè cerneretur, interciſæque nequiter eius voces. Nam poſt illa verba, *& tamen veſtros vidi Prælatos Magnos, & audio bellatores*, & omnia tranſiliit, *& pridem, quod deterius eſt, pium & charitatiuū ſubſidium pro fide Chriſti iure datum, & contra hæreticos conuertendum, contra nos Chriſtianiſsimos conuerſum, & pro noſtra occiſione erogatum, quod mihi nedum admirationem inducit, ſed ſtuporem.* Ex quibus Gerſonis in illos querimonia nō iniqua fuiſſe probatur, præcipuè cum collocutor Angli militis perſonam agens, eos belli autores & incentores, quaſi in re minime dubia, fateretur.

Sed Ieſuitarum cæcitas vbique ſui ſimilis eſt. Pari æſtu odij Sorbonam & quicquid eam attinet, inuolant. Vno eodemque opprobrio Gerſonem, antiquum illius decus; & eius præſentem lucem, caput, patrem, complectuntur. Eadem vtrumque criminationis ſtoliditate impetunt. Sicut enim alterum vexant quaſi pacis oſorem, ſtudioſum belli, bellatorē,

Digitized by Google

virum ſanguinum, eo tempore cùm is ſuæ vitæ diſpendio pacem Eccleſiæ moliretur; Ita Gerſoni Vvicleſi hæreſes inurunt, quo nullus Vvicleſi maior hoſtis, nullus vehementiùs & efficaciùs in Concilio Cõſtantienſi Vvicleſi damnationi incubuit. O Ieſuitam ſuorum miſerrimum defenſorem! alienorum miſerrimum oppugnatorem!

Si Gerſoni vitio dandum eſt, quod negauit homines dignitate venerandos effici; tam multos habebit criminis ſocios, vt vel Ieſuitam pudeat accuſationis, nedum damnationis eorum. Notũ eſt hunc eſſe piorum hominum, & Chriſtianorum pene omnium ſermonem, quo non ipſas dignitates, ſed carũ abuſionem, & fiduciam, & ſolicitudinem ſuperfluã inſectantur. Ita locuti ſunt tum ſæpius, tum multo acriùs SS. Patres. Hieronymus loco à Spongia non longè antè prolato, *Non facit*, inquit, *Eccleſiaſtica dignitas Chriſtianum.* Et alibi, *Nemo magis Eccleſiaſticus eſt, quàm qui nunquam hæreticus fuit.* Quin & Epiſcopum qui minus ſe recte habeat, negat habendum Epiſcopum: *Illud etiam dico, Epiſcopi ſacerdotes ſe eſſe nouerint, non dominos: honorent Clericos quaſi Clericos, vt & ipſis à Clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur.* Scitum *illud eſt oratoris Comitij, Cur ego te,* inquit, *habeã vt principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem?* Similia paſſim occurrunt. Imò Chryſoſtomus ſcribit Heliam congredientem cum Achab, ſpreuiſſe eius dignitatem, cum non vt verum, ſed vt perſonatum Regem habuiſſe, quòd in eius animo nihil Regium intueretur. Pleni libri ſunt eiuſmodi locutionibus, quæ licet

Hieron. ep. 1. ad Heliod.
Idem ep. 62. ad Theoph. aduerſus errores Ioan. Hieroſ.
Spong. pag. 14.
Idem ep. 2. ad Nepot.
Chryſoſt. ho. 8. ad pop. Antioch.
ἰδὼν αὐτὸν αἰχμάλωτον & δοῦλον ὄντα τῶν παθῶν, καταφρόνησεν αὐτ

ſimile quippiam cum Vviclefi hæreſibus præ ſe ferant, proüt altiſſima quæque veritas errori proxima & contigua eſt; ab ea tamen tantò magis diſſonant quàm medium & vulgare veritatum genus, quanto in maiori & excellentiori veritatum ordine ſunt. Nihil quippe volunt orationes eiuſmodi, niſi hominẽ ipſa dignitate non magnum effici, aut venerabilem apud Deum, aut in imis piorum hominum ſenſibus, aut cœli honoribus digniorem; tametſi humanis externiſque dignior fiat. Sic clare exponit ipſe Gerſon ibidem, proximis verbis, *utinam talis ſit, cuius operatio, lingua, mens, & vita teſtimonium præbeat dignitati. Apud Deum enim non maieſtas, ſed actus, vita & morum dignitas approbatur.* Hoc nimirum eſt tuum illud *ipſiſſimum Vviclefi dogma, niſi violenta verborum interpretatione torqueatur.* Tua verò mens, quantumuis violentè torqueas, vix ad ſanam vllam cogitationẽ flecti poſſit. Omitto quod ſi ſedatiore animo opuſcula iſta perluſtraſſes, vidiſſes in editione Pariſienſi qua vſus es, ea negari eſſe Gerſonis. Sed tibi Cenſores tuos cenſere per fas & nefas traducere, ſumma demum voluptas eſt, & quouis crimine redimenda. Sanus eſto, & eos ſanos habebis.

τῆς ἀρχῆς. καθάπερ γὰρ ἐπὶ τῆς σκηνῆς, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ τῆς ἀληθείας, ἐδόκει βασιλέα βλέπειν. *hoc eſt:* Cùm eum introſpiceret captiuum eſſe, & vitiorũ mancipium, ipſius principatum contempſit Regẽ enim ſibi non verum, ſed ſcenicum aſpicere videbatur.

PROPOSITIO VNDECIMA.

Ex cap. 6. n. 30.

EXCELLENTIA *Religioſi ſtatus, qua caret Epiſcopalis ſtatus, hæc eſt, quod religio eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, cùm ſtatus Epiſcopi ſit in ſtatu per-*

Digitized by Google

fectionis acquiſitæ. Eſſe in ſtatu perfectionis acquiſitæ non importat eſſe in ſtatu, ex cuius profeſſione perfectio actu acquiritur, ſed qui ſupponit aliquem eſſe antea perfectum, dando illi nulla media propria ſtatui, quibus perficiatur, ſi fortè non ſit perfectus cùm aſſumit illum ſtatum, ita vt homo imperfectus factus Epiſcopus, ſi aliàs fortè euadit perfectus, hoc fit exercitio actionum, quibus non tenetur ex ſtatu. Et paulò poſt. *Si non ſit ita prius (ſcilicet perfectus) eſt in periculoſo ſtatu, quia in ſtatu requirente multam perfectionem ſine mediis propriis ad illam obtinendam.*

CENSVRA.

Iſta propoſitio quatenus aſſerit Epiſcopum ratione ſui ſtatus non teneri ad vllas actiones, nec habere vlla media, quibus ſeipſum perficere poſſit, eſt falſa, temeraria, erronea, verbo Dei contraria, & dignitati ſtatus Epiſcopalis derogat.

SPONGIA.

Videntur Cenſores hoc loco, non ex malitia, ſed ex mera ignorantia, craſſa tamen, impingere. Author quidem dicit Epiſcopum ratione ſtatus Epiſcopalis non habere media, quibus ex imperfecto, hoc eſt, peccatis dedito fiat perfectus & ſanctus, non negat tamen habere media quibus ex perfecto fiat perfectior, & ex ſancto ſanctior. Verba eius quæ citant, hæc ſunt: Nec habet media ſtatui propria quibus perficiatur ſi fortè non ſit perfectus. *Negat igitur Epiſcopali ſtatui media propria, quibus perfectio acquiratur, non quibus augeatur,*

Digitized by Google

geatur, & hoc certe veriſſimum eſt. Epiſcopatus quippe, cùm ſupponat perfectum & à peccatis purum, actiones propriè Epiſcopales non poſſunt reddere purum à peccatis & perfectum, ſed tantùm perfectiorem & ſanctiorem per ſe loquendo. Actiones enim, quibus homo fit ex peccatore iuſtus, & ex imperfecto perfectus, ſunt pœnitentiæ & mortificationis, ad quas exercendas Epiſcopus vt Epiſcopus non ordinatur, ſed ipſis iam ſuperior ſupponitur ratione ſtatus, quicquid reuera ſit ratione vitæ.

RESPONSIO.

Fruſtra tegere conaris diffidentiam quæ te angit, inconſultâ verborum audaciâ. Fruſtra in imperitiæ tuæ ſubſidium, impudentiam aduocas. Sat vides errorem tuum; ſentis incautam tuæ propoſitionis temeritatem: ſed fateri planè non potes, quia ſuperbia obſedit cor tuum; quia eius Societatis membrũ es, quæ omnia priùs verti ac ruere patiatur; quàm quippiam à ſe ſecùs dictum aut factum agnoſcat. Hic enim Moliniſticæ factionis genius, hæc ſolennis quodammodo per orbem conteſſeratio eſt. Fateris igitur ſtatum Epiſcopalem *habere proprias actiones quæ perfectiorem & ſanctiorem per ſe loquendo Epiſcopum faciant.* Hoc ſi verè & ex animo dicis, à Cenſoribus didiciſti; ante enim nec fatebare, nec ſciebas, ſed contrarium ſcribere & aſſerere auſus es. Quare ſi hæc vera ſciẽtia eſt, ingratè Cenſores, ne dixerim procaciter, *meræ ignorantiæ*, & quidem *craſſæ* arguis, cùm hoc quod ſcis ab iis ſumpſeris, & eorum Cenſura perſtrictus ex ignorantiæ errorumque veterno

Digitized by Google

euigilaris. Quod enim vt hanc palinodiam obſcures, nec errorem agnoſcere videaris, ne quid de ſplendida Societatis opinione minuatur, dicis te negaſſe ſolùm Epiſcopali ſtatui media propria quibus Epiſcopus ex imperfecto perfectus, id eſt, ſi tuam gloſſam audimus, ex peccatore & crimino ſo iuſtus fiat, non autem quibus ex perfecto perfectior euadat; magna te imperitia & audacia inuoluis. Nam te negaſſe Epiſcopali ſtatui generatim media quibus non ſolùm prima gratia, ſed etiam maior perfectio & ſanctitas acquiratur, tua propoſitio clariùs docet, quàm vt tuæ negationis fidentia ferri poſſit. Dicis enim apertè Epiſcopum *eſſe in ſtatu requirente* MVLTAM *perfectionem, ſine mediis propriis ad illam obtinendam.* Media ergo ei ademiſti non ſolùm quibus ex peccatore fiat iuſtus, ſed media *perfectionis* & *perfectionis multæ*, & illius perfectionis quam ſtatus Epiſcopalis poſtulat; quam neceſſariò, ſi ſapias, fateri debes eſſe aliquid ſimplici gratiæ ſtatu altius & eminétius. Quid ergo tergiuerſaris? quid ſenſus abnegas tuos? quid apertiſſimum errorem mendaciis velare contendis, præcipuè tanta intemperantia orationis, qua hoc vnum egiſſe videris vt ea vitia quibus vel maximè indulgebas, vltrò Cenſoribus obiectando, innocentiæ ſpeciem ipſa impudentiæ magnitudine ſimulares?

Ignorantia verò præterea grauiſſima eſt, quod vt ex hoc loco, vbi tam manifeſtè teneris, effugias, ridiculas hominum oculis præſtigias iniicere conaris, & communes hominum Chriſtianorum notiones

Digitized by Google

perturbare, dum id quod dixiſti Epiſcopum *nulla media habere ſtatui propria, quibus perficiatur ſi fortè non ſit perfectus,* ſic exponis, vt ſenſus ſit, non habere media propria quibus ex peccatore fiat iuſtus, ex priuatione gratiæ ad gratiam transferatur. Itaque *imperfectus* tibi & *peccator* eadem ſunt; pro vno habes non eſſe perfectum, & eſſe peccatorem, gratiæ expertem, improbum. Hæc tua mera ſcientia, & craſſa ſcientia eſt, cui *meram ignorantiam*, & *craſſam ignorantiam* opponis. Itáne verò in tua deliria orbem conſpiraſſe arbitraris vt probet hęc? Vt tā inaudita ſuffugia tibi det? Vt tuam incredibilem inuerecundiam non horreat? Quis enim Theologus, vel omnino Catholicus tibi concedat, vt *imperfectum* cū *peccatore* confundas, *perfectum* cum *iuſto* & gratiæ participe: hæc ignorantia, an ſtupor, an deſperatio eſt? Nam ipſi penè pueri qui fidei & pietatis elementis imbuuntur, ſciunt tres eſſe iuſtorum ſtatus, *Incipientium, Proficientium, & Perfectorum.* Quorum duo primi continent nōdum perfectos, imperfectos, iuſtos tamen gratiæque participes, nō improbos & peccatores. Nam hos gradus eleganter Bernardus exponit per triplicis generis oſcula, pedum, manuum, & oris Dei. Quorum nullum peccatoribus & ſceleroſis conuenit. At Ieſuitæ pro craſſæ pinguiſque ſcientiæ iure placet miſcere hos ſtatus, omnes perfectos facere, iuſtitiæ diſcrimina tollere, vt in nouo genere perturbationis, erroris ipſius informitas occulatur. Quid ſcripturas commemorem? Paulus ad Hebræos ſcribens imperfectos eos ſignifi-

Vide Bern. ſerm. 3. & 4. in Cant. Auguſt. in Pſal. 5. & ep. 57.

Heb. 5 & 6.

Digitized by Google

cat, iuſtos tamen, non peccatores. Idē de Corinthiis:
1. Cor. 3. Idem de aliis paſſim. Et clarius ad Romanos perfectorum & imperfectorum diſcrimen intra ipſos iuſtos fideleſque conſtituit, perfectos *firmiores* vo-
Rom. 15. cans, imperfectos *infirmiores*; *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis*
1. Ioan. 4. *placere.* Aperte quoque D. Ioannes, *Qui timet, non eſt perfectus in charitate*; nec tamen ideo charitatis expers, aut peccator eſt. Denique ferēdum non eſt nos ad iſta confutanda adigi, quæ toto ſcripturarum concentu, & ipſo Chriſtianorum omnium, quantumuis imperfectorum, generali lumine exploduntur. Imperfectorum nomine vniuerſi eos intelligunt, qui ad aliquem gratiæ ſtatum, nondum tamen pleniorem & conſummatiorem, ſunt euecti;
2. Cor. 7. qui, vt ait Apoſtolus, *non perfecerunt ſanctificationem in timore Dei*; Nondum *opus perfectum habent,*
Iac. 1. *vt ſint perfecti, & integri, in nullo deficientes*, quantum mortalis vitæ infirmitas ferat. Neque vnquam eos quibus adhuc nouella & tenera, & rudis quodammodo iuſtitia eſt, quibus *lacte opus*, non *ſoli-*
Hebr. 5. *do cibo*, qui *paruuli* ſunt, & *infirmiores*, perfectos vocauit ſcriptura. Iis ſolis hoc tribuit *qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Peccatores autem ne imperfecti quidem ſunt in ordine gratiæ, niſi forte catachreſticos, cùm plane non ſint, ſed mortui ſint, & in ipſo nihilo & priuatione gratiæ iaceant. Inepte mortuum hominem vocabis hominem imperfectū; quia prorſus non eſt homo. Homo imperfectus is eſt, cui

Digitized by Google

aliquid ad humanæ naturæ integritatem deeſt. Abhorret igitur ab omni veri & pudoris ſpecie, vt Ieſuita cùm negauit Epiſcopum *habere media propria quibus ex imperfecto fiat perfectus,* nihil voluerit niſi eum non habere media quibus ex peccatore fiat iuſtus. Hæc ſit ignorantia illius craſſa, vel craſſa potius malignitas, & ariditas, & inopia defenſionis ſumma animi peruicacitate coniuncta.

SPONGIA.

Hanc autem aſſertionem cùm dicunt falſam, temerariam, Epiſcopis iniurioſam, audacter dico neſciunt quid loquantur; eſt enim dogma omnium Theologorum, quodque vel maximè ſtatus Epiſcopalis, dignitatem continet. Hoc quippe ſignificat axioma illud Theologicum, Epiſcopum eſſe in ſtatu perfectionis acquiſitæ, atque adeò non ex vi ſtatus, ſeu per media ſtatus propria acquirendæ, cùm Philoſophiæ oraculum ſit, Actionem non dari in præteritum. Nam primò perficere iam perfectum, acquirere velle iam acquiſitum, quid aliud eſt quàm actum agere? Igitur impoſſibile eſt, & in terminis implicat, perfectionem ex vi ſtatus acquiſitam eſſe, & ex vi ſtatus acquirendam. Quamuis fortaſſis dici poſſit, iam acquiſitam ex vi ſtatus augeri, atque adeò Epiſcopum eſſe in ſtatu perfectionis, non quidem primò acquirendæ, ſed augendæ; qua de re non diſputo, quamuis video diſputari poſſe. Actiones enim Epiſcopales, licet ſanctitatem Epiſcopi inſigniter augeant, tamen ſtatus ipſe per ſe augmentum illud non reſpicit, cùm ſtatus ſit perfectionis alijs communicandæ, non in ſe

augendæ, nedum primò acquirendæ. Exhibeo exemplum, Qui Grammaticam docet, ſuam ſine dubio ſcientiam, dum alios docet, auget & perficit: nemo tamen opinor dixerit, officium Magiſtri Grammatices eſſe officium ſcientiæ Grammatices ipſi magiſtro acquirendæ vel augendæ. Quamuis enim ratione officij actiones exercere teneatur, quibus Grammatices reddatur peritior, illud tamen augmentum officium Magiſtri per ſe non reſpicit, ſed eſt officio per accidens & conſectaneum, quamuis fortaſſis perſona Magiſtri illud primariò ſpectet. Et hæc eſt ſtatus Epiſcopalis vera excelſitas, quouis ſtatu ſua perfectione ſublimior, Dei gloriam, quæ percipitur ex lucro animarum, irreflexa ad ſeipſum acie purè intuetur. Hæc eſt, inquam, altitudo ſtatus, quamuis perſonarum, quæ in ſtatu ſunt, cogitationes fortaſſis ſæpe humiliores ſint, nec in hanc ſphæram aſſurgant. Sed hæc ſubtiliora ſunt, & ad hanc Epiſcopalis faſtigij lucem Cenſores noſtri bubonum inſtar, ſat ſcio, cæcutiunt; & quoniam quicquid ignorant, ſtatim Cenſura notant, ex tenebris ſuis iam cantantes audio ferale illud carmen, Falſum, temerarium, erroneum verbo Dei contrarium.

Responsio.

Quid primùm querar aut eloquar aduerſus inſanientis ſtupiditatis prodigium? Stupore iacet, arrogantia inſurgit; friget ac feruet. Nulla Chimæra ſecum ipſa diſſimilior, diſcrepantior, fabuloſior. Verborum quidem petulantia & ſuperbiſſima ruſticitas per ſe patet; nec quamuis denſioribus æſtuan-

Digitized by Google

tis animi tenebris inuoluatur, vllo orationis lumine indiget, vt cerni poſſit. Ignorantia multiplex patefieri debet, non quo docti indigeant, ſed quia indocti egent, & ſuperbi, & pertinaces, quos ſi ſanare nequeamus, ſimpliciorum ſaltem & bona mente errantium fidem eis auferemus.

Imperitiſſimè igitur primò reſpondet Spongia, Epiſcopum non eſſe in ſtatu perfectionis acquirendæ, quia eſt in ſtatu perfectionis acquiſitæ. Malè errat, malè argumentatur; & hoc errorum eius caput eſt. Fallitur autem dupliciter; primò, quia in *ſtatu perfectionis acquiſitæ*, vel *acquirendæ*, nomine *perfectionis* intelligit gratiam, etiam primam: quem errorem ſupra refellimus, & primá gratiam oſtendimus non poſſe dici perfectionem, Scripturæ ac Patrum ſenſu, nec eum qui primam ſolùm gratiam habet, perfectum; Multo minùs perfectionem quam Epiſcopatus exigit, & qua dicitur acquiſitæ perfectionis ſtatus, eſſe primam gratiam, & ſimplicem iuſtitiæ ſtatum, ſicut à Spongia perpetuò ſupponitur. Ineptiſſimum eſt, & dictu abſurdiſſimum, Epiſcopatum non aliam perfectionem ſupponere niſi peccati puritatem, gratiamque primam. Neque tanta ſtoliditas refelli meretur, & ſatis confutata eſt ipſis Ieſuitæ vocibus in propoſitione damnata, *Epiſcopalis ſtatus requirit multam perfectionem*. Non ergo perfectio acquiſita quam ſupponit eſt ſolus gratiæ ſtatus, ſed perfectio, & *multa perfectio* gratiæ; etſi contrarium in Spongia ſimulet ad neceſſariam euaſionem.

Digitized by Google

Secundò fallitur, quia *ſtatum perfectionis acquirendæ*, intelligit primò acquirendæ, ita vt ſtatus perfectionis acquirendæ ille dicatur qui tendit ad primò acquirendam perfectionem, ſeu gratiam. Niſi enim ſic intelligat, abſurdè colligit ſtatum Epiſcopalem non eſſe ſtatum perfectionis acquirendæ, quia eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ. Nam fieri poteſt, vt & perfectionem iam acquiſitā ſupponat, & ampliùs eam acquiri poſtulet, iuxta ſcri-
Apoc. 22. pturam, *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*; adeoque ſimul ſit ſtatus & acquiſitæ & acquirendæ perfectionis. Sed quia ſtatum perfectionis acquirendæ cenſet eum eſſe quo perfectio, ſeu gratia primò acquiratur; ideo repugnare dicit ſtatum eſſe perfectionis acquiſitæ, & acquirendæ, hoc eſt, primùm acquirendæ, quaſi nondum acquiſita eſſet. Quod ſanè illo poſito manifeſtum eſt. Itaque concedit *Epiſcopum fortaſſis eſſe in ſtatu perfectionis augendæ*, ſed non acquirendæ, ſeu, vt ait, *primò acquirendæ*; quia videlicet ſtatum perfectionis acquirendæ intelligit de prima acquiſitione.

Hæc autem poſitio, præterquam quod merè voluntaria eſt, nullo fundamento nixa, fictitia; etiam communi fidelium & Eccleſiæ ſenſui refragatur. Quis enim ſtatum religioſum, qui dici ſolet ſtatus perfectionis acquirendæ, ideo ſic dici putet, quia in eo perfectio ſeu gratia primò acquiratur? Quæ eſt hæc audaciſſimorum hominum infœlicitas, vt ſemper ruere cogantur in communem

ſenſum,

ſenſum, & in apertiſſimam rerum lucem; nec effugere valeant, niſi communes & penitus inſitas humanis animis notiones euellerint? Magna videlicet regularis ſtatus perfectio erit, ſi ad gratiam primò acquirendam deſtinetur. Magnum habebunt decus quo ſuperbiant & ferociant aduerſus Epiſcopos & Clerum perfectionis arrogantià, qui nequidem vulgarem fidelium ſtatum hac ratione ſuperabunt. Nam fidelium omnium, imò Catechumenorum ſtatus, hoc ſenſu erit ſtatus perfectionis acquirendæ, id eſt, primò parandæ gratiæ; quia Catechumeni ad baptiſmum tendūt, gratiæ baptiſmalis, qua nulla prima gratia maior eſt, candidati. Imò pœnitentes quiuis, etiam illi antiqui, qui extra Eccleſiæ communionem ſegregabantur ad plures annorum decurias, in ſtatu perfectionis acquirendæ erūt, quia in ſtatu gratiæ primò acquirendæ, cùm eā ſummis laboribus & moleſtiis corporis animique acquirere molirentur. Quis tamen hos vnquam in ſtatu perfectionis poſuit? Moliniſtarum hęc ſomnia ſunt, & aniles nugæ, quas tolerandum non eſt, tanta verborum fiducia proteruiaque iactari. Vtrumq; enim ſtatum æqualiter dedecorant, tum Epiſcoporū, tum Regularium, dum illius perfectionem acquiſitam, & huius perfectionem acquirendam, in prima gratia, & tranſitu à peccato ad iuſtitiam conſtituunt. Vnde ſequetur hos ſtatus non eſſe maioris perfectionis, nec maiorem perfectionem profiteri perfectione vulgi fidelium, & Catechumenorum, & Pœnitentium. Quæ ſumma eſt vtriuſque illius ſtatus,

Digitized by Google

in ſuo genere præſtantiſſimi, dehoneſtatio. Et præterea ſequetur, nullum in Eccleſia eſſe ſtatum qui ſummam aliquam & eximiam perfectionem profiteatur. Quæ omnia quaſi Stoïcorum paradoxa exſufflanda ſunt.

Dupliciter ergo errat, vt initio diximus, Spongia in exponendo *ſtatu perfectionis acquiſitæ* & *acquirendæ*. Neutram vocem intelligit nec *perfectionis*, quam pro quacumque gratia, etiam prima accipit; nec *acquirendæ*, quam de prima ſolum acquiſitione interpretatur. Certum enim eſt ſtatum perfectionis acquirendæ illum dici, non qui ad primam vulgaremque gratiæ acquiſitionem dirigitur, ſed qui ſpectat adeptionem gratiæ alicuius eximiæ minimeq́; vulgaris, quæ ſola nomine perfectionis intelligitur. Vnde Regulares, quia ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ, non primam gratiæ acquiſitionem, ſed maiorem vulgo & excellentiorem, & conſiliis Euangelicis, ei qui omnia iam mandata ſe perfeciſſe dixerat, propoſitis reſpondentem profitentur, primamque vt minimùm gratiam iam acquiſitam ſupponunt. Nec ideo tamen ſunt in ſtatu perfectionis acquiſitæ, quia prima gratia perfectio non eſt. *Matth. 19.*

His poſitis quæ perſpicua ſunt, & diſiecta rerum vocumque perturbatione, in qua ſola effugij, ac defenſionis ſpem Ieſuita collocauit, ad vlteriores eius munitiunculas demoliendas pergendum eſt.

Fatetur *actiones Epiſcopales ſanctitatem Epiſcopi inſigniter augere*, id eſt, ſtatum Epiſcopalem habere media egregia parandæ inſignis ſanctitatis, adeoq;

Digitized by Google

Epiſcopum teneri ad actiones quæ ſanctitatem inſigniter augeant. Ita, quemadmodum ante diximus, recantat & agnoſcit vitiũ illud propoſitionis damnatæ, *Epiſcopus eſt in ſtatu requirente multam perfectionem ſine mediis propriis ad illam obtinendam.* Quæ enim media propria multæ perfectionis acquirendæ ibi negat, hîc concedit; actiones nimirum ipſas Epiſcopales, quibus *augeri* dicit *inſigniter ſanctitatem*, ſeu *multam perfectionem* acquiri. Rectè verò id concedit. Nam ſi negaret, promptiſſimum eſt probare, nullum eſſe ſtatum qui plures magiſque præſtantes parandæ ſanctitatis vias habeat, quàm Epiſcopalem; omneſque adeò facultates & actiones adipiſcendæ perfectioni idoneas, quæ in cæteris omnibus variorum ſtatuum generibus ſparſæ ſunt, in hunc, velut in omnium ſtatuum apicem ſummamque, ſimul includi. Charitas enim virtus Epiſcopalis eſt, ad quam Epiſcopus, vt fidelium communis parens, maximè omnium obligatur. Et ideo ſicut charitas virtutum Chriſtianarum ſummarium eſt, & quaſi fons vnde omnes manãt; ſic charitatis opera, quæ Epiſcopi maximè propria ſunt, & quidem longè ſummæ & maximæ charitatis, tum ſpiritualis, tum corporalis, ad quam Epiſcopus ſupra omnes deuinctus eſt, omnium inferiorum virtutum opera ſuo ambitu, & ſua efficacitate complectuntur. Et ideo nulla ſunt perfectionis & ſanctitatis media in vllo quocumque Chriſtianæ vitæ ſtatu, quæ in Epiſcopali non eminenter & multo excellentius contineatur. Quod & partim antè probauimus, vbi oſten-

Vid. Greg. l. 1. ep. 24. vbi latè multa de hac vtraque charitate.

ſum eſt nullam eſſe in Regulari ſtatu perfectionem, quam non præſtantiùs Epiſcopalis habeat ſtatus, & ad quam non præſtantiùs obligetur., & breuiter ac generatim probari poteſt ex Dionyſio, vt cæteros in alium locum reiiciam Patres, docente quicquid in Eccleſia & in Hierarchia ſanctum eſt, in Epiſcopo velut in capite & ſummo omnium relucere. Vnde apertè ſequitur, nullum eſſe ſtatum quo quis maiorem ſanctitatem celeriùs aſſequi poſſit, & qui plura, aptiora, magiſque varia eius comparandæ media habeat, quàm ſtatus Epiſcopalis, ſi quis ad eum recta via, & quà vocat Deus, non fallacibus compendiis perueniat.

Sed hæc Spongia non negat amplius, agnouit errorem, dedit gloriam Deo, manifeſtiſſima prioris doctrinæ prauitate conterrita. Vnicum ſibi tantum, vbi pudore ſuffuſa lateat, ſuffugium parauit. Etſi enim Epiſcopatus tot illa tantaque media habeat augendæ ſanctitatis, negat tamen illud augmentum à ſtatu Epiſcopali ſpectari, qui totus in aliorũ commoda *irreflexa ad ſeipſum acie* intendatur. Honeſta oratio; niſi Epiſcopatum fallaciſſimæ laudationis obtentu proderet.

Dion. Eccl. Hierarch. c. 1. Ἡ καθ' ἡμᾶς οὖν ἱεραρχία λέγεται καὶ ἔστιν ἡ περιεκτικὴ τῶν κατ' αὐτὴν ἁπάντων ἱερῶν πραγματεία, καθ' ἣν ὁ θεῖος ἱεράρχης τελούμενος, ἁπάντων ἕξει τῶν κατ' αὐτὴν ἱερωτάτων τὴν μέθεξιν, ὡς ἱεραρχίας ἐπώνυμος· ὡς γὰρ ἱεραρχίαν ὁ φήσας, ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην ἔφη τὴν τῶν ἱερῶν διακόσμησιν· οὕτως ἱεράρχην ὁ λέγων, δηλοῖ τὸν ἔνθεόν τινα καὶ θεῖον ἄνδρα, τὸν πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμονα γνώσεως, ἐν ᾧ καὶ καθαρῶς ἡ κατ' αὐτὸν ἱεραρχία πᾶσα τελεῖται καὶ γινώσκεται. *hoc eſt:* Noſtra igitur Hierarchia dicitur & eſt adminiſtratio & ratio quædam complectens res omnes ſacras quæ ad eam ſpectant; ſecundum quam diuinus Epiſcopus conſtitutus, omnium quæ ad ipſum pertinent ſacratiſſimarum rerum particeps erit, vt qui ab Hierarchia denominetur Hierarcha. Sicut enim qui Hierarchiam dicit, omnium ſimul rerum ſacrarum dicit diſpoſitionem & ordinationem. Sic Hierarcham dicens, denotat diuinitùs actum diuinumque hominem, ſacra omni cognitione inſtructum, in quo omnis ipſius Hierarchia purè perficitur & cognoſcitur.

Digitized by Google

In primis ſubtilitas iſta Spongiæ, qua ſe tantopere circũſpicit, qua præ ſe tot deſpicit ac proterit nobiliſſimæ Facultatis Theologos, Spongialis eſt, &, vt deinceps facile probabitur, tota Moliniſtica, & Chriſtianæ gratiæ ignoratione tumens.

Si enim Epiſcopatus per ſe non ſpectat augmentum ſanctitatis Epiſcopi per media & actiones Epiſcopales; ſi perfectionem in eo ſupponit, non tribuit per ſe, ſed quaſi per accidens; non eſt ſtatus perfectionis, quia nihil in ſe perfectionis habet, nec dat, nec affert ei cui accedit, ſed totam aliunde ſupponit habitam. Similis ergo eſt erga Epiſcopos hæreticorum ſacramentis, quæ ſigna mera ſunt & ſigilla gratiæ, aliunde ſcilicet partæ, non cauſæ & fontes eius. Vanus eſt ornatus, vana pompa, merus titulus, mera inſcriptio, & iure infirmis egeniſque elementis annumerabitur. *Galat. 4.*

Imò non ſolùm inutilis per ſe Epiſcopis & vacuus ſtatus ſed etiam infelix erit, miſer, noxius, legale quoddam & Iudaicum officium, miniſterium mortis & damnationis, vt loquitur Apoſtolus. Imponet enim præceptum graue, & omnium pene maximum, nec dabit facultatem illud implendi: & ita, quantum in ſe eſt, ad peccatum trahet, ad mortem & damnationem: Quia qui præceptum dat, nec addit vim gratiamque illi præſtando idoneam, per ſe ad peccatum rapit, & neceſſitatem peccandi infligit, niſi aliunde ſubueniatur. Ideo legem veterem ſæpe vocat Apoſtolus *legem mortis*, & damnationis, quia iubebat, non iuuabat, vt docent Pa- *2. Cor. 3.* *Vide Aug. de grat. & li. arb. c. 18. &c.* *Rom. 7. & 8.*

Iudæi quædam opera legis implebant quæ in ſacramentis ſunt, illa verò quæ ad bonos mores pertinēt, implere omninò nō poterant. Non enim implet ea mihi charitas.

Aug. expoſ. epiſt. ad Gal. lib. vnic. Vid. eundem l. de ſpir. & litt. c. 14. & alibi paßim.

Act. 15.

tres, & omnes Theologi norunt. Ita ergo Epiſcopalis ſtatus, ſi per ſe non ſpectet ſanctitatis & virtutis augmentum in Epiſcopo, nec media per ſe tribuat vt ad tāti muneris ſanctam adminiſtrationem inſtruatur, officium erit legale, *& miniſterium mortis*, horrendè ac terribiliter imperans quod non dat vt fieri poſſit, prorſus vt legis veteris præcepta, & *iugum* illud *quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus*. Imò quod multo miſerabilius eſt, erit *miniſterium iræ ac mortis*, non tam aliis, quàm ipſis miniſtris ſeu Epiſcopis, quibus affert quidem poteſtatem aliis largiendi vitam; ſed ipſis per ſe non dabit vires quibus illo miniſterio ſanctè & ad ſalutem ſuam vtiliter perfungantur. Quod tu rectè intuens è tuo errore conſequi, addis infrà, niſi Epiſcopus aliunde perfectus ſit, Epiſcopatum, *quia obliget ad perficiendas actiones, quæ moraliter loquendo non ſunt poßibiles, non tam eſſe perfectum, quàm miſerabilem ſtatum.* Quæ omnia infanda ſunt, aliena à ſtatu nouæ legis, & gratiæ Euangelicæ, à *ſuaui iugo* Chriſti & *onere leui*. Vnde nullus eſt in lege noua ſtatus, qui per ſe non tribuat ſectatoribus ſuis vim & opem congruam ſua officia & munia exequendi. Hæc enim eſt nouæ legis benignitas, & *gratia Dei ſaluatoris noſtri quæ omnibus hominibus apparuit.* Sed in his verè & ſine fallacia dicimus cæcutire Moliniſtas, gratiæ Dei & ſtatus Euangelici ignariſſimos, pœne dixerim inimicos.

Prop. 12. huius tit.

Matt. 11.

Tit. 2.

Non igitur cæca iſta reſponſione attollunt Epiſ-

Digitized by Google

copatum vt videri volunt imperitis, ſed deiiciunt,& exturbant extra fines nouæ legis, ad Iudaicæ conditionis miſeriam, & egeſtatem, & vilitatem. Coloſſ. 2.

Quod enim dicunt ſe multum dignitatis conciliare ſtatui Epiſcopali, eum euehendo ad *ſublimitatem quæ Dei gloriam irreflexa ad ſeipſum acie purè intueatur*; ſi eorum verba iterare auderem, *audacter dicerem eos neſcire quid loquantur.* Non enim vident ineptiſſimi mortales, ſe neſcire quid ſit puritas, quid charitas Deum irreflexa acie intuens, quid mortalis ſtatus in quo verſamur. Nam charitas quamdiu in via eſt, quandiu à patria peregrinatur, pura non eſt, nec Deum irreflexa intuetur acie, ſi ſeipſam penitus omittit, ſi in alios tota effuſa, nullam ſuæ curæ partem ſibi habet. *Intellige quæ dico*, Ieſuita; non enim intelligis, ſed falſa erroris luce deceptus euagaris. Charitas quandiu in via eſt, ipſo ſuo ſtatu pergere ac creſcere debet, ſi vera eſt, ſi viua & ſana. Viam enim ſuam perſequi, & ad Deum quàm maxime poteſt accedere iubetur, quamdiu in via relinquitur; Ideo enim relinquitur. Viator nunquam quieſcit, ſemper longiùs progreditur; & ſicubi conſiſtit ſine vlteriore proceſſu, iam viator eſſe deſinit, fit habitator & incola loci vbi conſiſtit; in quiete eſt, non in via. Vnde ſancti omnes quoad in vita mortali fuerunt, ſemper creſcere, ſemper eniti, & altiùs propiuſque ad Deum aſcendere contenderunt, *quæ eſurientes & ſitientes iuſtitiam; quæ retrò erant obliuiſcentes, ad ea verò quæ vltra ſunt*

Vide Aug. l. 3. ad Boniſ. c. 7. & lib. de perf. inſt. reſp. 7. & 17. &c.

Idem de verb. Apoſt. ſerm. 15.

Matt. 5.

Digitized by Google

tatis, non propriæ vtilitatis venator fuit; nec in vllo viatore reperiri poſſit, cùm ſtatus omnis viatoris ad iter agendum, & longiùs procedendum pertineat. Vnde vel ſtatus Epiſcopalis, non eſt viæ ſtatus, vel hunc ipſum proceſſum, hoc incrementum, hunc cumulum ſanctitatis per ſe intuetur. Quid ais, Spongia? quid æſtuas? quid hæres? Quomodo hinc te eruas? Vndique maria & ſcopuli vndique. Vel ſtatum viæ nega Epiſcopatum; vel fatere per ſe directè ſpectare maiorem ſanctitatis perfectionem, quam ſpectarunt omnes ſancti, quam ſpectauit Christus ipſe quo quo modo potuit. Hunc denique intuitum fatere non obeſſe puritati, & irreflexo in Deum amori; vel fatere nec ſanctos, nec Chriſtum fuiſſe puros, irreflexos in Deum, à ſuis commodis alienos, puræ charitatis amatores. Non exibis ex hoc laqueo, ſat ſcio, ſi tuam peritiam noui è Spongiæ & Apologiæ ſpecimine. Facilius per deuia effugies, furum inſtar, aut metuentium flagra ſeruulorum, vbi in ſcelere manifeſto deprehenſi ſunt. Nos tibi ſi aures audiendi habeas, auxilium dabimus, &, dummodo accipere velis, dimittemus incolumem, & crimine pœnaque liberum.

Charitas in patria Deum ita intuetur, vt ad ſuum profectum nullatenus ſit reflexa, quia iam ipſi Deo, ipſi termino intime iuncta eſt, nec longiùs ire poteſt. Si quò progrederetur, recederet, decreſceret, interiret; quia abiret à Deo, à centro, & naturam ſuam peruerteret. Quare ibi vnicum

munus eius eſt, quieſcere, Deum proxime ſine vlla progreſſione aut motione amplecti. At eadem in via, ob contrariam rationem, quietis impatiens eſt, ſemper in motu verſatur, altiùs ſubuolat, et igitur, creſcit, quia nondum attigit metam, ad eamque tẽdit ſuapte natura, donec Deo proximè iungatur. Quod incrementum non modò non negligit, aut omittit, velut ſua puritate indignum, ſed ad illud toto impetu anhelat, vt ſine quo nec puritatem, nec vitam naturamque ſuam tueri poſſit. Si enim ſiſteret aut hæreret extra metam, extra centrum, impura eſſet ac degener, & aliquid alienæ commiſtionis inuolueret, quo ab inſito naturæ ſuæ motu arcetur. Vnde Eccleſia iam olim eos damnauit qui charitatem in via ſemper creſcere poſſe negarunt, quaſi in ipſa via patriam inuenire poſſet. Nec hoc incrementum, & ſtudium maioris in dies profectûs officit amoris puritati, & propriæ vtilitatis abiectioni; quia id ipſum ſtudium eſt charitatis, non ſpei, nec proprij amoris; & ita ad proprium commodum reflectitur, vt in ipſo non hæreat, ſed redeat & reuolet ad Deum, ideoque ab eius intuitu verè non reflectatur. Sicut enim charitas aliorum vtilitati ſolo Dei amore ſeruit, ſic & ſuæ: Alium enim quaſi ſe habet, ſe quaſi alium, *diligens proximum ſicut ſe.* Nam ideo ſe augeri & proficere optat, quia amat Deum, vt eum magis amet, vt eum magis delectet, vt ei propiùs, & minori in dies interuallo ad amicitiam quàm coniunctiſſimam vniatur. Sic ſancti, ſic Chriſtus, ſua augmenta, ſuam gloriam appetiue-

Vide Bern. l. 1. ad Eugen. c. 4. S. Tho. 22. q. 26. a. 4.

Digitized by Google

runt : Sic Paulus *cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto,* Philipp. 1.
vt non tantùm cumulo gratiæ, ſed etiam gloriæ augeretur, non ſuo nimirum, ſed Chriſti amore. Sic Coloſſenſes ait *dilectionem habuiſſe in ſanctos omnes* Coloſſ. 1.
propter ſpem quam repoſitam haberent in cælis, ſpem tribuens dilectioni & charitati, vt doceat charitati & amori amicitiæ ſuum deſiderium, ſuam fruitionem, ſuam ſpem ineſſe, non minus quàm amori concupiſcentiæ, quam ſpem vulgò dicimus. Quod alibi teſtatur clarius, *charitas omnia ſperat*. Hi enim 1. Cor. 13.
motus cuiuis generatim amori reſpondent, pro ſua nimirum cuiuſque natura & proportione.

Ex his patet, neceſſariò fatendum eſſe ſtatum Epiſcopalem non tantum complecti actiones proprias, & omnium excellentiſſimas, quibus perfectio & ſanctitas augeatur, ſed etiam illud ipſum augmentum per ſe intueri, & neceſſariò intueri debere ex generali lege viatorij ſtatus, ex ſpeciali lege ſtatus Euangelici, & ſummi Euangelici ſtatus, ex ſpecialiori etiam lege ſtatus charitatis, & ſummæ omnium charitatis : & tantum abeſſe vt hic intuitus officiat charitatis ipſius magnitudini & puritati, vt nec magnitudo, nec puritas charitatis ſine illo ſtare poſſit. Vt iam verbis non ſit opus ad declarandam multiplicem Ieſuitæ in tot capitibus grauiſſimis imperitiam, in quibus ille ſe moderatione Moliniſtica ſubtiliorem, & tot tantorumque Theologorum mentibus imperium prædicauit.

Quare Epiſcopalis ſtatus reuera eſt ſtatus, non

ſupponens tantùm, vt malè Spongia, ſed tribuens & augens, & cumulans perfectionem & ſanctitatem. Perperam enim exiſtimat Ieſuita ſtatum perfectionis acquiſitæ, qui Epiſcopatui tribuitur, accipiendum cum excluſione ſtatus perfectionis acquirendæ, & ita dicendum ſtatum perfectionis acquiſitæ, vt acquirendæ nō ſit. Hinc illi prima mali labes. Quam labē à ſuo Soario Ieſuitæ omnes acceperunt, homine harum rerum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, myſteriorumque Chriſtianorum, & ſcientiæ verè Theologicæ, ne quid de aliis dicam, ſane non peritiſſimo. Quem tamen iſti quaſi cæcutientes catelli matrem errantem ſequuntur; nec ſequi contenti, toti orbi vt communem magiſtrum venditant, digni qui in illius hallucinationibus innumeris cum ſua ſuperbia iaceant, nec ad lucem nitidiorem educantur. Status ergo perfectionis acquiſitæ, intelligendus nō eſt cum excluſione, ſed cum incluſione ſtatus perfectionis acquirendæ, vt demonſtratum eſt; quia ſtatus perfectionis acquiſitæ eſt præcellentiſſimus, & maximus, & ſummus omnium, & ideo ſtatuum omnium inferiorum bona & perfectiones complectitur, ſicut regia dignitas perfectionem equeſtris gradus, pręfectus militem includit, ſuperior regularium regularem. Epiſcopatus tamen non dicitur ſtatus perfectionis acquirendæ, quia nobiliorem habet gradum vnde nominetur, & à potiori parte nominatio fieri debet. Sic Rex nō dicitur eques, nec nobilis, tametſi vtrūq; excellētiſſime habeat; nec dux dici ſolet miles, etſi interdū huiuſmodi locutione vtamur.

At verò ſtatus perfectionis acquirendæ, hic nimirum intelligitur cum excluſione maioris, ſtatus nimirum perfectionis acquiſitæ. Nam quantumcũque religioſus proficiat, ſemper eſt in ſtatu acquirendæ perfectionis, nunquam in acquiſitæ, quantumuis eam reipſa fortaſſis adeptus ſit. Profitetur enim ſemper ſolam proficiendi viam, nec vnquam id quod ſequitur ſe aſſecutum ſupponit. Quare ſanctus Thomas omnibus generatim Regularibus ſolum *diſcipulatus & ſubiectionis* cõcedit *gradum*. Status enim perfectionis acquiſitæ, vt maior, inuoluit ſtatum perfectionis acquirendæ, vt minorem; non hic illum, vtpote maiorem minor. *S. Th. 22. q. 188. a. 4. ad 1.*

Nec refert quod ſtatus magiſtri non inuoluat ſtatum diſcipuli, qui tamen minor eſt: Quo ſolo argumento, & ſterili argutia vix ferendum eſt Ieſuitam in re tanta niti, & hac vna ratiuncula humanæ futilitatis de re omnium ſanctiſſima & maxima, de Epiſcopali ſtatu, quo nihil in Eccleſia maius, pronunciare. Nego enim magiſterium includere diſcipuli ſtatum, & per ſe magiſtri profectum intueri. Etſi enim eum generatim non ſpectat, quia datur magiſter qui nec diſcipulus ſit, nec creſcere debeat peritia vt alios erudiat, qualis Deus, & Chriſtus magiſter, & Dominus hominum, & Angeli, & Beati, *Ioan. 13.* & peritiſſimi quidam atque emeriti humanarum diſciplinarum Doctores; tamen omnia pœnè magiſteria, præcipuè rerum ſcientiarumque grauiorum, diſcendi neceſſitatem & diſcipulatum quendam vulgò includunt. Raro enim reperias homi-

nem qui ſublimiori doctrinæ, vt Theologiæ aut Iuriſprudentiæ, accuratiùs tradendæ par eſſe poſſit, ſine labore ſtudioque multo, & ſine aſſidua magiſtrorum & fontium cuiuſque diſciplinæ puriorum perſcrutatione. Vnde nemo dubitat eos qui ſcientiis maioribus docendis præficiuntur, ipſa magiſterij ſuſceptione ad ſtudium impenſius obligari. Quare attribuuntur eis ſtipendia & facultates, quibus eorum ſtudia, & otium litterarium adiuuentur. Aduerſatur ergo rectæ menti, & prudentium iudicio, magiſterium nunquam per ſe & directè intueri progreſſionem & incrementum magiſtri, cùm eam ſemper intueatur, quando magiſter ſine ea ſufficere nequit muneri ſuo. Tunc enim eadem obligatione creſcere tenetur ſcientia, qua alios docere tenetur, cùm ſine hoc incremento docere non poſſit. Atque hoc in altiorum diſciplinarum magiſtris penè ſemper vſuvenire perſpicuum eſt, quia nec eſſe ſolent, nec ſupponuntur idonei fungendo rectè muneri tanto ſine ſedula meditatione qua priorem ſcientiam & firmiorem faciant & auctiorem. Cùm harum autem ſcientiarum grauiorum magiſterio, non cum Grammaticæ profeſſione munus Epiſcopale conferre debuit Ieſuita, de quo munere, ſcribit Gregorius, *ars artium regimen animarum*. Referendum eſt & hoc ad illam viliſſimarum fallaciarum ſummam, qua Spongia contexta eſt. Diuinarum igitur rerum, & ſalutis æternæ magiſterium, quamdiu in hac vita ſumus, nunquam merum eſſe poteſt magiſterium, diſcipulatus expers, ſed hunc

Greg. paſt. p. 1. c. 1.

magna ſemper, & maxima ex parte continet: quia omnibus cum D. Paulo dicendum eſt, *Nunc cognoſco ex parte; non iam accepi aut perfectus ſum, ſequor autem ſi quo modo comprehendam; Vt veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus.* Quicumque ergo in hac via nobis aduenit ſtatus, quaſi viatoribus aduenit, id eſt, quaſi diſcipulis, & imperfectis adhuc perfectione illa vltima quò tendimus, & ad quam perpetua vitæ actione adſpirare & procedere debemus. Vnde cùm ſpirituale magiſterium nobis imponitur, ſupponere non poteſt nos tanta facultate præditos, vt magiſterio ſine maioris in dies facultatis, & gratiæ perpetua acquiſitione pares eſſe valeamus. Etſi enim aliqua ex parte idoneos perfectoſque ſupponat, ex multo maiore tamen imperfectos, multorumque indigos accipit; & ideo vires nobis, & auxilia, & media in eum finem ſuggerit, vt illis adiuti, & ſubleuati, & magis magiſque perfecti, impoſito magiſterio idoneè pieque fungamur. Hæc enim diſcipulatus qui in magiſtris, & qui in diſcipulis ineſt, differentia intercedit, quod diſcipulatus diſcipulorum ad ſolos ipſos refertur, neque aliud niſi profectum eorum propoſitum habet. Ideoq; diſcipuli tales ſimpliciter & omnimodè diſcipuli ſunt, & dici debent. Magiſtrorum verò doctorumq; diſcipulatus, etſi eorum ipſorum peritiæ augmentum intueatur, non tamen vt finem, ſed vt medium neceſſarium vt alios erudiant. Ideoque hi magis Doctores ſunt quàm diſcipuli, Docto-

1.Cor.13.
Philip.3.
Epheſ.4.

reſque ſimpliciter, non diſcipuli dici debent, quia non diſcunt propter ſe, ſed vt doceant, eo modo quo nutrices, quibus ſcriptura Doctores Euangelicos comparat, alunt ſeſe ac vegetant, & ipſa ſui muneris lege ita facere debent, licet non ſua ſola cauſa, ſed alumnorum, id faciant. Hoc ergo modo magiſterium diſcipulatum includit, & proprium magiſtri augmentum neceſſariò reſpicit. Nec aliter dici poteſt niſi ab homine qui vel communem omnium ſenſum, vel pudorem exuerit. Et hæc eſt excellentia Epiſcopatus, qua omnium inferiorum ſtatuum, etiam diſcipulatus, excellentiam includere debet: Tametſi enim diſcipulatus per ſe perfectionem non ſonet, ſed imperfectionem; tamen in hac vita, quæ viatorum & diſcipulorum tota eſt, perfectionem continet, qua hic carere ſumma omnium imperfectio eſſet in patria; vbi nulla erit imperfectio, egeſtas nulla, vbi habebitur *quod perfectum eſt*, hac imperfectione carebimus, nec diſcemus amplius, nec diſcipuli erimus. Hîc verò perfectionem huiuſmodi vlli ſtatui affingere, penè blaſphemia eſt, & ſumma illius ſtatus dedecoratio. Turpe eſt Ieſuitam hinc Epiſcopatum infra omnes Chriſtianos ſtatus detrudere, & ad Iudaïca deiicere miniſteria, vt actiones ſummas & onus grauiſſimum imponat, nec vires procuret ſpectetque illis ferendo neceſſarias; hinc ſupra Chriſtianos omnes huius vitæ ſtatus ad beatam cœleſtemque conditionem attollere, vt nec proprium per Epiſcopalia munia incrementum, nec maiorem vllam in hac via proceſ-

1. Theſſ. 2.

ſionem

ſionem intueatur. Quis crederet tantam Ieſuitici ingenij eſſe poſſe celeritatem, vt vno tempore in vtraque extrema impingeret, & ab vno in aliud ſine medio transferretur? Teneat modum; noſcat ſe, noſcat communem omnium ſtatum; ſciat Chriſtianorum in vita hac ſortem, nec totam Iudaicam, nec totam cœleſtem eſſe poſſe, ſed ex vtraque conflatam, & vtriuſque mediam, vt docent Patres, & alibi latius exponetur.

Dion. Eccl. Hier. c. 5.

Alia ratio nouæ legi ſpecialis eſt, quia & Epiſcopus, & quiuis alius fidelis nihil agere poteſt ſine peculiari motu & ope Dei. Vnde vt alios erudiat & regat, non ſatis eſt ei adeſſe virtutem & peritiam quantumcumque magnam, ſed neceſſe eſt quæri ab eo diligenti orationis & bonorum operum aſſiduitate perpetuum Dei auxilium & incrementum lucis, vt medium neceſſarium ſine quo alios docere regereque non poſſit. Sed hæc Moliniſtis ignota ſunt, quibus diuinæ gratiæ ſcientiam ignorare ludus eſt.

Ioan. 15. Philip. 2. Epheſ. 6. 19. Coloſſ. 1. 29. Vid. Aug. de geſtis Pelagij c. 7. & 14.

Poſtrema ratio quæ nunc afferetur, Epiſcopalis ipſius officij propria eſt. Munus enim Epiſcopale, munus docendi eſt, *Non verbo, neque lingua, ſed opere maximè & veritate*, vt paſſim ſcripturæ, vt Patres nullo non loco teſtantur. Quare Epiſcopi maximè eſt egregium Chriſtianæ vitæ exemplum præbere ſubditis, vt quod in iis efficere conatur, in ſe priùs exhibeat, & ſua currentis in dies & proficientis alacritate populos ad ſimile ſtudium accendat. Ideo Apoſtolica illa & in primis paſtoralis vox eſt, *Imita-*

1. Ioan 3. Vid. Chryſ. hom. 13. in 1. ep. ad Tim. Auguſt. de verb. Apoſt. ſerm. 19. & l. de paſtor. c. 4. Greg. lib. 6. ep. 62. & c. 1. Cor. 11.

Philip.4. *tores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Et, *Quæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.* Ideo beatus Pe-
1. Pet.5. trus Epiſcopum, *formam fieri* vult *gregis*, vt in eo omnes, velut in præuio exemplari, quid agendum, quid ſequendum ſit, intueantur. Quomodo enim aliis eſſe duces poſſunt ad piæ vitæ, virtutum, cœli, metam, niſi ipſi præeant? niſi viam quò alios trahunt, priores inuadant & ſtrenuè perſequantur? Non enim eos Doctores hypocritas conſtituit Chri-
Luc.4. ſtus: Non iis dici voluit, *Medice, cura te ipſum*; Aut
Matth.23. quod ipſe de Phariſæis, *Dicunt non faciunt*; Aut quod de Iudæis alios docere geſtientibus Apoſto-
Rom.2. lus, *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces?* Docere igitur non ſolùm alios, ſed ſeipſos debent, & ideò ſeipſos, vt poſſint alios. Alioquin debilis eſt eruditio quam non vita commendat, & facilè factis euertitur, quod ore docetur, præcipuè apud vulgus qui exemplo magis quàm ratione ducitur. Itaque Epiſcopi ipſo ſui muneris inſtituto ac fine, perfectam & præclaram Chriſtianæ vitæ, & piarum actionum formam præſtare ſubditis in ſeipſis debent, taleſque ſeſe præferre, quales illos volũt. Hoc eis in Timotheo generatim præcepit Apoſtolus,
1.Tim.4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Et ſi vocem incrementi & profectûs quæris, *Hæc meditare*, inquit, *in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.* Non enim ſolum proficere debet Epiſcopus, quod omnium fidelium eſt, ſed profectum ſuum omnibus mani-

Digitized by Google

feſtum efficere, vt *doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornet in omnibus*, & ſuo profectu aliorum profectum incitet. *Hoc enim faciens*, inquit, *& teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt*; quaſi ni hoc fecerit, niſi profectum ſuum manifeſtum dederit omnibus, nec ſe, nec alios ſaluum facere queat. non ſe, quia Chriſtiano non proficere, deficere eſt; non alios, quia niſi operibus doceat, non docet ſicut iuſſus eſt, ſicut Epiſcopum, patrem, ducem decet. Nec verò niſi alios ſaluet, ſeipſum ſaluare poteſt, quia ſalus eius ſic aliorum ſalute pendet atque inuoluitur, vt neutri ſine altera conſuli, neutra ſine altera perfici poſſit, quia non ſe ſolùm Epiſcopus, ſed alios ſaluare iuſſus eſt, & vt eos ſaluet, ſeipſum ſaluare debet, vt eos in cœlum ducat, ipſe ire; non ſolùm quia huiuſmodi ducem, doctorem, ſaluatorem eſſe iubet Chriſtus, à quo Epiſcopus factus eſt; ſed quia etſi non iuſſiſſet, nulla tamen aptior, directior, valentior ratio erat ſaluandi alios, quâm vt quis ſe priùs ſaluet. Et ita hoc medium in illo fine per ſe ineſt. *Tit. 2.* *1. Tim. 4.*

Quæ omnia abundè, opinor, demonſtrant Epiſcopalem ſtatum non eſſe ſtatum acquiſitæ ſolum perfectionis, ſed etiam acquirendæ, non ſupponere ſolùm eam acquiſitam, ſed etiam auxilia & media afferre quibus acquiratur, & illud ipſum augmentum illamque acquiſitionem directè intueri, ad eam ſua ſponte ferri.

Quod vt aliquatenus intelligatur, breuiter hoc loco exponemus, pleniorem lucem alibi daturi. Epi-

ſcopatus ergo nō ſolum eo ſenſu dicitur ſtatus perfectionis acquiſitę, quia ſupponit perfectionem iam antea acquiſitam, congruā videlicet & conſentaneā captui humanæ infirmitatis; ſed etiam quia ſine mediis humanis, & vſu exercitationeque quotidiana eā diuinitus vna infuſione largitur. Quicumque enim ritè, ex ordine, diuino ductu, peruenit ad Epiſcopatum, gratiam ſuſcipit, non quamlibet, ſed eximiam, excellentem, perfectam, in qua ſita eſt præcipua perfectio Epiſcopalis: ſicut fideles quiuis ſacramento Confirmationis gratiæ Chriſtianæ, & communis perfectionem conſequuntur. Sicut enim Confirmatio perfectionem continet Chriſtiani ſtatus, ita Epiſcopatus perfectionem ſtatus Epiſcopalis: Et ſicut Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ Miniſtris ſeu Epiſcopis; ita Confirmatio dici poteſt ſtatus perfectionis acquiſitæ Chriſtianis omnibus, qui per Confirmationem perfecti fiunt, & gratiæ Chriſtianæ perfectionem ſine opera laboreque ſuo partam & acquiſitam habent. Sic Apoſtolus ſæpiſſimè Apoſtolatum ſuum, *gratiam & miſericordiam vocat*, quia videlicet eum per copioſam & ſummā gratiæ Apoſtolicæ plenitudinem accepiſſet. Sic Timotheum hortatur *reſuſcitare gratiam quæ in eo eſſet per impoſitionem manuum ipſius*, hoc eſt, gratiā illam Epiſcopalem, omnium Chriſtianorū ſtatuū gratia maiorem & ampliorem, & Epiſcopalis ſtatus dignitati, quæ omniū ſtatuum excellentiam ſine cōparatione tranſcendit, reſpondentē, & omnibus qui Epiſcopatū, Deo duce ineunt, ipſa ſuæ initiationis virtute trāſ-

Eph. 3. 1 Cor. 4.

2. Tim. 1.

Digitized by Google

fuſam. Quo fit vt nõ ſine errore graui dictũ ſit à Ieſuita in Apologia, *Epiſcopos non eſſe in ſtatu per cuius profeſſionẽ perfectio velut ex opere operato acquiratur, ſed in eiuſmodi qui hominem iam ſupponat perfectum, nec vlla media quæ ſint propria, habeat, per quæ perfectio efficiatur, ſi forte de imperfecto ad Epiſcopi dignitatem euehitur.* Ea enim eſt eminentia Epiſcopalis ſtatus, vt ipſa ſui ſuſceptione perficiat Epiſcopum, ſi modò idoneè paratus accedat, eique gratiæ & ſpiritus plenitudinem muneris ſui magnitudini, parens largiatur, inſtituto ad hoc ipſum ſacramento, quod ſuum effectum ex opere operato producere negari à Catholico non poteſt. Hinc plures minus perfecti antequam Epiſcopi ordinarentur, ipſa ordinatione magnam vim & amplitudinem ſpiritus adepti ſunt, ſéque animis longè mutatos, & penitùs alios euaſiſſe ſenſerunt; quod nominatim de piæ memoriæ Epiſcopo Geneuenſi proditum eſt. Ac reuera ſi qua via eſt qua Epiſcopalis gratiæ perfectio parari poſſit, ea negari non poteſt conſecrationi Epiſcopali, & Epiſcopalis ſtatus ſacramento, quod in hunc ipſum finem, in hanc ipſam Epiſcopalis gratiæ plenitudinem, qua Epiſcopus tanti muneris piè ſuſtinendi potens fiat, à Chriſto inſtitutum eſt. Si modò tamen ad huius ſtatus & ſacramenti ſuſceptionẽ adeatur, ſicut par eſt, autore Deo, pura mente, ſolo Eccleſiæ & animarum amore, proüt quæque ſacramenta præuias animorum præparationes ſibi congruas & appoſitas exigunt. *Apol. c. 6. aſ. 5. n. 30.*

Itaque triplex in ſtatu Epiſcopali perfectio ſpe-

ctari poteſt. Illa quam antè poſtulat, ſacrarum rerum omnium, imò ſacramentorum more. Quæ etſi per ſe magna eſt, & vulgari Chriſtianorum perfectione maior, tamen non ita anxie ventilari, nec ad viuum reſecari debet, dummodò quis diuino impulſu, nullo quæſtu aut cupidine animi, conſtituto in Eccleſia more vocetur, vt fatentur Theologi & [a] SS. Patres, & alibi magis exponetur. Satis enim eſſe debet ſi quis hac ratione vocatus, nullius ſibi cupiditatis, nec vllius impedimenti conſcius, paratus ſit omnia facere vt ad perfectionem euadat, & tanto munere rite fungatur. Qui enim perfectionis adeunt ſtatum, aut in eo iam verſantur, non tam ſe perfectos, quam perfectionis ſtudioſos profitentur, vt rectè D. Thomas, non ſolùm de Monachis, ſed etiam de Epiſcopis, & de Apoſtolis ipſis docet. Secunda eſt, perfectio quam ipſa ſtatus Epiſcopalis ſuſceptio ſua vi & efficacitate ſine hominis ipſius labore & conatu tribuit. Tertia eſt, perfectio quam Epiſcopus toto muneris vitæque decurſu quærere, & per actiones Epiſcopales, mediáque innumera ſtatui ſuo propria, in hunc finem ſibi data, perpetuò ſectari debet, vt non ſolùm alios perficiat, ſed iis perficiendis, regendis, ſaluandis, idoneus & par eſſe poſſit. Niſi enim creſcat in dies, & ſanctitatem continuo bonorum operum vſu ſeruare cumularéque contendat, perfectus eſſe non poterit, ſicut eſ-

a S. *Athan. ep. ad Dracontium*, Μᾶλλον ἡμῶν οἶδεν ὁ Κύριος τὰ ἡμῶν, καὶ οἶδε τίσιν ἐγχειρίζει τὰς ἑαυτοῦ Ἐκκλησίας. κἂν γὰρ μὴ ἄξιός τις τυγχάνῃ, ὅμως μὴ πρὸς τὸν πρότερον βίον ἀποβλεπέτω, ἀλλὰ τὴν διακονίαν ἐκτελείτω, ἵνα μὴ πρὸς τῷ βίῳ καὶ τὴν ἐκ τῆς ἀμελείας κατάραν ἀπενέγκηται. *hoc eſt*: Melius nobis noſtra nouit Deus, & nouit quibus ſuas Eccleſias cõmittit Et ſi enim quis dignus non ſit, tamen priorem vitam ne reſpiciat, ſed miniſterium ſuſcipiat, ne vltra illam vitam, negligentiæ maledictionem inſuper referat &c. *Vid. Aug. epiſt.* 81. *Greg. Paſtor. p.1 c.6. & l.4 ep.19.* *S. Tho. 22. q. 185. a. 2. ad 2. & a. 3. ad 2. & q. 184. a. 5. ad 2.*

ſe debet, vt alios Chriſtianè perficiat. Quod adeo clarum, adeò SS. Patrum & ſcripturarum teſtimoniis inculcatum, & Chriſtianæ religionis, & virtutis, & gratiæ principiis conſonum eſt, vt à ſacris hominibus ſine ſtupenda rerum Theologicarum, & totius Chriſtiani inſtituti ignoratione negari non poſſit.

Harum trium perfectionum, prima & ſecunda pertinent ad ſtatum perfectionis acquiſitæ; Non enim ſitæ ſunt in vſu, & exercitatione, & acquiſitione Epiſcopi, ſed hoc ipſo ſupponuntur habitæ & acquiſitæ, quod quis ad ſtatum Epiſcopalem euectus eſt. Per has enim in illo conſtituitur. Per priorem quidem, vt diſpoſitionem neceſſariam; per poſteriorem autem, vt formam quodammodo & animam ſtatus Epiſcopalis ex Chriſti mente. Chriſtus enim eum ſtatum ita inſtituit, vt ſine hac plenitudine & perfectione gratiæ ſuſcipi nollet. Et ideo qui aliter ſuſciperent, ſine hac gratiæ dote, & cum obice ad eam, Epiſcopi olim non habebantur, quantumuis characterem accepiſſent, & tanquam vitio ordinati deponebantur. Epiſcopum enim *irreprehenſibilem* eſſe iuſſit Apoſtolus monente Deo.

Ioan. 20.

Vid. Concil. Carth. 4. c. 68.

1. Tim. 3.

Tertia denique illa perfectio pertinet ad ſtatum perfectionis acquirendæ, quia eſt perfectio quam ſtatus Epiſcopalis nullo modo ſupponit habitam, vel datam, ſed ad quam Epiſcopum obligat, vt eam tota ſui muneris functione, & toto vitæ ſpatio perſequi conetur, *vt ſeipſum ſaluum faciat, & eos qui eum audiunt.* Aliter enim iis pie, ſancte, Chriſtiane

1. Tim. 4.

dirigendis, docendis, perficiendis, & tam multiplicibus tam ſancti honoris laboribus ſufficere nequit, vt dictum eſt. Ideoque Gregorius Nazianzenus hác legem Epiſcopo ponit, vt *laboret magis virtute quàm honore præcellere, nec finem ſibi vllum bene viuendi, atque altius aſcendendi conſtituat, nec tam lucrum putet id quod erit aſſecutus, quam damnum id quod omiſerit, ſed ſemper id quod præ pedibus eſt, gradum ad vlteriora faciat, neque magnum exiſtimet ſi plures ſuperet, ſed detrimentum ſi à ſuſcepti muneris dignitate abſit.* Similia apud Dionyſium, alioſque patres, & ſcripturas innumera ſunt, quæ alibi referentur. Nunc enim hoc ſpecimen ſatis eſt, vnà cum dictis, vt videatur quàm diſtortis oculis & obſita mente eſſe opus ſit hominem qui tanta verborum audacia *cæcos*, *bubones*, *ignaros*, *tenebroſos* vocet, huius dignitatis, & perfectionis, & obligationis Epiſcopalis aſſertores. Nimium multæ huius hominis labes, & ignorantiæ vertigines toto hoc ſermone retectæ ſunt, vt pluribus ſit in eum opus. Si iudicium ei, & ingenium inſtillare non poſſumus, modeſtiam ſaltem, & ſui cognitionem, & bonam mentem precamur.

Gregorius Naz. orat. 1. Δεῖ δὲ τὸν τιμώμενον, πλέον καὶ ἀρετῇ περιέχειν, ἢ ὅσον ὑπερέχει ἀξιώματι, καὶ μηδὲν μέτρον εἰδέναι τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἀναβάσεως, μηδὲ κέρδος μᾶλλον τὸ κρατηθὲν, ἢ ζημίαν τὸ διαφυγόν· ἀλλ' ἐπίβασιν ἀεὶ ποιεῖσθαι τὸ ἐν ποσὶ τοῦ ἑξῆς, καὶ μὴ μέγα νομίζειν, εἰ τῶν πολλῶν διαφέρομεν, ἀλλὰ ζημίαν, εἰ τῆς ἀξίας ἀπολειπόμεθα.

Vid. Dion. Eccleſ. Hier. c. 5.

SPONGIA.

A quibus vociferatoribus libenter hoc quærerem, vbi in verbo Dei legant, Epiſcopum de imperfecto & peccatore reddi perfectum & ſanctum per actiones & media Epiſcoporum ſtatui propria? Epiſcopum imperfectum, & (ſi credimus Ambroſio) peccato lethali obnoxium deſignat Chriſtus in Apocalypſi, cùm dicit, habeo aduerſum te,

Apoc. 2.

quia

quia charitatem primam reliquiſti. *Quid igitur vt ex imperfecto reddatur ſanctus? An ei præſcribit media actionum Epiſcopo propriarum? an ei dicit, conſigna baptizatorum frontes, conſecra ſacerdotes, prædica Euangelium, excommunica contumaces? nihil horum, ſed media ſalutis communia Chriſtianis illi commendat,* memento vnde excideris, age pœnitentiam, & prima opera fac. *Dedecorant cenſores noſtri ſine dubio Epiſcopalem ſtatum cum dicunt opera pœnitentiæ & mortificationis, quibus imperfecti fiunt perfecti, eſſe ſtatui ipſorum propria: ſed vt dixi, neſciunt hic de quibus affirmant, & ideo nihil mirum, ſi inſipientia ipſorum pateat omnibus.*

RESPONSIO.

Tu verò ne tua inſipientia lateat quemquam, licet immemoré & hebetiorem rurſus eam in mediũ profers, rurſus refricas, rurſus ad cantilenam redis, qua perfectum pro iuſto, imperfectum pro peccatore prædicaſti, quaſi tua propoſitio hoc ſolo negarit Epiſcopum habere media propria quibus ex imperfecto perfectus fiat, quia non habet media quibus ex peccatore fiat iuſtus. Sed quantum in hac latebra concluſeris inſcitiæ & fallaciæ antè demonſtratum eſt. Nunc hoc addo, imperitiſſimum & ridiculum eſſe quærere num Epiſcopatus media habeat quibus Epiſcopus à peccato ad gratiam tranſeat, ex iniuſto iuſtus efficiatur. Hæc quæſtio nemini Theologorum vnquam in mentem venit. Tota Spongiæ propria eſt. Ea ſola eius inuentrix. Di-

Digitized by Google

gnum enim fuit, vt tam acuta controuerſia non niſi à Spongia naſceretur. Epiſcopatus honor, reuerentia, ſanctitas, quæſtionem & cogitationẽ eiuſmodi ab omnibus antea Theologis abegerat. Quare decuit eam tum primũ naſci, cùm Epiſcopalis amplitudo, quam ſæcula omnia ſuſpexerãt, & rem Angelicam vel Angelica maiorem habuerant, erroribus, contemptu, contumeliis, blaſphemiis, conſpurcari cœpta eſſet. Semper ergo Epiſcopalis dignitas tantũ abfuit à ſtatu pœnitentiæ, & à vita quauis crimen redolente; iuxta Apoſtolũ, *Epiſcopũ oportet eſſe ſine crimine*, vt nemo qui in crimen lapſus pœnitentia egeret, vel eguiſſet aliàs, Epiſcopus, vel omninò Clericus eſſe poſſet. Clari ſunt canones, hac diſciplina pleni. Quinetiam ſi quis poſt Epiſcopatum, vel Clericatum laberetur, & pœnitentiæ debitor fieret, pellebatur gradu, abdicabatur, nec diutiùs ſeruabat ſtatum. Imò ſi ſine conſcientia criminis, ſolo religionis amore, & pietatis æſtu, in ordines pœnitentium deſiliret, ſeu Epiſcopus, ſeu ſacerdos, ſeu è Clero quiuis, tãtũdem amittebat honorem, nec rurſus ad Clerum dabatur regreſſus. Adeò Clericales ad vnũ gradus, non crimine tantum aut criminis ſuſpicione, ſed ipſa criminis ſpecie carere voluit Eccleſiæ diſciplina. Itaque cùm Clericus omnis, multóque magis Epiſcopus, mortali peccato & pœnitentiæ reatu è Cleri totius ordine laberetur, ineptum & inſcitum eſt quærere an Epiſcopatus media propria habeat ex ſtatu quibus à peccato ad gratiam reuertatur. Clariſſimum enim eſt Epiſcopum peccatorem, re-

Conc. Tolet. 1. c. 2.
Aug. ep. 50.
Cypr. ep. 68.

Concil. Gerund. c. 9.

Digitized by Google

ſurgere non poſſe per media ſtatui propria, cùm hoc ipſo quod peccator eſt, ſtatum amittat ex primæuo iure, nec ampliùs in eo ſit. Quod autem nunc peccans Epiſcopus non excidat gradu, neceſſaria Eccleſiæ indulgentia fit, qua in eo retinetur. Cadit nihilominus in ſtatum ſtatu ſuo infinitè abiectioré, è quo ad priorem redire non poſſet, niſi Eccleſiæ clementia reſtitueretur. Vnde non mirum quod in ſtatum tam degenerem delatus, gratiam recuperare nequeat per media Epiſcopalis ſtatus, à quo tam longe abiit, ſed reſurgere cogatur ad gratiam per media illi ſtatui propria in quem coniecit ſe, ſtatui nimirum pœnitentium, & minùs quàm imperfectorum. Pœnitentes enim minùs eſſe quàm imperfectos, cùm nondum ſint, ſed ad eſſe paulatim accedant, iam ſupra dictum eſt. Sed in his Spongiam non cæcutire, & hanc Eccleſiaſticæ dignitatis & diſciplinæ naturam eminentiamque percipere, tum demùm credi poterit, ſi quid apte, peritè, Theologicè, non abſolutè, non ridicule, non inſulsè ad hæc ipſa reſponderit. Eſt enim ex eo genere hominum qui nihil magis habent quàm arrogantiam Theologicam, nihil minus poſſident quàm Theologicam ſcientiam. Et hoc ſibi nos publice teſtimonium dare arrogantiæ iſtius ſtoliditate compellunt, vt deinceps tam apertè, tam effusè inſoleſcere metuant ſaltem formidine pœnæ.

Quod affert ex Ambroſio, & ex Apocalypſi ſancti Ioannis, ſpurium eſt, prauum, contortum. Ambroſius locum Apocalypſeos vbi Angeli Eccleſia-

rum arguuntur, nunquam de Epiſcopis interpretatus eſt. Falleris aut fallis. Locum apponere debuiſti. Nunc cum nihil das niſi verba tua, quibus ſolis fidem haberi vis de Ambroſij expoſitione, meritò ea reſpuimus quæ tot mendaciis omnem veritatis, tot fallaciis quas perpetuò retegimus, omnem fidei, & candoris opinionem amiſerunt. Locum Apocalypſeos varie enarrarunt SS. Patres; quorum nemo tamen tua enarratione vſus eſt. Sanctum nominatim Ambroſium aliter expoſuiſſe conſtat, cumque veterum aliquot, de quorum expoſitione nihil nunc agere neceſſe eſt. Satis habendum, tuam non eſſe Ambroſij, cui eam impertis; tuam eſſe, & quidem malam. Nam Epiſcopum lethifero peccato reum, qui ſedem tenuerit, nec cedere ſit compulſus, ſi ſua ſponte non cedebat loco, nullum dabis primis illis Eccleſiæ ſæculis. Nunquam id primæua illa [a] Eccleſia tulit, niſi graui interdum neceſſitate coacta, vt ad reuocandam ingentem populi multitudiné, qui forte ducibus Epiſcopis ab Eccleſia defeciſſent, quod in Cócilio Nicæno [b] Epiſcopis & Clericis Nouatianis indultum, & poſtea Donatiſtis, [c] cuius indulgentiæ cauſam apud Auguſtinum legere eſt, & paſſim [d] alibi. Neq; rurſus Epiſcopi, quócumq; crimine tenerentur, redigebâtur ad pœnitétiam. Nam pœnitentia & pœnitentes ſimpliciter, de ſola pœnitentia publica, & publicis pœnitétibus dicebantur, vt [e] teſtantur SS. Patres. Epiſcopos autem aut Clericos ad pœnitentiam publicam nunquam damnarunt canones; imò ſæpe [f] vetuerunt. Eos ſola

a *Vid. Cypr. ep. 68.*
b *Conc. Nic. can. c 8.*
c *Aug. ep. 50.*
d *Cypr. ep. 52. &c.*
e *Aug. ho. 27. & 50. in li. 50. ho. & ep. 108. &c.*
f *Vid. Leon. Mag. ep. 90 ad Ruſt. Narb. c. 2.*

depoſitione multabant, adiuncta interdum priuatione communionis, [a] ſi criminis grauitas tanti eſſet. Pœnitentiam autem & ſatisfactionem publicam nunquam imponebant, tum in honorem Cleri, tum *ne bis vindicaretur in idipſum*, vt aiunt [b] ex ſcriptura.

Quis ergo ſenſus Apocalypſeos? Nullus alius, niſi Deum omnes Eccleſiæ cuiuſque labes Epiſcopo exprobrare, vt capiti, vt rectori, vt ſponſo, vt ei cui totius Eccleſiæ cura commiſſa, & ratio reddenda eſt. Nam Eccleſia & Epiſcopus vnum ſunt, ſicut Eccleſia & Chriſtus, cuius Epiſcopus vicem agit. Vnde ſicut Chriſtus peccata hominum ſua peccata vocauit, interprete Auguſtino, [c] quia ea expianda ſuſcepiſſet; Ita peccata populi & Eccleſiæ peccata Epiſcopi ſunt hoc ſenſu, quia Epiſcopus ea ſananda, purganda, & emaculanda ſuſcepit, [d] boni paſtoris officio, cuius eſt [e] *offerre dona & ſacrificia pro peccatis*, & Chriſti exemplo [f] *ſeipſum tradere pro Eccleſia, illam ſanctificare, mundare, vt exhibeat eam glorioſam, non habentem maculam, aut rugam*, quatenus in hac vita fieri poteſt. Nec tamen nimium Spongiæ demus, neve ſe aliquid in iſtius obiectionis miſeria vidiſſe putet, longè & pueriliter errat, dum negat Epiſcopali ſtatui media propria, quibus peccata deleri & redimi poſſint. Alio enim ex capite, vti diximus, pœnitentiæ ſtatus non cadit in Epiſcopalem dignitatem. Si autem operum & mediorum pœnitentiæ ratio haberetur, nullus eſſet ſtatus dignioris, efficacioris, nobilioris pœnitentiæ, nec vbi peccata

[a] *Concil. Sard. c. 1.*

[b] *S. Baſil. ep. ad Amphil. c. 3. & 32.*

[c] *Aug. in Pſal. 21.*

[d] *Greg. l. 1. ep. 24. ad Ioannem Cõſtant. &c.*

[e] *Heb. 5.*

[f] *Epheſ. 5.*

Digitized by Google

faciliùs, & diuiniùs expungi poſſent. Nulla enim altior diuiniorque pœnitentia quàm charitas, quæ ſtatui Epiſcopali ſupra omnes Eccleſiæ ſtatus propria

1. Pet. 4. eſt, vt toties dictum ex ſcripturis, quæ *operit multi-*

Luc. 7. *tudinem peccatorum*; qua Magdalenæ *dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum;* qua denique Chriſtus ipſe totius humani generis peccata deleuit. Vnde pœnitentia cuius Epiſcopatus capax eſt, nimirum quotidianarum offenſionum, & criminum antè factorum, nuſquam valentiùs agitur, nec maiori fructu & ſpe, quàm in Epiſcopali ſtatu, cuius

1. Theſſ. 2. omnis functio charitas eſt & amor, qui pellit timo-

1. Ioan. 4. rem, qui ſolus ſine cæteris omnibus omnia eſt, ſine

1. Cor. 13. quo vno cætera omnia *nihil ſunt.* Quare Ambro-

Ambroſ. præf. in lib. 5. de fide. ſius de Petro, *Paſcendo*, inquit, *cibo fidei gregem Chriſti, culpam lapſus prioris aboleuit.* Atque ita ridicula Spongiæ inſcitia eſt, exiſtimantis actiones Epiſcopo proprias non eſſe opera vera pœnitentiæ, nec per eas ſanari peccata, ſeu *baptiZet* Epiſcopus, ſeu *ſignet baptiZatorum frontes, conſecret Sacerdotes, Euangelium prædicet, excommunicet contumaces.* Imò ſciat & excommunicationem, & punitionem quamlibet contumacium adeo eſſe efficacem abolendis peccatis, & placandæ iræ Dei, vt vnius animæ contumacis

Num. 25. pœnâ, ſæuientis in populum vniuerſum vindicta Dei olim compreſſa fuerit. Quanto magis vnius Epiſcopi Catholici, vnius Pontificis culpæ, merita plurium contumacium vltione, & ſeuera animaduerſione deleantur?

Digitized by Google

PROPOSITIO DVODECIMA.

Ibidem n.34.

Licet ſpeculatiuè ſtatus Epiſcopalis ſit perfectior, vt conſideratur ſecundum nudam ſuam naturam; quia tamen practicè res ſumenda eſt ſecundum omnes ſuas circumſtantias, & prout moraliter haberi poteſt, ideò abſolutè ſtatus religioſus pluris æſtimandus eſt, & fœlicior putandus, & pro quolibet in particulari perfectior. Nam ad conſiderandam excellentiam ſtatus, non tantum conſiderare debemus perfectionem actionum ad quas obligat, & ſtrictam obligationem quam infert poſſeſſoribus, ſed etiam poſſibilitatem, vel probabilitatem perficiendi tam altas obligationes. Nam obligari ſub pœna peccati, & damnationis ad perficiendas actiones quæ moraliter loquendo non ſunt poſſibiles, non tam eſt perfectus, quàm miſerabilis ſtatus.

CENSVRA.

Iſta propoſitio in quantum abſolutè in praxi ſtatum religioſum perfectiorem aſſerit Epiſcopali, noua eſt, falſa, temeraria, præſumptuosè aſſerta, & ſtatui Epiſcopali iniurioſa. In quantum verò innuit actiones ad quas tenentur Epiſcopi ſub pœna peccati, & damnationis non eſſe poſſibiles, eſt blaſphema in bonitatem diuinam, & hæretica.

Digitized by Google

SPONGIA.

Impoſtura eſt autem aſſerere religioſum ſtatum perfectiorem eſſe Epiſcopali in praxi abſolutè. Conſtat enim vel ex verbis quæ citant, addidiſſe reſtrictionem, Quod attinet ad vnumquemque in particulari, ſeu quoad propriam cuiuſque perfectionem. *Quæ aſſertio non eſt ſtatui Epiſcopali iniurioſa, ſed laus religioſo ſtatui debita; nec noua, ſed quam Theologi præſtantiſſimi tradunt in terminis tamquam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam. Vnum aut alterum teſtem proferam.*

RESPONSIO.

Nihil ne tu bona fide loquere? Vouiſti ne te fallacem fore ad extremum, & Spongiam mendacio, inuerecundia, peruicacia impleturum? Negas te aſſerere *Religioſum ſtatum perfectiorem eſſe Epiſcopali in praxi abſolutè*, tuamque ſententiam explicans, dicis te addidiſſe, *quod attinet ad vnumquemque*, ſeu *quoad propriam cuiuſque perfectionem.* Qua in reſponſione fidem tuam dupliciter requirimus. Etſi enim nulla tua fides eſt, ideoque fruſtra requiri videatur, tamen hoc ipſum querimur, eam tibi nullam eſſe. Primò, malæ fidei graue indicium eſt, quod reſponſionem hanc tribus verbulis abſoluis, vt nemo qui tuis fraudibus & erroribus enodandis non ſit aſſuetus, & intentiori acie fallacias tuas perſequatur, quid tibi velis aſſequi poſſit. Hoc enim de induſtria egiſti vt lectoris intentio confuſa hæreret, & tu offuſis nebulis interea euaderes, ſi non abſolutus, quod ſperare

non

non poteras; certè non deprehenſus, quod te effugere vix poſſe videbas. Deinde prima hac fraude alteram maiorem inuoluiſti. Adeo enim ridiculum & pudendum effugium affers, vt hoc vnum ſummopere metueris, ne quis illud perciperet; ideoque paucis obſcuriſſimis voculis rem implicans, aliò celeriter auolaſti, quaſi laqueum, quo certiſſimè præfocandus eras, ſi diutius in eo hæreres, trepida velocitate ſuffugiens. Nam vt reſponſiunculam iſtam quàm æquiſſimè interpretemur, hoc reſpondes, Te religioſum ſtatum dixiſſe *abſolutè in praxi perfectiorem* Epiſcopali, *quod attinet ad vnumquemque in particulari*, hoc eſt, quoad perfectionem cuique particulari dandam, ſeu ad perficiendum quemque hominem particularem. Hunc enim ſenſum innuit poſterior particula tuæ expoſitionis, *ſeu quoad propriã cuiuſque perfectionem*. Hic autem ſenſus perfidioſus & illuſorius eſt: Iam enim antè dixiſti ſuperiori propoſitione, Religioſum ſtatum ſecundum ſe eſſe perfectiorem Epiſcopali, quod ad perfectionem hominis propriam attinet, ſeu quoad perficiendum quemq; hominem particularem. Religioſum enim ſtatum dixiſti ſpectare perfectionem hominis propriam, non autem Epiſcopalem. Hoc de vtroque ſtatu ſecundum ſe ſpectato dixiſti, Religioſum Epiſcopali præferens quoad propriam homini perfectionem acquirendam; Epiſcopalem autem Religioſo quoad perfectionem quam Epiſcopalis in homine præſupponit, vt functionibus Epiſcopalibus in aliis perficiendis ritè fungatur. Hoc diſcri-

mine, & mutuo quodammodo exceſſu vtriuſque ſtatus abſtractè, ſecundum ſe, & ſecundum proprias eorum obligationes, conſtituto; tranſis nunc ad conſiderandum vtrumque in praxi, & prout reipſa in ſingulis hominibus reperiri ſolet. Et ais Regularem ſtatum in praxi eſſe abſolutè perfectiorem, non ſolùm quoad perfectionem hominis propriam, (hoc enim ei ſecundum ſe & ſpeculatiuè ſumpto iam antea tribuiſti; Vnde cùm præterea perfectionem ei in praxi ſupra ſtatum Epiſcopalem tribuas, perfectio hæc aliquid ei amplius conferre debet.) Abſolutè ergo perfectiorem facis Regularem ſtatum in praxi, quia cùm ab Epiſcopali ſtatu ſecundum ſe ſpectato aliqua ex parte ſuperetur, nempe illa perfectione quam Epiſcopatus ſupponit ad implendas Epiſcopales functiones; in praxi ne quidem hac parte illi cedat, quia perfectio iſta in praxi ſit impoſſibilis, & moraliter dari non poſſit. Ita enim ſequitur Epiſcopalem ſtatum non antecellere Regulari in praxi perfectione eiuſmodi, cùm eam in praxi nec habeat, nec habere queat. Imò perfectionem illam hoc modo ſpectare, non tam perfectio quàm imperfectio erit Epiſcopatus, nec *tam perfectum* faciet, *quàm miſerabilem ſtatum*, vt rectè ipſemet intuliſti. Imperfectio enim & infelicitas magna eſt id exigere atque appetere quod nec obtineas, nec obtinere valeas. Parturienti ſimilis ea miſeria eſt, *quæ*
Iſa. 26. 17. *dolens clamat in doloribus, & non eſt virtus pariendi.* Hac ergo etiam ex parte, clarè ſequitur, & tu

Digitized by Google

recté infers, Regularem ſtatum, qui Epiſcopali aliqua ex parte cedebat ſpeculatiuè loquendo, in praxi eo eſſe abſolutè, & per omnia perfectiorem, non tantum quoad perfectionem ipſi homini tribuendam, ſed etiam quoad perfectionem quam Epiſcopatus ſupponit, vt eius obligationes compleantur; quia videlicet talis perfectio in praxi ſit impoſſibilis, & proinde quaſi nulla cenſeatur. Hic eſt verus ſenſus tuæ propoſitionis, hoc propudium illud, quod fruſtra inuoluere atque obſcurare conatus es; Adeò nouum & prodigioſum, vt rectè notarunt Cenſores, prudentioribus oculis *occulta* tui *dedecoris* penetrantes, quàm vt fraudulentiæ tuæ velamine tegi poſſint, vt nihil tale ante te natum in rerum natura ſit auditum. 1. Cor. 4.
Nulli tam chimærica, & imaginaria præſumptio in cor aſcenderat, ſed ne in mentem quidem, vt ſcilicet magna illa perfectio quam Epiſcopatus ſecundum ſe ac ſpeculatiuè ſupponere dicitur, quaque regularem ſtatum omneſque alios fallaciter ſuperare conceditur, in praxi & à parte rei nihil ſit, redigatur in nihilum, impoſſibilis fiat, adeoque per illam Epiſcopatus, non ſolùm Religioſo ſtatu in praxi abſolutè inferior, ſed etiam ſtatuum omniũ abſolutè miſerrimus & infeliciſſimus efficiatur. Hanc ergo impiam Epiſcopalis ſtatus deriſionem, hanc prodigioſam nouitatem erubeſcens, fallaciis eam interpolare niteris, hoc ſolo infœlix, quòd nõ in ſimiles tibi Spongias incideris, quibus

non plus eſſet naſi ad tuarum miſeriam vafritierum odorandam, quàm tibi ad adornandam. Quare quoſcumque deinceps authores edis, extra propoſitum ſunt, remoti à te, alieni, abhorrentes, non verbis ſolùm, ſed etiam cogitatione. Citas enim eos in cauillatorium iſtum ſenſum, quem tuæ propoſitioni affinxiſti, Cenſuram ludificaturus. Quamquam ita deuius, & vndique ineptus es, vt ne ad hoc quidem, quò quæſtionem deflectere conaris, trahi poſſint. Nulli enim eorum Regularem ſtatum vllo modo anteferunt Epiſcopali, quemadmodum ex eorum verbis perſpicuum fiet. Vt ſtolidæ audaciæ fuerit, id eſt tuæ, dicere eos *tuam aſſertionem in terminis tradere, tamquam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam*, quaſi tua deliria non probarent ſolùm, ſed etiam Eccleſiæ Catholicæ dogmata, fidei oracula facerent.

SPONGIA.

Lælius Zecchius Polygraphus Epiſcopi Veronenſis Vicarius generalis, variorum Cardinalium Romæ auditor, ſacræ Theologiæ & Iuris vtriuſque Doctor, quæſtionem hanc ante triginta annos verſans, duobus eam dictis reſoluit; Primum eſt, Religioſi ſunt in ſtatu perfectionis. *Hoc multis probat. Deinde procedit ad ſecundum*, Religioſus ſtatus eſt perfectiſſimus & excellentiſſimus. Probatur ex Dionyſio capite quinto Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, di-

De Republica & Eccleſiaſtica Titulo de Relig. c. 1. n. 6. & 7.

Digitized by Google

cente ſtatum Religioſum eſſe ſtatum perfectorum perfectione propria, ſicut Epiſcopalem perfectione aliena, *vt, inquit, Caiet. 22. q. 189. a. 3. Baſilius ſerm. 1. de monaſti. Inſt.* ſtatum monachalem vltra humanæ naturæ fines procedere, & Angelicam conuerſationem adipiſci, qui nullo terreno affectu tenentur, ſed in ſolo Dei amore quieſcunt. *Hic author ſæcularis Prælatus, & in Eccleſia Romana practicus, Religioſum ſtatum eſſe excellentiſſimum perfectione propria, tanquam indubitatam ſcholæ Catholicæ ſententiam tradit.*

RESPONSIO.

Vbi hic *in terminis* tuus error? Vbi *velut indubitata ſcholæ Catholicæ ſententia* traditur? Antea tradi dixiſti *tanquam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam*; nunc ſola *ſchola Catholica* contentus es; minus concludis, quàm probandum ſumpſeras; Ita tibi memoria, cogitatio, & tota mens effluit. Sed detur hoc naturæ tuæ præcipiti, quàm qui te norunt mirabiliter prædicant, & Spongia mirabiliter comprobat. Vbi ergo habes in hoc Lælij Zechij teſtimonio, non dico iam *in terminis* (remitto tibi hoc onus, imbecillitatem tuam miſerans, & inconſultam loquacitatem) ſed in ſenſu ſaltem, in conſecutione probabili, quocumque modo, Regularem ſtatum eſſe perfectiorem Epiſcopali, ſeu in praxi, ſeu ſpeculatiue, ſeu vllo genere perfectionis? Palam eſt Zecchium perfectiſſimum quidem facere regularem ſtatum, ſed per

ſe, ſine comparatione vlla, ſine detrimento Epiſcopalis ſtatus, cui neque præfert, neque confert eum quoad maiorem minoremve perfectionem; nec quærit vter alterum ſuperet; vter in praxi, vter ſpeculatiuè præponendus: Quæ tamen tua quæſtio eſt. Quare agnoſce hunc autorem, tametſi blandis elogiis, & Ieſuitica adulatione palpatum, nihil tibi annuere, nihil ſuffragari, nihil audire vt ſe autore Regularem ſtatum Epiſcopali præferas; pudendum eſſe, te nugamentorum hoc genus obiicere Facultati Pariſienſi, tot tantiſque Præſulibus, totius Eccleſiæ oculis; nobiſque ſuperuacaneum in fugandis leuiſſimis vmbris laborem imponere.

SPONGIA.

Replica ad diſcuſſ. præfat. pag. 14.
a Tom. 3. de Relig. c 19. n. 21.
b Ibid. n. 23.

Doctor Franciſcus Suarez, quem Doctor ipſe Kelliſonus tanti facit, vt dicat ſe nihil in hac quæſtione prorſus ab eo diſſentire, ſic ſcribit: [a] hinc eſt, *inquit,* quod ſtatus Epiſcopalis non ſit per ſe materia voti abſoluti, quod vocat Maior Categoricum, quia in ordine ad vouentem, & ad ſalutem eius non eſt per ſe expetibile, *nec melius. Et* [b] *iterum:* ſtatus Epiſcopalis non eſt ſimpliciter quid melius, vel reſpectu ipſius vouentis, vel diuini obſequij.

RESPONSIO.

Doctorem tuum Soarium facile tibi remittere poſſemus, è quo pleráque hauſeris. Etſi enim errorum hæreſumque tuarum præcipuas ipſe non

habeat, eaſque tu ſine doctore, natiua quadam fœcunditate ſuſceperis, qualis ſordidioribus rebus ineſt, ad vermium viliumque animalculorum procreationem; tamen harum ipſarum hæreſum & errationum ille tibi, ſi non planè dux & doctor, certè ſtimulus & illex fuit, & lapis offenſionis, & petra ſcandali, quam tua debilitas attingere ſine lapſu non potuit, & ſine eliſione. Quare ſi tibi Kelliſonus ait ſe eum *tanti facere, vt nihil in hac quæſtione ab eo diſſentire velit*, magno te munere obligat: dat enim quod minime debet. Quo maior in illum tua tuorumque ingratitudo eſt. Porrò tu iſto eius munere ac priuilegio abuteris, quaſi mali inſtitores, vt Soarij nomine quiduis fallaciter inuehas. Hoc enim in primis loco Suarez ipſe nihil prodeſt, nihil tecum ait, ſed quaſi nequiorem diſcipulum aſpernatur. Nec locus quem affers loquitur de religioſis & Epiſcopis, nec eos comparat, nec eorum ſtatus perfectioneſque committit. De Epiſcopis ſeorſum diſputat; de religioſis tacet. Lege modò verba, & pudebit vel te, vel quemlibet pro te, vaniſſimæ iactationis, qua præſtantiſſimos Theologos dixiſti te daturum teſtes, qui tuam doctrinam *in terminis* traderent, & quidem *tanquam Catholicæ Eccleſiæ ſententiam*. Diſce quietiùs, conſideratiùs, prudentiùs loqui. Alioquin ſpera non defore volaticæ tuæ laſciuiæ maſtiges. Nihil ergo ad rem Soarij locus, nec propoſitam controuerſiam attingit. Eius verò verba,

ſi ad vocum ſonos, & ad litteræ corticem exigas, plus habebis, quàm ipſe voles. Sequetur enim Epiſcopalem ſtatum fore rem non bonam, non vtilem, indifferentem homini: quod falſum procul dubio, & erroneum eſt, ſcripturis ſanctis, Patribus ſanctis, & Epiſcoporum pene omnium ſummorumque Pōtificum profeſſionibus aduerſarium, quorum in decretis litteriſque ſolemne illud eſt, ſe Dei gratia & diuina miſeratione, non ſuis meritis, eſſe Epiſcopos. Gratias ergo agunt pro Epiſcopatu, quaſi re non ſolùm non indifferenti, ſed bona, & quidem bona adeo & præſtanti, vt ad eam merita ſibi defuiſſe agnoſcant: quod ante illos ſæpe fecit Apoſtolus, & hoc ſine dubio exemplum poſteri exceperunt.

Rom. 1. Epheſ. 3. &c.

Non igitur Epiſcopalem ſtatum negat Suarez eſſe bonum, & ſtatuum omnium optimum; Imò id diſertè docet; ſed votum Epiſcopatus bonum negat. Epiſcopatus autem, & votum Epiſcopatus longè differunt. Nec Spongiæ argumentari licebit bonum non eſſe Epiſcopalem ſtatum, quia votum eius bonum eſt. Quid enim melius, quid diuinius ſanctitate Virginis matris, S. Pauli, Apoſtolorum, virorumque ſanctiſſimorum? Eius tamen votum peſſimum eſt, & ſuperbum, & arrogans. Nec laudabit, opinor, Ieſuita, ne quidem Moliniſtica licentia, ſi quis Deo voueat ſanctitatem Pauli, aut Apoſtolorum, eamque ſe adæquaturum polliceatur. Mala ergo collectio eſt, non bonum eſſe Epiſcopalem ſtatum, quia votum eius non bonum eſt. Id enim potius excellentem Epiſcopatus bonitatem

& ma-

& magnitudinem arguit, quam cuiuis aſſequi, appetere, aſpirare non ſit datum; multo verò inferiorem regularis ſtatus conditionem, & cuiuſuis hominis votis magis obuiam. Quamquam quod ſtatus Epiſcopalis voueri non poſſit, non refertur à Suario ad eius ignobilitatem, aut prorſus ad propriam eius intimâque naturam, ſed ad ea quæ ipſum ambiunt, & circumſtare ſolent, vt honorem, amplitudinem, opes, facultates, quorum illecebra procliue eſt irretiri mentem quæ ad Epiſcopatus deſiderium quodlibet; ne dum ad votum ſe applicet; ſicut piſciculi appetentes eſcam, inſerto hamulo facillimè capiuntur. Quod ſi ea lenocinia deſint, ſi ponatur Epiſcopatus nullo aut tenui honore, amplitudine, opibus, commodis; non ſolum appeti, ſed voueri putat poſſe Suarez, non minùs quàm regularem ſtatum. Vnde hæc obiectio inanis eſt, nec ex ſententia Suarij quicquam ſtatui regulari præſtantiæ aſſerit ſupra natiuam & propriam ſtatus Epiſcopalis dignitatem.

SPONGIA.

Idem clarioribus ſuis verbis tradit B. Petrus Damiani ſummæ autoritatis Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis opere Epiſtolarum iuſſu ſummorum Pontificum edito, lib. 5. Epiſtola 19. vbi dicit : Nihil eſſe meliùs quàm relinquere ſæculum, & propter hoc deſeret Comes Comitatum, Rex Regnum, Epiſcopus Epiſcopatum, ſummus Pontifex Pontificatum, & venient ad monaſteria ad ſeruiendum Deo. *Hæc do-*

ctrina Pariſiis vnà cum hoc libro venalis eſt apud Sebaſtianum Cramoyſi, cum priuilegio Chriſtianiſſimi Regis excuſa, & tamen Sorboniſtæ quia Anglicè ſcribitur longe modeſtioribus verbis. fremunt, vt nimis manifeſtum ſit eorum cenſuram, odij & ferociæ, non fidei & iudicij partum eſſe.

RESPONSIO.

Odioſè toties recoquis cramben iſtam, & quidem, inertium coquorum inſtar, cum eadem condimentorum inſulſitate, *clara verba* nobis ingerens *B. Petri Damiani, ſummæ autoritatis Cardinalis & Epiſcopi Oſtienſis, in opere ſummorum Pontificum iuſſu edito, Pariſiis venali, apud Sebaſtianum Cramoyſi, cum priuilegio Chriſtianiſſimi Regis.* Nec vina laudata hederam, nec probæ fidei opera has titulorum offucias poſtulant. Circumforanei nugis & ocliferiis capiunt rude vulgus, falſas merces circumtegunt; ita tu iſtius Epiſtolæ laruam; quam tibi ſæpe reteximus, vt eam vel tu ipſe nunc horreas. Turpis eſt autem in cœnoſa illa Epiſtola in primis hæc ſordes, quam tu pro gemma venditas, elegantis iudicij homule; & cùm omnium Theologorum placitis, tum clariſſimæ Innocentij III Pontificis ſententiæ obſtrepit. Quare deſine tandem venari vmbras, quibus tuam cæcitatem adornes; *fidem & iudicium*, quæ in aliis deſiderâs, ipſe ſuſcipe, cole, exhibe; *odium & ferociam*, quam exhibes, & vbique arripis, vel arriperis ab ea, & male vexaris, repudia, vel ſi minus potes, ora. *Matt. 17.* *Hoc enim genus non eijcitur niſi per*

Digitized by Google

orationem & ieiunium, cui tu aſpero iampridem & ſeueriori pro tanta rerum verborumque intemperantia ſubiici debueras vel inuitus, ſi quid in tua Societate diſciplinæ, ſi quid modeſtiæ ſuper eſſet.

Quid verò tandem tibi vis cum iſta teſtimoniorum prolatione? non enim videmus quid colligas. Nihil aperte concludis. Tui ſermonis exitum ipſe horrere vidêris. Nempe male cogitas; aliquid monſtri alis, & foues, quod excludere parereque metuis. Nam vel nihil efficis cum iſta dictorum farragine; vel vis & concludis Regularem ſtatum omnium Eccleſiæ ſtatuum, ne dempto quidem Pontificio, eſſe longe maximum & præcellentiſſimum. Hoc enim conſilio iſta congeſſiſti, *ſtatus religioſus eſt perfectiſsimus & excellentiſsimus; ſtatus monachalis vltra humanæ naturæ fines procedit, & angelicam conuerſationem adipiſcitur; Nihil melius quam derelinquere ſæculum, & propter hoc deſeret Comes comitatum, Epiſcopus Epiſcopatum, ſummus Pontifex Pontificatum, & venient ad monaſterium ad ſeruiendum Deo.* Quæ ſatis innuunt te regularis ſtatus eminentiam, non ſolũ vltra Comites & Epiſcopos, ſed etiã vltra maximi Põtificatus apicẽ attollere, vt nõ ſolũ Epiſcopi, ſed etiã Põtifices abiectis infulis, in monaſteria ad meliorem ſtatum, excellẽtiorẽ, diuiniorẽ cõuolẽt. Veriſſimũ enim vbiq; apparet quod toties monuimus, te in inuadẽdis Epiſcopis Põtifici nõ parcere, nec parcere poſſe, & quicquid in eos iacularis, in illũ maximè, vt in epiſcopalis ordinis caput, intẽtari. Equidẽ qui omniũ maxime regularẽ vitã cõmendauit & amplificauit,

a *Chryſoſt. in compar. Regis & Monachi tom. 5.* contulit a eam & prætulit Regibus, Regiæque fœlicitati & magnitudini. Qui verò eam cum Epiſcopali ſtatu, imò cum Pontificio, compararit & antetulerit, ante hac nemo inuentus eſt. Audaciſſimæ opinioni fingendæ, ſtolidiſſimæ Spongiæ fictio expectabatur. Reclamat enim omnium ſæculorum Theologia; in primis S. Thomas, quem ſupra docentem audiuimus, Epiſcopum ſi à ſuo ſtatu ad monachatum migraret, quamdiu ſaluti eorum quibus præeſt, prodeſſe valet, retroceſſurum. Neque verò tantùm Epiſcopis & Pontificibus, ſed ne quidem ſingulis hominibus Regularis ſtatus ſuadendus eſt. Non enim omnes vocantur. non omnes eò trahit Deus. Nonnullos etiam retrahit. Quare Apoſtolus etſi omnes optaret *eſſe ſicut ſe*, caſtimoniæ & continentiæ ſe dedere; non tamen generatim cuilibet ſuadet, ſed ſignanter addit, *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo; alius quidem ſic, alius autem ſic. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in hac permaneat.* Quod videntes religioſi, non vniuerſos, ne quidem offerentes ſe, & vltrò poſtulantes, ſuſcipiunt: quia non omnes à Deo vocari vident. Alioquin diuinæ vocationi obluctarentur. Ieſuitæ verò, etiam eos quos ſuſceperunt, quos probarunt, quos diu tenuerunt & complexi ſunt, dimittunt vulgò & abdicant, licet bonis interdum moribus & pio ingenio præditos. Non enim nonnullos eorum probos negant. Nec tamen ideo diuinarum vocationum curſus abrumpere ſibi videntur. Non igitur omnes vocari putant.

1. Cor. 7.

SPONGIA.

Hoc de argumento librum ſcripſit integrum Hieronymus Platus, qui omnium gentium linguis legitur, & laudibus approbatur, vt ad hanc opinionem, quæ ſic obtinuit, extirpandam ſeriùs accedat Sorbonæ ſarculus.

RESPONSIO.

Plati verba notata oportuit. Vaga citatio, vagæ tuæ mentis indicium eſt. Licet enim Platus Ieſuita fuerit, & Sodalis tuus, ideoque à te in Facultatem Pariſienſem non pudenter afferatur; tamen æquiori in eum ſumus animo, quàm vt tuam ei opinionem, quæ nullo parente dignior eſt quàm vno te, probatam fuiſſe credamus.

SPONGIA.

Coronidis loco addam Eccleſiaſticum ſcriptorem ante ſcholaſticos natum, ſapientia, eloquentia, & ſæculari prælatura nobilem, Petrum Bleſenſem, cuius verba reuerentiæ in religioſos plena hanc quæſtionem abſoluant; ſic libro aduerſus deprauatorem operum ſuorum pag. 546. Vitam religioſorum, *inquit*, quorum diuerſæ ſunt ſpecies (Polymita eſt enim tunica Ioſeph, & circũamicta varietatibus ſponſa Chriſti, tota cordis affectione veneror, ipſorumque pedes brachiis deuotiſſimæ humilitatis amplector: Scio enim quia præ cunctis ſæcularibus, & Clericis, & laïcis, tanto differentiùs virtutum titulos referunt, quanto impreſ-

ſioribus veſtigiis Apoſtolorum regulis inhæſerunt.

RESPONSIO.

Hac quoque Coronide coronam non referes. Malè tuo capiti hæreret, vbi tantam iudicij penuriã præ te fers. Vacuo vaſculo malè ſignaculum adderetur. Quid enim in Bleſenſis loco cum tuo propoſito ſimile eſt? Quid euagaris? Quid tibi ad ſingulas voces mentem excidere ſinis? De Epiſcopis quærimus: Regulares comparamus cum eorum ſtatu, ſitne, vt tu ais, Regularis ſtatus in praxi perfectior Epiſcopali. Hac de re nihil Bleſenſis. Ipſa verba ſat indicant. Quod enim Religioſorum *virtutem* cunctis *Clericis* anteponit; nec de virtute hominum agimus, ſed de ſtatu; & *Clericorum* nomine non includi Epiſcopos, præcipuè in odioſis, ſchola conſentit. De Epiſcopis autem tota nunc quæſtio eſt. Sed nec Regulares tanti facit, quin paulò poſt adiiciat in deprauatorem illum ſuorum Operum, quem Regularem fuiſſe docet: *Porrò illud omnino diſſimulare non poſſum, quod cùm cæteri balſamum glorioſæ opinionis in odorem ſuauitatis effundant, tu tibique ſimiles facti eſtis odor mortis in mortem*, &c. *Legimus autem in libro quotidianorum euentuum, quod in his qui exomuerunt ſæculum frequenter amor ſæculi recidiuat, ſuamque reædificantes Iericho, quam in primitiua conuerſatione ſubuerterant, ignem & cineres ambitionis ſuſcitant iam ſopitos. Et quid eſt in vobis amor mundi, niſi odium Dei? Quid eſt ardor ille concupiſcentiæ qui aurum veſtrum vertis*

in ſcoriam, niſi mors animæ, tranſgreſſionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria virtutum, ſeditionis origo, & fouea ſcandalorum? Non ad iactantiam dico, ſed vt impudentiam tuam (frons enim meretricis facta eſt tibi) quamplurium Angliæ magnatum teſtimonio & aſſertione, retundam. Quod mirum eſt Ieſuitam non vidiſſe ex hoc ipſo loco ſibi ſuiſque ſociis, præcipuè Anglicanis regeri poſſe in arrogantiæ, quam ex eo temerè arripiunt, compreſſionem. Nam & infra ſubdit: *Nonne Prior tuus Eccleſiis apponit Eccleſias, & redditum redditui, atque poſſeſſionem poſſeſſioni accumulat? Quod ſi ad colorandam turpitudinem culpæ, titulum publicæ vtilitatis allegas, ſcias quia nec eum defendit numerus, nec multitudo conuentualis excuſat. Non enim minus ardebit, qui cum multis aut pro multis ardebit.* Non igitur ad vniuerſos ſui æui regulares laudum, & virtutum illarum præconia refert Bleſenſis; & mala quæ in iis coarguit, ambitionem, ſcandala, procerum Angliæ teſtimoniis nota, opum, reddituum, beneficiorum congerendorum ſolicitudinem, ita examuſſim Ieſuitis congruunt, vt perſpicuum fiat, eos plus habere cur Bleſenſis vituperationes ſibi quā laudationes arrogent, illiſq; deiiciant animos, quàm his erigant, & inſanæ æmulationis ardoribus incendantur. Nec verò premere debuit more ſuo Ieſuita hanc Clericorū in eòdem ſermone commendationem: *Clericorum voluptates accuſas quas apud pleroſq; ſpirituales in Chriſto potius cenſeo quā carnales. Noui quamplurimos, quibus ad occaſionem turpitudinis ſuſpectior eſſet ſua camera,*

quam fortè tibi Eccleſia : plus fortaſſe in tuis ſemicinctiis, quàm Clericus in purpura & byſſo, gloriaris. Melior eſt purpurata humilitas, quàm pannoſa ſuperbia. Pietas ipſa eſt cultus Dei. Vide ne ſpeciem pietatis habeas, & non cultum, ne de illorum numero cenſearis, contra quos Apoſtolus dicit, ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutem autem abnegantes, &c. Non auferunt conſcientiæ vermem habitus & tonſura. Regnum Dei intra vos eſt, non in exteriori veſtitu. Nonnullos Clericos noui, qui quaſi nihil poſſidentes, multa poſſident. Non enim habent ſibi, ſed omnibus, quicquid habent. Sic temporali fouentur ſubſidio, ſicut in ſtabulo viator vtitur lecto. Pauſat, ac feſtinat recedere, nouit enim ſe eſſe peregrinum & hoſpitem ſuper terram, &c. Leua oculos tuos, & recole ſi vnquam videris alicuius regulæ profeſſorem per agonem martyrij de ſæculo triumphaſſe. Nam ſi eo modo aliquem triumphaſſe proponas, hunc ab ordinis obſeruantia prærogatiua Epiſcopalis exemerat. Non oportet omnes Regulari militiæ nomen dare. Credo non minoris eſſe meriti citra profeſſionis vinculum, & aſſumptæ neceſſitatis angariam ſimpliciter ambulare cum Deo, & cuſtodire vas ſuum in ſanctificatione & gratia, ſuaſque manus à ſordibus munerum excutere, quàm detrectare onus impoſitum, & luctari cum obedientiæ iugo. Religio munda & immaculata hæc eſt, cuſtodire ſe immaculatum ab hoc ſæculo, & ſe in operibus miſericordiæ iugiter exercere. Quæ omnia ſatis, opinor, laudes illas regularium temperant, quæ Ieſuitæ materiam ſuperbiendi præbuerunt. Nam Bleſenſis nunquam ſic regularem

vitam

vitam extulit, quin eius næuos & deliquia prodide-rit. Nunquam ſic arguit Clerum, quin eius bona ſit profeſſus. ſine adulatione laudauit, ſine inuidia corripuit; tam virtutibus fauens, quàm vitiis infe-ſtus; vtrobique veritatis amicus, & libertatis ingenij in omnes generatim hominum ordines, quantum-uis præcelſorum, tenax. Hinc graues apud eum, tum Monachorum & regularium, tum Clericorum in-crepationes; magna rurſus eorundem encomia. Al-terum Hieronymum dixeris, quem iſta ſcriptitan-di, & prauos tum Monachorum, tum Clericorum mores carpendi libertate vtriſq; inuiſum fuiſſe pro-ditum eſt. Epiſcopalem verò ſtatum, de quo nunc quærimus, à Bleſenſi nunquam poſtpoſitum fuiſſe vlla re monaſtico, ſeu regulari, ſed vbique prepoſi-tum, facile cernitur ex illius Operibus, nec Spongia dubitaret, ſi legiſſet. In primis loco iam edito au-diuimus ab eo dictum, *Regularem à ſui ordinis obſer-uantia* PRÆROGATIVA EPISCOPALI *eximi.* Prærogatiuam ergo ſtatui Epiſcopali tribuit, non regulari. Alibi diuiſo toto hominum genere, in *iacentes, ſedentes, ſtantes, ambulantes*; eorum primum dat *malis*; ſecundum, *bonis coniugatis*; tertium, *con-templatiuis*, ſeu regularibus; quartum, *Prælatis*, vt omnium optimum & præſtantiſſimum, & in quo aliorum omnium perfectiones continentur, præ-cipuè ſtantium, cùm ambulans & illud habeat quod ſtantes habent, & aliquid præterea amplius. Quare addit, *Prælatis incumbit ambulare, id eſt, inter prędicta hominum genera diſcurrere, nunc his, nunc illis,*

Vid. eundem ſerm. 49. ep. 67. 86. & 158.

Idem ſerm. 40.

Digitized by Google

nunc alijs increpationem, exhortationem, conſolationem, tanquam annonam verbi Dei erogare. Ambulans ſiquidem Jeſus iuxta mare Galilęæ, vocauit diſcipulos, quibus & poſtea dixit, Ite in orbem vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Electi ergo eſtis vt eatis. Ergo ite. Item alibi, *Prælati debent ſedere in nauicula Simonis. Nec videatur parum in nauicula Simonis ſedere. Eſt enim ſummus & ſupremus gradus in via ſedendi, ſedere in nauicula Simonis. Alius quidem eſt ſummus & maior iſto gradus ſeſſionis ad menſam Patris, vel in throno iudicis, de quo dictum eſt, Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Jſraël. Sed his ſupremus in patria, ille in via.* Denique Epiſcopo ſtatûs Epiſcopalis legem ſcribens, *Procura*, inquit, *humilibus pacem, rebellibus obedientiam, clauſtris quietem, ordinem Monaſteriis, Clericis diſciplinam*, vt doceat Epiſcopũ eſſe in Eccleſia ſummo omnium & præſtantiſſimo ſtatu, vt aliorum omnium, etiam regularium quorũlibet, doctorem & perfectorem. Quod & alibi non ſemel declarat. Quæ tandem ergo eſt Ieſuitica fraus, quæ indocta leuitas, hominem tanto vbique efferẽtem culmen Epiſcopale vltra omnes Eccleſiæ gradus, nominatim vltra regulares, trahere ex vnius loci tumultuaria lectione, in quo de Epiſcopatu nihil eſt, in partes inauditæ præſumptionis, vt regularis ſtatus Epiſcopali, velut ipſo authore, præferatur? Dignus es cum fallaciis tam rudibus, tam indignis atq; inſulſis, cui Bleſenſis, è loco quem citaſti, voces nunc à nobis, vt tunc ab ipſo regulari illi deprauatori, illidantur, *Ea propter te iam non annumero inter lupos ra-*

Idem ſerm. 42.

Idem in can. Epiſcopali.

Vid. ep. 82. 88. & 90.

Inuect. in deprauat.

paces qui veniunt ſub veſtimentis ouium, ſicut me quoſdam religioſos inſimulaſſe cauſaris, ſed inter pulices mordaces te pono, inter demolientes tineas, inter cynomyias & ciniphes, & muſcas Ægypti grauiſſimas.

SPONGIA.

Secunda pars Cenſuræ authori more ſuo falſum imponit, quaſi innuat obligationes, ad quas ſub pœna peccati, & damnationis Epiſcopus tenetur, non eſſe in ſe poſſibiles. Non hoc dixit, ſed tantum vniuerſim, eum qui ſuſcipit ſtatum, cuius obligationes ſunt ipſi impoſſibiles, non tam perfecto, quàm miſero ſtatu eſſe. Quid dici potuit verius? Quo dicto innuit, vt qui ad Epiſcopatùm aſpirant, apud animum ſuum perpendant quid valeant humeri, quid ferre recuſent, nec debilibus humeris ambiant onus Angelicis formidandum. Nam fieri poſſe vt obligationes in ſe poſſibiles, infirmo, & ad id muneris non vocato, moraliter impoſſibiles ſint, hoc eſt tales quibus vix, & ne vix quidem ſatisfacere poteſt. Hoc autem ſi contingat, næ ille non tam perfecto quàm miſero loco erit. Hoc author innuit, nec aliud innuere voluit. Quis autem negauerit obligationes Epiſcopales poſſe eſſe alicui indocto, & peccatis dedito moraliter impoſſibiles, & ideo talem Epiſcopum non tam perfecto, quàm deplorando ſtatu eſſe? Neque hoc eſt diuinam bonitatem blaſphemare, quaſi impoſſibilia hominibus imperet, ſed hominum ſtultitiam accuſare, qui cæca honorum cupiditate in officia quibus pares non ſunt, ſe ingerunt, vt ſaluari non poſſint niſi dignitatem deſerant.

Digitized by Google

Terga quidem dare tuum eſt, nec tuarũ hæreſum propugnationem ſuſtinere. Mirum tamen terga dãtem duriſſimam ſimul frontem exhibere, & in perſpicuam lucem inuadere. Quod dixiſti *obligationes Epiſcopales moraliter, & in praxi non eſſe poſſibiles*, interpretari audes dictum *de aliquo indocto & peccatis dedito, qui ſe in officium ingerat cui par non ſit*; quaſi indoctis tantum, & peccato deditis impoſſibiles eas diceres. Nec pudet Dei iudicis, conſcientiæ teſtis; imò omnium iam hominum qui Apologiam tuam, vel ſolam propoſitionem inde excerptam legerint. Quæ enim in ea vox, de indoctis tantum & improbis hominibus te loqui innuit? Quæ non audaciam, & effrænem inuerecundiam tuam propalat? Generatim loqueris, abſolutè, planè, de ipſo ſtatu, non de perſonis, de ipſis obligationibus & actionibus moraliter, & in praxi ſpectatis, non de malorũ hominũ ad eas implendas imbecillitate. Denique in Apologia, non modò de peccatoribus & criminoſis nihil habes, ſed omnia quæ ad iſtam Epiſcopaliũ obligationum impoſſibilitatem comprobandã affers exẽpla, piorũ proborumq; hominũ exempla ſunt, nulla improborum. Ipſum enim Pium V. adducis, ſanctæ memoriæ Pontificem, qui diceret *Pontificatũ eſſe impedimentum ſalutis æternæ*, & *quietem ſecuritatemq; conſcientiæ* ſibi auferre. Addis alios, qui etiã dixerint, *tot tamq; graues obligationes Epiſcopis incũbere, vt ſi quis vel tertia earũ parte defungeretur, magnum ſibi faceret nomen ſanctitatis, neq; tamen hac tantũ officij ſui parte defunctus*

Apolog. c. 6 aſſ. 7. n. 34.

gehennã euaderet. Eſtne hoc loqui de improbis ſolũ & peccatoribus, & his ſolis impoſſibiles facere obligationes Epiſcopales? nonne palam eſt te locutũ de ipſo per ſe ſtatu, eiuſq; munia ita impoſſibilia voluiſſe, vt ipſis etiam hominibus ſanctis impedimentum ſalutis æternæ afferant, ſecuritatem conſcientiæ auferant, gehennam ſubeundi neceſſitatem quandam importent, quia vix tertiam eorum partem implere poſſint? Atque adeò te in hoc blaſphemiæ genere ſic dilataſſe os tuum, vt etiam ſummum Pontificatum nominatim peſtilenti halitu afflare, male detorto in nefandum errorem ſanctiſſimi Pontificis teſtimonio volueris? Sic enim, quod toties diximus, quæcumque in Epiſcopalem ſtatum intorques, in Pontificalem recidere neceſſe eſt. Diuelli non poſſunt intimo vinculo à Deo colligatæ dignitates. Blaſphemia igitur & fraudes tuæ *tecum ſint, ſi non in perditionem*, ſaltem in ſeueriorem vltionem, quibus Eccleſiæ capita perdere, & vniuerſum eorum miniſterium ipſis ſanctis hominibus miniſterium gehennæ & damnationis æternæ facere conaris, vt ab iis qui te magis perdere valent quàm tu illos, *tradi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit*, merearis. Malæ enim mentis, non tantum ignorantiæ indicium eſt, quod in tantis flagitiis deprehenſus tergiuerſaris, errorem tegis ac foues, & inſolentibus fallaciis in veritatum numerum aſſerere ſuperbo & ferocienti animo laboras.

Act. 8.

1. Cor. 5.

Denique eadem iſta fraus ampliùs proditur, quia ſi nihil aliud cupiiſti, niſi *Epiſcopalis muneris obligatio-*

Digitized by Google

nes eſſe moraliter impoßibiles indignis hominibus, & ad eas via non directa diuináque graſſantibus, nihil illi ſtatui ſingulare, & non vniuerſis commune dixiſti, nec eo nomine, ſicut facis, cum regulari poſtponere potuiſti. Nam & regularis ſtatus obligationes moraliter impoſſibiles ſunt hominibus impiis, peccato deditis, quos ad eas non vocauit Deus, qui in eum ſe priuato motu, non Spiritu ſancto duce, immiſerunt. Difficile, impoſſibile, extraordinarium eſt, tales tale onus Deo inconſulto aggreſſos, ferre ac perpeti poſſe, vt eximij quique regulares fatentur. Rarò mala rei tantæ initia emendat & ſanat Deus, qui eiuſmodi præpoſteris *non computato ſumptu* ædificatoribus, male iam olim ominatus & minatus eſt. Si quos eorum reducit in viam, rara gratia eſt, nec vulgaris, nec cuiuis ſperanda, vt quotidiani euentus ſatis monent. Si ergo Ieſuita hoc ſolum voluit, ridicule, ſophiſtice argumentatus eſt, nec hac parte regularem ſtatum, aut quemuis alium, præferre potuit Epiſcopali, cùm omnes omnino ſtatus in eo ſint pares, quod ſi quis eos turbide, prauo affectu, non mouente ac ducente Deo ineat, eorum officiis moraliter par eſſe non poſſit, & in magno damnationis æternæ diſcrimine verſetur. *Sine me* enim, inquit, *nihil poteſtis facere*; &, *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*; & ipſe eſt *α*, & *ω*, *principium & finis*. Alia igitur Ieſuitæ mens fuit, nec ſic argumentari potuit, niſi ſe ſtuporis excuſatione defendat.

Luc. 14.

Ioan. 15.
Philip. 2.
Apocal. 21.

Digitized by Google

SPONGIA.

Addo quò præſumptuoſos à periculoſiſſimo vitæ inſtituto ambiendo deterream, dicere ſalutem in eo moraliter impoſſibilem, phraſim eſſe ſacræ ſcripturæ, & ſanctis patribus vſitatam. Saluator vt oſtendat diuites huius ſæculi, quam difficili & inuia ad cœlum via verſentur, dixit facilius eſſe camelum intrare per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. *Quod fuit dicere eſſe moraliter, & apud homines impoſſibile, vt ipſemet totidem verbis explicuit, quamuis abſolutè ſingulari quadam diuinæ gratiæ ope fieri poſſit. Neque aliter* [a] *Cyprianus ſalutem inter occaſiones peccandi, & amittendæ caſtitatis, dixit impoſſibilem:* Incerta, *inquit*, victoria eſt inter hoſtilia tela pugnare, & impoſſibilis liberatio flammis circumdari & non ardere: *quo ſenſu etiam dixit* [b] *Ambroſius: Nos præceptum diligendi inimicos* poſt Euangelium didiciſſe & ſeruare non poſſe. *Poſſem ex patribus huius generis plura; ſed cordato hæc ſatis. Abſit vt Pariſienſes Ariſtarchi S. Cyprianum, S. Ambroſium, imò ipſum Dominum blaſphemiæ arguant; potius diſcant, ſi necdum didicerunt, vſitata phraſi moraliter impoſſibile id dici, quod ſit admodum difficile, quodque ordinariis gratiæ viribus perfici non poſſit, & rarò admodum fiat.*

Luc. 18.

[a] *De ſingularit. Cleric.*

[b] *De Ioſeph c. 1.*

RESPONSIO.

Quò ruis improuidi iudicij artifex? Temet tuo laqueo induis; tuopte indicio quaſi ſorex peris. Vel

enim propoſitio Chriſti, *Facilius eſſe Camelum intrare per foramen acus &c.* eundem quem tua ſenſum habet, vel ſine cauſa profers. Atqui perſpicuum eſt cum Chriſtus dixit *apud homines impoßibile eſſe diuitem intrare in regnum cœlorum*, ſeu eſſe per quam difficile, & moraliter impoſſibile, non id de improbis tantum ſceleratiſque hominibus, ſed etiam de cæteroqui bonis & probis intellexiſſe, vt vel inde patet quod ex occaſione adoleſcentis probi, qui *omnia mandata ſe à iuuentute feciſſe* dixerat, *quem Ieſus intuitus dilexit*, terribilis illa vox prolata eſt. Pauci enim boni ſunt, quos diuitiæ non faciant deteriores, & in perniciem abſtrahant. Malis autem eas eſſe exitio minime mirum eſt, quibus non ſolum prauæ res, aut noxiæ, ſed etiam bonæ & ſalutares, noxiæ fiunt. *Coinquinatis enim & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.* Sententia ergo Chriſti in eo ſingularis, & Apoſtolis horrenda viſa fuit, quod etiam viris bonis diuitias periculoſas & noxias, & ſalutem cum iis moraliter impoſſibilem diceret, ſine gratia nempe eximia, miniméque vulgari, & quæ pauciſſimorum hominum eſt. Similiter Cyprianus, ſi tamen ille liber eius eſt, non dicit *incertam victoriam eſſe inter hoſtilia tela, & impoßibilem liberationem flãmis circumdari & non ardere*, peccatoribus tantùm & iniquis, quibus non tam incerta victoria, quàm certiſſima pernicies eſt; ſed iuſtis ipſis & ſanctis, qui non ſine graui periculo, & difficillima liberatione in mediis hoſtibus & peccatorum inſidiis conuerſantur.

Aug. ſerm. 15. de diuerſ. con. Manich.

Vid. Cypr. ſerm. de lapſis, & de orat. Aug. ho. 13. lib. 50. hom. & Baſil. admonit. ad filium ſpirit.

ſantur. Hæc igitur teſtimonia, quæ rem tritam, nec lippis ipſis ignotam fruſtra probant, & ridiculam Ieſuitæ in rebus vulgatiſſimis peritiam ingerunt, hoc ſolo in rem præſentem valent, quod eius perfidiam ob legentium oculos ipſa eius proditione conſtituunt. Si enim eo modo ab eo dictum eſt obligationes Epiſcopales eſſe moraliter impoſſibiles, quo à Chriſto impoſſibilem eſſe diuitis in cœlum ingreſſum; à Cypriano, impoſſibilem hominis flammis circundati, & inter hoſtilia tela deprehenſi, liberationem; non ſolùm improbis, ſed etiam probis impoſſibiles dixit Epiſcopales obligationes, ſicut Chriſtus ſalutem diuitibus omnibus, Cyprianus ardentibus quibuſcunque liberationem, dixerunt impoſſibilem, ſine ſingulari ſcilicet gratia, quæ quam pauciſſimis cõcedatur. Alioquin diſſimillimas propoſitiones cõnectit, & inepta in ſuam rem præſidia congerit. Hanc fraudium fallaciarumque neceſſitatem ſuperbi animi indocti errores impoſuerũt Ieſuitæ. Incidit per ignorantiam, emergere per ſuperbiam non poteſt, vt det gloriam Deo, & ſimplicem veritatem agnoſcat. *Corrupta autoritate doctrinæ, nullus aut curſus, aut recurſus eſſe ad caſtitatem animi poteſt.* *Aug. li. de mend. c. 19.*

PROPOSITIO 13. Ex cap. 8. n. 2.

IN hoc ſtatus religioſorum videri poteſt multum honoris habere præ ſtatu Epiſcoporum & ſacerdotum, quia horum ſtatus nec eſſentialiter, nec diuina poſitiua lege requirit ſpecialem caſtitatem, præter illam vul-

Digitized by Google

garium Chriſtianorum , vbi ſtatus religioſorum non ſolùm diuina poſitiua lege , ſed etiam eſſentialiter includit profeſſionem Angelicæ puritatis.

CENSVRA.

Iſta propoſitio eſt malitiosè prolata in contemptum cleri ſæcularis , quatenus omittit ſpecialem obligationem, qua tenentur Epiſcopi & ſacerdotes ad ſpecialem caſtitatem ſeruandam , quicquid interim ſit de aliis partibus propoſitionis.

SPONGIA.

Impotentis cenſoris eſt cum nihil habeat in doctrina quod reprehendat , aduerſus animum proferentis, qui ſoli Deo conſtat , ſententiam ferre. Quod negare non poſſunt in laudem religioſi ſtatus verè dici potuiſſe , temerè iudicant non in illius commendationem, ſed in ſæcularis Cleri contemptum dici. Habet is proprias laudes , ideoque ringi non debemus , ſi religioſa inſtituta laudari audiamus. Nec enim religioſi ſtatus veræ laudes ex ſe contemptum Cleri ſæcularis continent. Ioannes Gerſon Pariſiorum Cancellarius , Ioannes Maior ipſorum pugil , dicunt hoc idem quod author, nimirum caſtitatis profeſſionem eſſe de intrinſeca & eſſentiali ratione ſtatus religioſi , non verò ſtatus Epiſcopalis & ſacerdotalis : an hi ſæcularis Cleri contemptores ? At author omiſit dicere Eccleſiaſtica lege ſtatui ſæcularis Cleri votum continentiæ eſſe annexum. Magnum enimverò crimen , ſed audite : Primo ipſi Pariſienſes in indice materiarum Ioannis Gerſonis , quem

Gerſon tom. 2. col. 251. Maior in 4. d. 38. q. 4

concinnarunt , *verbo* votum , *ſic habent :* votum caſtitatis ſacerdotio non eſt eſſentialiter annexum: *hic etiam ipſi omittunt monere ſpecialis obligationis ex Eccleſiaſtica lege : quocirca eiuſdem criminis* (*ſi crimen eſt*) *rei, qua fronte in Danielem lapidem iactant?*

RESPONSIO.

Malas tuo more fundis ineptias. Nec Gerſon, nec Maior tui ſunt. Nuſquam docent votum Caſtitatis regularium eſſe diuinæ inſtitutionis , nec inſolubile , nec penitus eſſentiale ſtatui regulari. Neque verò vllis iſtis nominibus præferunt caſtitatem regularem caſtitati Epiſcoporum aut ſacerdotum. Gerſon illas æquat : Maior autem Eccleſiaſticam caſtitatem, & votum ſacerdotale diuinæ inſtitutionis habet , perpetuæ & penitùs inſolubilis obligationis, ſecùs quàm votum regularis caſtimoniæ, quod laxari poſſe docet. Ideoque tantum abeſt vt caſtitatem magis annectat regulari ſtatui quàm ſacerdotali, quod tu ais, vt eam arctiori, diuiniori, & magis inſolubili vinculo alliget ſacerdotio quàm Monaſticæ religioni. Ex quo ſolitæ tuæ fraudulentiæ & mendacia pateſcunt. Fatetur quidem alicubi Pontificem ſenſu quodam non poſſe ſoluere Monachum voto caſtitatis. Sed hoc non vetari dixit diuina inſtitutione, nec eſſentia regularis ſtatus. Docebitur infra id potiùs ortum generali quadam ſanctione, ſeu conſuetudine Eccleſiæ vniuerſalis. Nihil ergo à Gerſone, nihil à Maiore habes. Non fauent æmulationi iſti & contemptui quo tuũ

ſtatum pręfers ſacerdotali, ideoque Epiſcopali, quaſi minus caſto, minus puro, vt recte notarunt Cenſores, & quaſi nullam caſtitatem vulgari maiorem includenti, cùm ſpecialem obligationem caſtitatis, æquè ſaltem inſolubilem ac regularem, ex perpetua Eccleſiaſtica traditione includat; quod à te fallaciter diſſimulatum eſt, vt regularem caſtitatem Epiſcopali & ſacerdotali puritati ſpecioſiùs & efficaciùs anteferres. Hoc nunquam tibi ſuaſit Gerſon, nec Maior, nec ſcriptor quiſquam idoneus. Nec te iuuat index ille Gerſonis operum quem opponis, magis librorum indices, quàm penetralia conſulere ſuetus. Nam ne illum quidem cum fide referre potes, in quo non habetur, vt ais, *Votum caſtitatis ſacerdotio non eſt eſſentialiter annexum*, ſed, *Votum ſacerdotio non eſt eſſentialiter annexum*. Quod ad aliam quæſtionem pertinere poteſt inter Scholaſticos tritam, nũ ſacerdotij ſuſceptio proprium votum, an obligationem generaliorem includat. Neque ille index inuidioſe comparat regularem ſtatum cum ſacerdotali & Epiſcopali, vt tua propoſitio. Omitto quod Gerſonem & Maiorem falsò cites. Gerſonem citare debuiſti pag. 511. Maiorem q. 14. Ita leuiſſimæ quæuis minutiæ, amplum tuæ falſitati, & iſti dexteræ in ſcriptis omnium generum inquinandis exercitæ, teſtimonium exhibent. Hæc ſatis eſſe poterant futiliſſimæ tuæ Spongiæ exploſioni. Vt tamẽ inſcitia tua, & iniqua præſumptio magis diluceat, pauca ſubdemus repoſita in aliũ locum rei huius vberiori tractatione. Primò generatim inſcitè comparas caſtitatem

regularem cum Epiſcopali & Sacerdotali, quantũcumque illam regulari ſtatui annexam velis. Nam quæcumque in regulari caſtitate dignitas & præſtãtia ineſſe videatur, etiam præ Epiſcopali aut Sacerdotali, tamen Epiſcopalem & Sacerdotalem caſtitatem hoc ſemper longè antecellere neceſſe eſt, quòd ſit alius generis, altioris, ſanctioris, diuinioris ordinis. Regularis caſtitas priuata & ſolitaria, ſterilis & infrugifera eſt, in ſe ſola hæret, in ſe ſola vertitur. Epiſcopalis ſtatus non caſtitatem ſolùm, ſed fœcundam caſtitatem habet, aliarum caſtitatum genitricem, verè *vinum germinans virgines.* Regularis caſtitas formam habet, vel in Prophetis quibuſdam antiquis, vel in Baptiſta Prophetis maiore, vel denique in Angelis Ioanne Prophetis maiore maioribus, Chriſto iudice. Epiſcopalis caſtitas (idemq; de Sacerdotali iudiciũ eſt) formã habet in Eccleſia maiore Angelis, in virgine Deipara maiore Eccleſia, in Chriſto maiore Virgine, in Deo maiore Chriſto, *caput enim Chriſti Deus.* Sicut Deus ita caſtus, ita ſimul virgo eſt, vt generet filium ſine detrimento virginitatis & caſtitatis; Sicut Maria eundem filium virgo & mater genuit; Sicut Chriſtus intemerata fœcunditate videt ſibi *ſemen longæuum*; Sicut Eccleſia *virgo caſta* eſt *deſponſa Chriſto,* & intacta virginitate ſanctam quotidie ſobolem Deo parit, & toto diffundit orbe; Sic Epiſcopi, ſic Sacerdotes caſti & virgines ſunt fœcũda & vberi caſtitate, quia Eccleſiæ fœcunditatem, qua filios procreat, ipſi habẽt & ſuſtinent, & cũ fœcunditate caſtitatem. Vt enim per eos Eccleſia generat,

Zach. 9.
Luc. 7.
1. Cor. 11.
Iſa. 53.
2. Cor. 11.
Aug. ſerm. 8. de temp. in feſt. natiuit. & ſer. 119. qui eſt 3 poſt Dom. palm. &c.

ſic per eos caſta generat, virgo generat. Quare rectè Petrus Damiani: *In alijs certè quibuſcumque perſonis non exigitur fœcunditas caſtitatis: In Epiſcopo autem inutilis eſſe caſtitas iure decernitur, quæ ſe ſic exhibet ſterilem, vt aliam non pariat caſtitatem.* Ad huius generis caſtitatem, quantumcumque creſcat regularis caſtitas, nunquam peruenit; ideoque minoris ordinis, & minor ſemper eſt, & quicquid aliunde habeat, cedere debet faceſque ſubmittere caſtitati Epiſcopali & Sacerdotali, vt altiori, præſtantiori, diuiniori, & ſummis caſtitatis exemplaribus ſimiliori, & tanto aliam quamlibet caſtitatem caſtitate, quanto fœcunditate vincenti. Solis enim Epiſcopis & Sacerdotibus datum eſt, vt quemadmodum ſola Deipara inter mulieres virgo & mater eſt; ita ipſi inter viros ſoli ſint virgines & patres, neque tantæ caſtitatis & virginitatis imaginem niſi in ſolo Chriſto, & æterno Patre habeant, non in Angelis, non in quibuſcumque creatis rebus.

Petr. Dam. l.4. ep.3. ad Cunibertum Epiſc. Taurin.

Atque ita neceſſario fatendum eſt nullum eſſe in vllo humano ſtatu tantum lumen caſtitatis, quantum in Epiſcopali & Sacerdotali ſtatu, cuius caſtitas, ipſa eſt caſtitas & virginitas Eccleſiæ, virginis ſimul & matris. Quam caſtitatem admirabilem & diuiniſſimam infœlices imperitique Ieſuitæ deſpici non vident, dum ei regularem & ſuam caſtitatem anteferunt, quaſi ſuam maiorem & ſanctiorem facere ſtudeant quàm Eccleſiæ ſponſæ Chriſti caſtitatem. Hæc ipſi non vident, nec cogitant, nec ſentiunt: ſola errabundi arbitrij temeritate in ſumma

Chriſtianæ rei myſteria alliduntur. Domine, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.

Non igitur caſtitatis fiducia erigere debuerunt criſtas in Sacerdotes, in Epiſcopos, ſed tanto ſe illis hac ex parte, quanto ex aliis omnibus, inferiores agnoſcere. Nam ne vulgarem quidem & minoris ordinis caſtitatem (vt ab illa maiori, Epiſcopis & Sacerdotibus propria, diſcedamus) tam habent quã Eccleſiaſtici ordines. Primò non habent pari gradu. Epiſcopis enim & Clericis omnibus non ſatis eſt quæuis caſtitas præſens, ſed etiam præterita requiritur, vt ſi virgines non ſint, ſaltem ſint monogami. Nec vlla maior, ſolemnior, antiquior in Eccleſia irregularitas fuit quàm digamiæ, de qua cuncta penè Concilia, & Patres, & ipſæ ſcripturæ [a] commemorant. Quæ digamia non ex matrimoniis ſolùm Chriſtianis, ſed etiam ex ciuilibus ante fidem initis ſemper ſpectata eſt, adeò vt digamiæ irregularitas ne quidem baptiſmo tollatur, quo quæuis crimina eluuntur, vt teſtantur [b] paſſim Patres; tametſi Tertullianus contrarium [c] priuato errore ſenſerit, plura matrimonia Clericis, pauciora laïcis indulgens, quàm par eſſet, in vtroque extremus & voluntarius, remiſſus & durus, magnumque omnibus documentum exhibens, Eccleſiæ myſteria non humanæ viſu rationis, ſed Eccleſiæ ipſius magiſterio expendi debere. Nec tantùm matrimonium duplex polluit Cleri ſanctitatem, ſed etiam ſimplex cum vidua, cum corrupta, imò cum vxore adultera concubitus, vt omnes fatentur. Et, quod magis mirere, quæuis

a 1. Tim. 3. Tit. 1.

b Innoc. I. ep. 2. c. 6.

c Tertul. de Monog. c. 11.

præter vnum coniugium copula, non ſolùm coniugalis,ſed etiam fornicaria, multis olim ſæculis clericali caſtitati repugnauit;adeò vt qui ante baptiſmũ corruptus, poſt baptiſmum clericus eſſe vellet, perpetuæ deinceps caſtitatis ſponſionem edere, & omni penitus coniugio ſeſe abſtinere [a] cogeretur. Tãta habita fuit ab initio Eccleſiæ à SS.Patribus Clericalis ſanctitas, & puritas Eccleſiaſticæ caſtitatis. Quæ omnia regulari caſtitati deſunt. Cui ſatis eſt continentia præſens, quotcumque ſe quis matrimoniis implicuerit, digamus, trigamus, vel vltrà effectus, quotquot ſe adulteriis & flagitiis proluerit. Eſt enim regularis ſtatus, non innocentiæ, ſed pœnitentiæ ſtatus [b] quidam, vt SS.Patres docuerunt; Clericalis autem, non pœnitentiæ, ſed [c] innocentiæ gradus, cui pœnitentiæ ſtatus, niſi Eccleſia diſciplinam remiſiſſet,repugnaret.

Hæc ergo ipſa vulgaris caſtitas, ſine comparatione maior, dignior, purior eſt in Clero, quàm in regulari ſtatu; nec eſt cur illius præſumptione aduerſus Clericos,nedum aduerſus Sacerdotes & Epiſcopos, Moliniſtæ ferociant, ſi ſe, ſi illos noſſent.

Deſcendamus aliquantum adhuc de culmine Eccleſiaſticæ puritatis ; Videamus num in re aliqua minori Regularis ei, vt volunt,caſtitas conferri debeat. Regularem caſtitatem diuinitus inſtitutam aiunt; Epiſcopalem & Sacerdotalem negant. Errant grauiter vaniſſimi homines , & quacumque parte

a *Innocent. I. epiſt. 2. ad Victricium c. 10.* Vetus regula hoc habet, vt quiſquis corruptus baptizatꝰ, Clericus eſſe voluiſſet, ſponderet ſe vxorem non ducere.

b *VIII. Syn. ſub Ioanne 8. can 2. & ref. 7. q. 1. Vid. Bern. ſerm. de tribus ordin. Eccleſ. Hug. Victor. l. 2. de Sacram. par. 3. c. 4. S. Thom. 22. q. 188. a. 3.*

c *1. Tim. 3.* Oportet Epiſcopũ irreprehenſibilẽ eſſe, &c. Diaconos ſimiliter pudicos,&c.nullum crimen habentes. *Item Tit. 1.* Conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi: ſi quis ſine crimine eſt,&c. *Vid. Hieron. ep. 4. ad Ruſticum. Aug. ep. 50. &c.*

impellas,

impellas, labuntur. Quam enim in Euangelio dabũt diuinam regularis ſpeciatim caſtitatis inſtitutionem? Quem Patrem, quod Concilium eiuſmodi inſtitutionis teſtem afferent? Laudatam legimus à Chriſto generatim caſtitatem, commendatam, conſultam; ſed inſtitutum ab eo votum caſtitatis regularis, duobus aliis votis eſſentialiter annexum, nec legimus, nec legerunt Moliniſtæ, nec quantumuis ridiculi eſſe pergant, vnquam legere poterunt. Cur à caſtitate quam Chriſtus laudauit, Epiſcopalem & Sacerdotalem excludunt? Cur contrahunt ad ſolam regularem? Hoc nemo ante ipſos auſus eſt. Nouatores ſunt, vt in aliis, ita in hoc quoque. Nam Chriſtus de caſtitate loquitur, ſeu regulari, ſeu Clericali. Voluntariæ caſtitatis conſilium collaudat: A quo conſilio nemo vnquam ſeiunxit Clericos, qui totius Eccleſiæ iudicio ſequuntur illud prout à Chriſto traditum eſt. Quare faciliùs dabimus antiquitatis teſtes, qui Clericalem caſtitatem ad diuinam inſtitutionem referant, quàm qui nominatim regularem. Sic Petrus Bleſenſis eleganter admodum *Principes terrarum*, inquit, *vxores ſuas Eunuchis ad cuſtodiendũ ſolent tradere: ſic & Dominus ſponſam ſuam Eunuchis tradidit cuſtodiendam. Eunuchos per gratiam & virtutem hic intelligimus, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum.* Et diu ante illum Siricius Papa, *Dominus Ieſus Eccleſiam, cuius ſponſus eſt ſpecioſus forma, caſtitatis voluit ſplendore radiare, &c. Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes atque Leuitæ inſolubili lege conſtrin-*

Pet. Bleſenſ. ſerm. 42.

Siric. ep. 1. ad Him. c. 7. Concil. Agath. c. 9.

Digitized by Google

gimur, vt à die ordinationis noſtræ, ſobrietati ac pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus & corpora. Alia ſimilia paſſim occurrunt, ex quibus hoc ſaltem validè conficimus, ſacrorum ordinum caſtitatem non eſſe Eccleſiaſtici iuris, quaſi ex certo tempore à Pontifice aut Concilio quopiam præceptam; ſed eſſe perpetuæ, Apoſtolicæ & inuiolatæ traditionis, cuius initium ad Apoſtolorum & Chriſti tempora, & ad ipſum nouæ legis exordium referatur. Nam Chriſtum primum nouæ legis Pontificem Apoſtolos primos Euangelij miniſtros, cœlibes elegiſſe, qui vel vxores non habuiſſent, vel cum iis vniuerſa reliquiſſent, tradit Euangelium. Vnde continuo deinceps tenore manauit in omnia Eccleſiæ ſæcula inſolubilis illa lex de miniſtrorum caſtitate; nec aliud eius exordium reperire eſt. Tantam eius antiquitatem, quantam ipſius nouæ legis cernimus. Cum ea pariter hæc puritas nata eſt, aucta, adulta, Euangeliique miniſterio ſtirpitùs quodammodo inoleuit.

Vid. Epiph. hereſ. 48. D. Leon. ep. 87 ad Epiſcopos Africa, &c.

Matth. 27. Vid. Hier. ep 50. ad Pammach. Et l. 1. contra Iouin. c. 14.

Quinetiam ſi altiùs aſcendere libet ad Iudaïcæ legis vetuſtatem; qui in ea miniſtrorum Euangelij forma erant, caſti erant & puri, nec legitimis quidem matrimoniis vti poterant, quamdiu in miniſterij vice verſabantur. Qui vero Regularium gerebant figuram, ſine obice, ſine diſcrimine temporum, indulgebant connubiis, nec vlla ſpeciali lege caſtitatis tenebantur, vt Nazaræi, Rechabitæ, Prophetæ, quorum vix pauculos in-

Exod. 19. 1. Paral. 24. Luc. 1.

Digitized by Google

uenias, quos ab vxoribus vacaſſe conſtet. Ita caſtitatis & Sacerdotij coniunctio antiquior, ſanctior, & confirmatior eſt, quàm caſtitas Regularis, ſeu Euangelium Chriſti, ſeu veteris teſtamenti ſcripturas, veterumque Sacerdotum ſpectes diſciplinam, à qua, vt noui Sacerdotij imagine, paſſim SS. Patres miniſterij Euangelici diſciplinam, iura, officia colligunt, nominatim iſtud de caſtitate & puritate Sacerdotij, quam ideo diuinitus præceptam eſſe non verentur aſſerere, vt facilè vident qui eorum ſcripta voluerunt, & ex ante dictis ſatis patet.

Vid. Cypr. ep 40. 45. 69. &c.
Vid. Siric. Innoc. Epiph. ſupra cit.
Hieron. in c. 1. Tit.
Ambr. lib. 1. offic. c. 50.

Etſi autem hinc colligere nolimus Sacerdotalem caſtitatem eſſe prorſus propriéque diuini iuris & diuinæ præceptionis; Sequitur tamen nec eſſe propriè Eccleſiaſticæ inſtitutionis, eo modo quo antè dictum eſt, ſed perpetuæ inuiolabiliſque traditionis Euangelio ipſi æqualis, à Chriſti, ſi non certa lege, ſaltem exemplo & vſu natæ, diuinis de Sacerdotio veteri conſtitutionibus informatæ: & hoc ſenſu dici à Patribus diuinæ inſtitutionis. Qua parte longè ſuperat & antecellit regulari caſtitati, qua conſtat regularis ſtatus. Hæc enim caſtitas ad Regularis ſtatus eſſentiam adiuncta eſt, non ſolùm Eccleſiaſtica inſtitutione, ſed etiam non ita veteri, cùm eiuſmodi eſſentiam ab initio in Eccleſia fuiſſe non conſtet, nec vllum eius teſtimonium proferri queat. Cœpta eſt eiuſmodi votorum in vnicum ſtatum coniunctio, vel poſitiua Eccleſiæ

lege, vel generali potius conſuetudine & approbatione. Nam eius præceptum non facilè reperient in Euangelio Ieſuitæ, nec in antiqua & perpetua traditione Patrum. Laudarunt quidem, & magni fecerunt caſtitatem, paupertatem, obedientiam Concilia & Patres, ſed nunquam ex eis eſſentiam religionis conflarunt, nec ſine earum triplici voto ſtatum perfectionis ſtare non poſſe dixerunt. Hoc Eccleſia poſtmodum probauit, hoc iis qui regularis vitæ ſtatum, & viam Monaſticæ profeſſionis ingrederentur poſtmodum præcipi voluit. Etſi enim nec diuini iuris, nec eſſentiale, vt aiunt, nec neceſſarium penitus eſt ad aſſequendam perfectionem; vtilitatis tamen, congruentiæ, compendij ad eam plurimum habet, ſi Deo inſtigante ſuſcipias, ideoque talem regularis vitæ normam approbauit Eccleſia.

Hoc modo intelligendum eſt quod vulgò dici ſolet, eſſentiam regularis ſtatus in tribus illis votis ſitam eſſe; eſſentiam videlicet, non diuinitùs inſtitutam, aut penitus neceſſariam & immutabilem, quales ſunt naturalium rerum eſſentiæ, ſed eſſentiam Eccleſiæ voluntate factam, Eccleſiæ poteſtate inductam. Nam ſicut ipſos regularium ordines Diuus Anſelmus, *ordines factitios*: Gerſon, *religiones factitias* vocat; ita earum religionum eſſentiam factitiam, & quaſi artificialem dicere poſſumus, quam nimirum Eccleſia, conuenientiam rei ſecuta, eo modo concinnarit. Hoc igitur vo-

D. Anſelm. lib. ſimilit. cap. 90. & 91. tom. 3. Gerſon tom. 3. lib. de perfect. ſect. 3. & 4.

Digitized by Google

luntarium & liberum Eccleſiæ eſt. Sic religiones inſtituit; aliter inſtituere potuit, vt vel aliquo trium votorum obedientię, caſtitatis, paupertatis carerent, quales olim Rechabitæ; vel ſimul omnibus, quales Nazaræi. Hæc Eccleſiæ eſt poteſtas, nec ei temerè adimi debet, ſine perſpicua ſolidáque autoritate, qualis nulla dabitur. Vnde ipſe Suarez agnoſcit religionis ſtatum abſolutè ſine caſtitatis profeſſione poſſe conſiſtere; & caſtitatem non adeo eſſe illi eſſentialem, quin religioſus inire matrimonium, prolem ſuſcipere poſſit, indulgente Pontifice, ſalua etiam eſſentia religionis. Hoc tantum inter eum & nos intereſt, quod ille etſi tunc religionis eſſentiam ſaluam fore fateatur, aliquid tamen eius integritati & perfectioni defuturum eſſe putet. Nos, dempta Eccleſiæ lege, quæ naturam regularis ſtatus ita cõpoſuit, nihil videmus cur etiam perfecta & integra religio ſtare non poſſit, ſine voto caſtitatis, quod ipſe ad abſolutam eſſentiam religionis non neceſſarium agnoſcit. Si enim religio nihil aliud eſt niſi ſtatus, ſeu via perfectionis, vt aiunt; nulla ratio eſt cur per alia vota, vel per votum paupertatis iũctum omnibus chriſtianæ vitæ legibus, ad perfectionem iri & perueniri non poſſit; & cur is ſtatus non dici debeat ſtatus ſeu via perfectionis. Sic enim Chriſtus nihil illi diuitiis implicito adoleſcenti ſupra mandatorum obſeruationem propoſuit *ſi perfectus eſſe vellet*, quàm vt omnibus venditis ſe ſequeretur. An is adoleſcens, ſi Chriſti conſilio paruiſſet, non erat futurus in via perfectionis, etiam ſine ſpeciali voto

Suarez to. 3. de relig. l. 2. c. 2. & l. 9. c. 26.

Matt. 19.

caſtitatis aut obedientiæ maioris quàm quæ ipſi vt Eccleſiæ præpoſito debebatur, ac deinceps vicariis eius? Nefas profectò eſſet id negare, & Chriſti voci manifeſtè repugnaret, qui ei ad viam ſtatumque perfectionis hoc vnum indixit.

Præterea primum fidelium cœtum, qui venditis poſſeſſionibus communem vitam ſub Apoſtolorũ ductu agebant, quis dubitet fuiſſe in via perfectionis? Hanc enim illorum vitam ſancti patres formam ponunt & exemplar monaſticorum inſtitutorum quæ deinceps extitere, & in ea perfectiſſimi ſtatus præſtantium fuiſſe ſupponunt. Ac Petrus Bleſenſis ad iſtud exemplar dimetiens regularem ſtatum, eius ſubſtantiam collocat *in charitate fraterna, in communi ſubſtantia, in communi obedientia. Quæ tria*, inquit, *caput ſunt monaſticæ religionis.* Caſtitatem omittit, quia eam non reperit in primo illo cœtu, à quo tamen regularis ſtatus perfectionem repetendam eſſe ait. Diuus autem Bernardus ſtatus regularis naturam expendens, eam ex duobus præcipuis componit, *ſubiectione Abbati, & ſtabilitate in loco*, ne videlicet proprium monaſterium deſeratur, vt in aliud tranſgreſſio fiat. Imò addit, *in profeſſione regulari ſic promitti ſtabilitatem, vt de ſubiectione Abbati exhibenda nulla penitus mentio fiat*; vt doceat, etſi in monaſteriis ſumma obedientiæ cura eſſet, tamen eius expreſſum votum non conſueuiſſe fieri à ſuis ordinis regularibus. Non quin obedientiam quoq, ſponderent; docet enim eam fuiſſe promiſſam, *Tu profeſſus ſecundum regulam ſancti Benedicti promiſiſti*

Act. 4. Vid. Athan. in vita S. Antonij. Baſil. ſerm. 1. de inſtit. Monach. Aug. ſerm. 1. de cõmuni vita Cleric. Concil. Aquiſg. ſub Ludouic. & Pet. Bleſen. ſerm. 4. & ſerm. 50. Bernar. ep. 7. ad Adam Monachum.

Digitized by Google

obedientiam, promiſiſti & ſtabilitatem; ſed quia ſpeciale votum obedientiæ non fieret plus quam cæterarum obſeruantiarũ religionis, ſed generale tantùm, quatenus & obedientia vnum eorum erat quæ regula præciperet. Innuit enim promitti generatim conſueuiſſe regulæ monaſterij ſtabilem obſeruantiam: *Vniuerſaliter,* inquit, *præcipitur, & nemo excipitur, vt omnes ſcilicet per omnia magiſtram ſequantur regulam, nec ab ea temere deuietur à quoquam*, vnde patet Bernardum nihil aliud in regularis ſtatus natura conſtituere, niſi regulæ cuiuſque inſtituti ac monaſterij, qualiscumque ea ſit, obſeruationem; nec magis in eam eſſentialiter obedientiam aut caſtitatem, quàm alia quæuis præcepta regulæ includere. Quod idem ex pluribus eius locis [a] colligitur. Nec deſunt expri- mis Eccleſiæ ſæculis cõplures, qui abdicata tãtũ bonorũ poſſeſſione, & diſtracta in egenos, chriſtianæ & monaſticæ vitæ perfectionẽ à ſanctis patrib. iniiſſe dicantur, [b] etſi nullum, quod conſtet, caſtitatis votum ſuſcepiſſent, vt alibi commodius declarabitur.

Ibid.

a Vid. ſerm. 2. in Cœna Dom. & ſerm. de tribus ord. Eccleſ.

b Paulin. ep 2. ad Seuerũ, quæ eſt de perf. Aug. ep 235. ad Albinũ.

Nec refert quod talis vitæ ſtatus non videatur complecti omnia conſilia. Nam ſi nullus dicendus eſt ſtatus perfectionis, niſi qui omnia conſilia complectatur, ne quidem regularis trium votorum ſtatus erit ſtatus perfectionis, nec perfecta & completa religio, cùm palam ſit regulares non omnibus conſiliis per ea vota [c] obligari, adeoque non omnia conſilia in eorum votorum profeſſione includi. Nam eos qui ſuis ſe manibus alunt, perfectiores & excellentiores habet [d] Auguſtinus iis qui diuitum

c Vid. S. Th. 22. q. 186. a. 2.

d S. Aug. ep. 89.

Digitized by Google

religioſis obſequiis ſuſtentantur, ſicut eos qui omnia dimiſerunt, iis qui diuitias poſſident. Petrus autem Damiani Cœnobitas negat [a] perfectionem habere, quam ſolis Eremitis, humanum quoque conuictum dimittentibus vt Deo toti vacent, concedit. *Cœnobitarum regula*, inquit, *perfectionem ſe non habere perhibet, ſed volentem perfici ad eremi inſtituta patenter tranſmittit.* Et infra, *Fratres in monaſterio immobiliter permanentes tolerandi ſunt: ad eremum verò feruidò ſpiritu tranſmigrantes, plauſibus ac præconiis efferendi.* Si ergo dixeris omnia conſilia ad illa tria vota redigi, vt interdum reſponderi ſolet; Reſpondeo vel id falſum eſſe ex ſenſu Patrum; eadem opera omnia redigi poſſe non ad illa tria tantum, ſed ad vnum quoduis, vt ad ſolum paupertatis. Omnia enim quodammodo latent in vera & chriſtiana paupertate, quæ non corporis tantum, ſed præcipuè [b] animi eſt. Vnde Chriſtus *beatos* dixit [c] *pauperes ſpiritu:* & in hac paupertate imprimis humilitas continetur, quam virtutum omnium matrem nemo non veterum [d] appellauit; ſicut contrà in diuitiis viget in primis fiducia & ſuperbia animi, propterquam Apoſtolus [e] Timotheum monet, *diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublimè ſapere.* Sicut [f] *initium omnis peccati ſuperbia; ita* [g] *radix malorum omnium eſt cupiditas;* quam ideo quiſquis amputat, radicem ſcelerum malorumque omnium elidit, [h] & omnia virtutum impedimenta virtualiter amouet, ſi nimirum vera & Chriſtiana paupertas chriſtiano & vere paupere animo ſuſcipiatur. Idẽ dic de cæteris votis

quibus

[a] *Pet. Dam. lib. 6. ep. 12.*

[b] *Auguſt. in Pſal. 51. pulcherrimè.*

[c] Mat. 5.

[d] *Vid. Aug. epiſt. 56. ad Dioſcorum &c.*

[e] 1. *Tim.* 6.

[f] *Eccl.* 10.

[g] 1. *Tim* 6. *Aug ſerm. 5. de verb. Dom. c. 9.*

Vermis diuitiarũ ſuperbia.

Idem lib. 50. ho. 13. homil.

[h] *Ambroſ. orat. de obitu Sat. frat. circa fin* Quod ſi radix malorum omnium auaritia eſt, vtique vitia exuit qui pecuniam non requirit.

quibus ſingula [a] cõſilia amplectimur. Nullum enim horum eſt ad quod non omnia eodem fere modo reducas. Nam virtutes Chriſtianæ [b] indiuiduæ quodammodo ſunt, quando perfectæ ſunt, & Dei ad inſtar, cuius ſunt radij, totæ ſunt in totis, & totæ in ſingulis eorum. Qui vnam purè ac perfectè colit, omnes colit; qui tendit ad vnam, progreditur ad omnes; [c] & ſi illam aſſequetur, omnes aſſequatur neceſſe eſt. Sunt enim indiuulſæ à charitate, à qua vel ſimul omnes manant, vel cum ea ſimul omnes [d] infunduntur. Sicut Deus vnus eſt, [e] vnus ſpiritus, & omnes inter ſe fideles vnus ſpiritus [f] & vnum corpus; ita multo magis omnes inter ſe virtutes, ſi nimirum perfectum ſtatum, & eum quem Deus poſtulat, obtineant. Omnes enim ad vnum ſpiritum rediguntur, [g] & ad eum poſſeſſores ſuos redigunt. Cunctæ mutuum ſibi decus, & mutuam præſtant opem, & mutuo identidem auxilio egent, proüt alio atque alio pugnę genere ab aduerſario inuaduntur. In quem niſi omni ex parte paratæ ſint & communitæ, fragiles & ſuperabiles ſunt, nec diu repugnare valent. Rectè igitur qui vnam ſuſcipit, ſuſcipit quadantenus vniuerſas; & qui ad vnam per vnũ conſilium graditur, omnes & omnia conſilia quodammodo complecti, & in via ſtatúque perfectionis eſſe dicitur. Neque quicquam deeſt eiuſmodi ſtatui quominus religioſus ſtatus, & ſtatus perfectionis verè dicatur, quàm vt probetur ab Eccleſia, & à ſummo Pontifice illo honore dignetur, eo modo quo trium votorum ſtatus dignatus eſt. Tria

a Vid. Aug. l. de bono coniug. c. 23.
b Vid. Aug. l. 4. con. Iul. c. 3. & epiſt. 29. late. Bern. ſerm. 1. de annũtiat. & pulchre lib. 1. de conſid. ad Eugen. c. 6. & 7. &c.
c Greg. Nazianz. orat. 33. &c.
d Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.
e Ioan. 17. 1. Cor. 6.
f 1. Cor. 12.
g Vid. Dion. de Eccleſ. Hier. c. 6. Epheſ. 6.

enim illa vota ante approbationem Pontificis regularem ſtatum non conflare, in confeſſo eſt. Vt etiam hinc pateat totum eiuſmodi ſtatum & illius eſſentiam iuris eſſe Eccleſiaſtici & Pontificiæ voluntatis. Sicut Eccleſia nuper approbauit nouum genus religionis, qua votum paupertatis & caſtitatis non dirimit matrimonium, nec proprietatem excludit; cuiuſmodi votiuam religionem non viderat Eccleſia, nec vllo ſæculo audierat, quicquid ad tegendam illius nouitatem ex Patribus congerant Suarez & Vaſquez, quorum omnia ad vnum exempla & teſtimonia falſa ſunt, & ſi quis tueri volet, falſitatis ſine magno negotio conuincentur; ita nihil eſt cur negari debeat eandem quæ hoc potuit, licet prioribus ætatibus inauditum, aliquid poſſe amplius, etſi inuſitatum etiam & inſolens; imò ſatis vſitatum, cùm iam extent religiones militares, in quibus matrimonia conceduntur.

Hæc omnia abunde probant quod diximus, caſtitatem non magis in ſtatu religioſo includi, quàm in ſacerdotali aut Epiſcopali, nec eſſe diuini iuris, nec de eſſentia regularis ſtatus, ſi eſſentiæ nomine rem penitus neceſſariam & immutabilem intelligas. Sed eam eſſentiam ab Eccleſia manaſſe, voluntariam eſſe; factitiam, conſuetudinariam, & ab eadem quæ compegit, facilè diuelli poſſe.

Sed dicas ſacerdotem voto caſtitatis abſolutum, eſſe tamen ſacerdotem; monachum autem ſublata caſtitate, iam non eſſe monachum. Reſpon-

Digitized by Google

deo, quod ſacerdotium ſoluto voto caſtitatis remaneat, inde fit quia ſacerdotalis character eſt diuina res, intima, ſpiritualis, ſoli Deo ſubiecta, ab eo ſolo non ab Eccleſia delebilis, ſicut ab ea deleri & tolli poteſt, non vnicum ſolum votum, ſed tota ſimul eſſentia monachatus. Vnde hac ex parte regularis ſtatus ſacerdotali poſtponendus eſt, vtpote res minor, humanior, mobilior, Eccleſiæ poteſtati ſubiectior. Quod enim vno voto dempto monachatus ſolet deſinere, naſcitur ab Eccleſię voluntate, quæ monachos ſeu regulares paſſim non habet niſi triplici voto innexos. Si hominem ſublato voto caſtitatis, aliis votis obſtrictum manere, & regularem haberi vellet, is procul dubio verè propriéque regularis eſſet, nec caſtitate adempta monachatus tolleretur, vt Suarem ſupra confitentem audiuimus.

Cæterùm ſicut Eccleſia monachum cui caſtitatem remittit toto ſimul ſoluit monachatu; ita ſacerdotem, quem caſtitatis voto liberat, toto ſimul, quâtum poteſt, exuit ſacerdotio, nec amplius ſacerdotẽ agnoſcit, nec quicquam ei ſacerdotale indulget, iubet eſſe laïcum quaſi ſacerdos nunquam fuiſſet. Cuius tamen rei exempla quàm rariſſima à tot iam ſæculis accepimus. Nam Eccleſia, quæ ſacerdotiũ pluris facit quàm regularem ſtatum, non magis illi quâ huic caſtitatis decus eripi patitur, cũ præcipuè ſacerdotalis caſtitas, quod initio diximus, nõ ab Eccleſiæ, ſed à Chriſti ipſius autoritate, nõ tã verbo quã facto ſancita, & irrefragabili dehinc omniũ ſæculorũ vſu confirmata, initiũ deduxerit; Regularis verò caſtitas

Digitized by Google

tota ſit ab Eccleſiæ inſtituto & voluntate, ſicut item expoſitũ eſt. Imò tanto faciliùs extinguitur ſacerdotalis dignitas, quàm regularis ſtatus, ſimulatque caſtitas deficit, vt non ſolum deletio vinculi caſtitatis, ſed quælibet eius infractio perimat ſacerdotium, & illud homini ex antiquo [a] Eccleſiaſticæ diſciplinæ iure auferat, ſecus quàm Monaſticum ſtatum, qui nullis magis conuenit quàm lapſis & facinoroſis, quibus ideo à Patribus ſæpiſſime [b] pœnæ loco imponitur. Eſt enim pœnitentiæ ſtatus, vt ante diximus, non puræ integræque virtutis. Atque hæc ſatis eſſe opinor confutandæ interim Ieſuiticæ elationi, & vindicandæ Epiſcopalis & ſacerdotalis dignitatis ſupra omnes Eccleſiæ ſtatus ampliſſimæ & diuiniſſimæ puritati.

[a] *Conc. Ancyr. can. 10. Concil. Neocæſ. c. 1. Conc. Elib. c. 33. &c.*

[b] *Vid. Conc. Tolet. 8. c. 5. Cabilon. 2. c. 40. &c.*

SPONGIA.

Deinde author ſtatum religioſum contulit cum ſtatu ſacerdotali vniuerſim, & dicere verè non potuit voto continentiæ vniuerſum Eccleſiæ Clerum obligari. Græci enim ſacerdotes, etiam qui Catholici, vxorati eſſe poſſunt, & ab annis iam nongentis fuerunt. Deinde Latinum Clerum obligari ad continentiam, ſeu continentiæ votum, quamuis diſertè non dixit, tamen apertiſſimè inſinuauit his verbis illo ipſo loco: Eccleſiæ Græcæ ſacerdotes coniugati ſunt, & in Latina eſſe poſſent, ſine diuinæ legis violatione: *ſatis innuit rem alioqui notiſſimam, Latinos ſacerdotes Eccleſiaſtica lege ad continentiam obligari. Certè ſi tam clare innuiſſet aliquid quod ipſis nota dignum videretur, eum Cenſura notare non omiſiſſent. Quid autem*

Digitized by Google

mali aut periculi ex eo quod hoc apertius non dixit? Tot tantaſque aquilas in muſca adeo minutula captanda occupari! O homines otioſos & captioſos!

RESPONSIO.

Tu verò *captioſus* quidem eſſe conatus es hæc ſcribens, ſed *otioſus* non fuiſti. Nec temporis, nec æquanimitatis otium tibi fuit. Præcipiti & Cenſuræ æſtro feruida mente ruiſti in præproperam ſpongiarum conſarcinationem. Eo calore & motu errata fudiſti, non *muſcarum* tenuitati ſimilia, ſed craſſitiæ elephantorum. Fraudes commentus es, nõn *Aquilarum* dignas oculis, quarum nomine Cenſores nunc exornas, ſed vel *bubonum* hebetudini, quibus eos toties comparare dignatus es, conſpicabiles. Quid enim tuis leporibus nos obtundis, homo illepidiſſime, fallendique tam inſcie, quàm auide, dum ais te *dicere non potuiſſe voto continentiæ vniuerſum Eccleſiæ Clerum obligari*; propter Sacerdotes Græcos? Vbi enim in propoſitione tua mentio *vniuerſi Eccleſiæ Cleri*? Vnde tibi iſta vniuerſitas in mẽtem? Nempe vt in vniuerſa Cleri multitudine, quaſi prædo in ſilua lateas, & captores non captioſos malè captioſus effugias. Non tu de vniuerſo Clero, ſed de ſolis nominatim Epiſcopis & Sacerdotibus locutus es. Lege tua verba, ſi tibi mens quò ſolet abiit. Cenſores porrò contemptum à te Clerum dixerunt, quia Cleri capita & primarios ordines contempſiſti, Epiſcopalem & Sacerdotalem, quibus detracta puritate, cæteris inferioribus retinendæ il-

lius nulla ſpes ſupereſt. Eſto verò ne dixeris Sacerdotali toti ſtatui annexum continentiæ votum, propter Sacerdotes Græcos. Quare negaſti idem annexum ſtatui Epiſcopali? An propter Græcos Epiſcopos? O te & veritatum & fallaciarum imperitum! bona malaque ignorantia præditum! imò vtraque mala; quia quod fallere neſcis, non bonitatis fructus, ſed malitiæ ſterilitas eſt. Non ergo diſſimulare debuiſti generalem ſtatus Epiſcopalis caſtimoniam; adeoque ſimulare nihil in eo eſſe ſupra vulgus Chriſtianum. Scire debuiſti quanta in eo præcellentia caſtitatis, etiam ſupra regularem ſtatum, ſicut ante oſtenſum eſt, à prima eius inſtitutione innatum, & omni tempore innexum fuit. Quod autem ais te *Latinum Clerum obligari ad continentiam, quamuis diſertè non dixeris, tamen apertiſſimè inſinuaſſe his verbis, Eccleſiæ Græcæ Sacerdotes coniugati ſunt, & in Latina eſſe poſſent ſine diuinæ legis violatione.* Primò inſinuationem iſtam nemo dicet apertiſſimam, niſi tu, qui ſicut noctuæ, clara luce nihil, in tenebris omnia vides. Etſi enim vtcumque illud naſutioribus innuiſſes, tamen hoc ipſum meritò reprehendi debuit quod apud populum res apertiſſimas non ſemper capientem, id quod ad laudem Cleri pertinere arbitratus es, de induſtria obſcuraſti, quo minus percipi poſſet; id autem quo Regulares immeritò ſuperiores facere voluiſti, planiſſimè & magnificentiſſimè dilataris. Hoc ſine mala fraude fieri non potuit, nec ſine nota præteriri debuit. Deinde fraudem multo apertiorem verſionis Apologiæ ipſe prodis. Quod

Vid. Concil. Trull. c. 12.

Digitized by Google

enim fateris *te diſertè non dixiſſe*, in ea diſertè legitur his verbis: *Idemque à Sacerdotibus Latinis fieri poſſet, niſi lex Eccleſiaſtica obſtaret.* Boni ſcilicet ſocij dum tuas emaculare cupiunt mendas, ſuas inſpergunt, fraudes fraudibus, mendacia mendaciis corrigentes, teque in eo quod vltro fateris, etiam inuitum ſua perfidia abſoluere geſtientes.

Nec te Sacerdotum Græcorum ratio morari debuit, ne caſtitatis honorem Sacerdotali ordini generatim tribueres. Conſtat quippe illum Sacerdotum Græcorum non vſum, ſed abuſum eſſe, à Pſeudoſynodo ſchiſmatica natum, ab Eccleſia inuita & fruſtra toties repugnante, toleratum magis quàm probatum; ſicut in religionibus à primæua ſeueritate collapſis, nimia remiſſio & regularis vitæ reſolutio, quæ facilè recolligi & reſtaurari non poteſt, Eccleſia gemente magis quàm approbante perfertur. Abuſio illa Græcorum perpetuæ & clariſſimæ Eccleſiæ traditioni repugnat; neque minus à Patribus Græcis quàm à Latinis damnatur. Vnde nō magis eius ratio haberi debuit, quàm licentioris vitæ, quæ in pleriſque veterum ordinum cœnobiis inoleuit. In hoc ergo perfide oppugnas Sacerdotium, & hominum vitio ſtatum ſanctiſſimum immeritò dedecoras. Nos vero vt te vel in tuis latibulis opprimamus, iſto ipſo Græcorum exemplo, quo Sacerdotiū deiicere paras, illud non operosè ſubleuabimus, & veritate duce efferemus? Nam ſi Sacerdotium Grçcorum præcedentia matrimonia non diſſoluat, nec ea diſſoluunt religionum profeſſiones. Nam con-

Synod. Trul. c. 13.

Vid. Concil. Nicæn. can. 3. Chryſoſt. hom. 33. in Gen. Syneſ. ep. 105. ad fratrē, &c. Hieron in Vigil. c. 1. &c.

ſummata matrimonia non magis regulari profeſſione, quàm Sacerdotio diſſolui notum eſt. Hac ergo ex parte nihil habet Monachatus quo Sacerdotium ſuperet. Quod autem vſum matrimonij poſt Sacerdotium retineant Sacerdotes Græci poſteriores, attendi, vt diximus, non debet, quia abuſio eſt, perpetuæ traditioni obluctans, ab Eccleſia inuita & dolente tolerata, vt hæreticis hoc eodem argumento Sacerdotalem caſtitatem oppugnantibus ſæpè reſponderunt Catholici, nunquam fore ſperantes vt Ieſuitis eorum in Eccleſiæ doctrinam arma ſumentibus, eodem reſponſo occurrendum eſſet. Similis calamitas religioſo ſtatui accidere potuit, qui non ideo periſſet. Nec enim Monachus contracto & conſummato ante profeſſionem matrimonio, poſt profeſſionem vtens, ideo Monachus eſſe deſinit. Nam & hoc ipſum ei concedi poſſe, indulgentia Pontificis, ſalua nihilominus regularis ſtatus eſſentia, Suarez authore ſupra diximus. Par igitur in hoc quoque regularis ſtatus Sacerdotio, non ſuperior, non caſtior, aut purior eſt. Porrò autem Sacerdotium in hoc longè ſuperat regularem caſtitatem, quia Sacerdotalis caſtitas in Græcia ipſa dirimit ſaltem ſequentia [a] poſt Sacerdotium coniugia: Nec vllum in Eccleſia à Sacerdotio inſtituto tempus fuit, quo Sacerdotum matrimoniū ratum [b] fuerit habitum. At Scholaſtici, in primis Ieſuitæ, docent, matrimonium ſequens non dirimi regulari voto per ſe, & hoc ei acceſſiſſe ab Eccleſiæ non ita antiqua lege. Imò Ieſuitæ agnoſcunt ſuum ſimplex votum

a Vid. Ierem. Patriarch. reſp. 1. ad Germ. c. 21.
b Baſil. ep. 1. ad Amphiloch. c. 6. &c.

votum caſtitatis non irritaſſe matrimonia Ieſuitarũ, donec ea vis ei conferretur ſingulari priuilegio Gregorij XIII. vt ſcandala Societatis tollerentur: ſicut etiamnum ſimplici ſuo paupertatis voto proprietatem ſibi & dominium non eripi volunt. Miro enim religionis temperamento ſtringi ſibi caſtitatis votum, non paupertatis, optarunt; quia illud ſuæ ſocietatis famæ vtile, hoc commodis inutile opinati ſunt. Fateantur ergo maiorem ſemper fuiſſe caſtitatis cum Sacerdotio, quàm cum regulari ſtatu coniunctionem, maiorem Sacerdotij quàm regularis ſtatus à matrimonio, tum antecedente, tum ſubſequente diſcrepantiam; cùm repugnantiæ quæ Sacerdotio ineſt nullum initium extet, niſi ipſum nouæ legis & totius Eccleſiæ. Repugnantia verò regularis generatim ſtatus noua, Ieſuitici ſpeciatim nouiſſima ſit, & ſolo Eccleſiæ munere nuper indulta. Hæc cogitent & tumorem deiiciant Moliniſtæ, quibus minimè omnium licuit Sacerdotalem & Epiſcopalem ſtatũ pudicitiæ nomine laceſſere. Nulli enim regulares ſunt tenuiori caſtitate, nulli remiſſiùs ei hærent, nulli faciliùs ab ea diſcedunt, vtcumque ſuperior innuit, penè ipſi volunt, & volatica leuitate nupturiunt. Ac fortaſſe hunc ipſum Spongiæ textorem aliquando ſponſum, & iterum ſæpiuſque maritum videre licebit, niſi fortè ſit Sacerdos, & arctiore Sacerdotij quàm regularis ſuæ caſtitatis vinculo comprimatur. Ieſuiticus enim ſtatus id non vetare dicitur, vetat Sacerdotalis, adeoq; ipſa experientia Sacerdotali puritati Ieſuita inuito caſtimoniæ palmam vindicabit.

TITVLVS QVINTVS.

DE EPISCOPO CHALCEDONENSI.

PROPOSITIO PRIMA.

Ex cap. vlt. n. 4.

SI Catholici huic motioni concederent (ſcilicet recipiendi Epiſcopum Chalcedonenſem, tanquam Paſtorem & Epiſcopum ſuum proprium) quomodo poſſunt ſe excuſare ne ſint digni illius reprehenſionis quam Corinthij à ſancto Paulo audierunt, nempe quod præcipitanter & indiſcretè poſuerunt ſe in ſubiectionem, bona ſua temporalia impenderunt, propter quæ nullam remunerationem expectabunt à Deo, tamquam exercentes humilitatem, obedientiam, patientiam, quibus nulla iuſtitiæ corona præparatur. Imò poſſunt per cæcam acceptationem exponere ſemetipſos manifeſto periculo cadendi in graue peccatum & diuiſionem à ſucceſſore Petri, accipiendo Paſtores & gubernatores contra ipſius ordinem.

CENSVRA.

Iſta propoſitio quatenus negat Epiſcopum à ſancta Sede delegatum recipiendum eſſe ſicut reciperetur proprius Epiſcopus, falſa eſt, & in contemptum ſummi Pontificis delegantis temerariè aſſerta. Quatenus verò aſſerit Catholicos talem Epiſcopum recipientes dignos eſſe ea reprehenſione præcipitatæ & indiſcretæ ſubiectionis, quam Corinthij à S. Pau-

lo audierunt: Falſa item eſt, maligna, iniurioſè comparans Epiſcopum à ſummo Pontifice delegatum cum Pſeudo-apoſtolis, quos eo loci notat Apoſtolus: Et inquantum dicit propter bona temporalia eiuſmodi Epiſcopo impenſa, necnon propter obedientiam ei præſtitam, Catholicos nullam remunerationem expectare poſſe à Deo, nullamque eiuſmodi bonis operibus iuſtitiæ coronam præparatam eſſe, eſt hæretica. Denique quatenus cæcam vocat acceptationem talis Epiſcopi, & ait acceptantes exponere ſe periculo peccati, & diuiſionis à ſucceſſore Petri, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, viam inobedientiæ ſternit, & in errorem inducit..

SPONGIA.

Hic Cenſores in authorem quadriga inuehunt, nimirum cenſura quam quadruplici accuſatione rotant, hoc eſt, quatuor rotundis mendaciis, à collectore ſeu interprete fabrefactis. Primum, ex quo reliqua pendent, hoc eſt, Authorem negare delegatum à ſummo Pontifice recipiendũ eſſe ſicut reciperetur proprius Epiſcopus; imò iſtiuſmodi receptionem fore indiſcretæ & præcipitatæ ſubiectionis nota dignam. En Gigantæum mendacium! en monſtrum à collectore fictum, in quo debellando Richeriſtæ heroës triumphent! author nihil tale dixit vnquam, nec quid tale factum, ipſe Reuerendiſſimus Chalcedonenſis fatetur, & agnoſcit ſe initio ſumma reuerentia à regularibus, & à Catholicis qui Regularibus adhærent, exceptum tanquam ſummi Pontificis delegatum: abhorrere autem ab ipſo Catholicos non ante cœpiſſe, quàm ipſe ſe

ordinarium diceret, regulareſque à ſe pro confeſſionibus approbandos. Audiamus Chalcedonenſem, vt ipſius teſtimonio calumnia reuincatur. Catholici (*inquit*) qui vobis (*regulares alloquitur*) adhærent, initio Epiſcopum Chalcedonenſem inuitabant amiciſſime, & cum reuerentia excipiebant, antequam de vobis approbandis agere cœpit. Hinc illæ lacrimæ: *Enimverò exactio iuris vos approbandi, hæc illum reddidit terribilem & odioſum. Reuerendiſſimus Dominus fatetur, primò nullam fuiſſe in Regularibus, vel laicis Catholicis qui ipſis adhærent, moram; ipſum vt delegatum libentiſſimis animis admiſiſſe cum reuerentia qua par eſt accipi ab Epiſcoporum Epiſcopo miſſum. Secundo, ſe arrogando titulum & munus Ordinarij, & exigendo ius approbandi (quod eius factum Pontifex improbauit) ſeipſum reddidiſſe Catholicis odioſum.*

Responsio.

Verè in Cenſores inueheris, velut deſultorius in quadrigam, leuiſſimus vero in conſtantem & grauiſſimam veritatem. Quadrifidum illius fulmen eſt, quod tu quadruplex mendacium vocare audes, quodque non tam quadruplici mendacio, quàm quadruplici ſtupiditate excipiet, homo in fingendo & mentiendo totus teres atque rotundus, totus Gigantæus non viribus, ſed craſſitie & vaſtitate; quamuis ſimul, quod miraculi inſtar eſt, leuiſſima friuolaque ſis Spongia. Obruatur ergo ſpongioſus iſte Gigas conuerſa in caput eius

ipſa illa ſtoliditatis mole quam in altiſſimam Cenſuræ veritatem aggerare conatur. Quid enim imbellius & inſulſius, quàm probare Danielem non negaſſe *Epiſcopum à ſummo Pontifice delegatum, recipiendum eſſe, ſicut reciperetur proprius Epiſcopus*, quia regulares, & fauentes eis Catholici, eum aliàs ſumma reuerentia exceperunt? Iſto pacto mendacij quoque Apoſtolum argues dum Galatarum inobedientiam increpat, quia fatetur ſe olim ab iis fuiſſe *exceptum ſicut Angelum Dei, ſicut Chriſtum Ieſum*, teſtimonium iis perhibens quia ſi fieri poſſet oculos ſuos eruiſſent & dediſſent ei. Quis neſcit humani ingenij mobilitatem, præcipuè in deterius? *Quanti enim ad malum reformantur? quanti transfugæ in peruerſum?* Bellum nempe Ieſuitici ingenij acumen affers. Bello ſufflamine Cenſuræ quadrigam moraris. Apoſtolus ob hoc ipſum Galatas acriùs increpat, quia cùm initio tantum ſibi amoris & ſtudij præbuiſſent, poſt modum prauorum hominum artibus *faſcinati*, à priore obedientia defluxerant, & poſtquam *cœperant ſpiritu, carne* denique *conſummabantur.* Similiter Epiſcopo Chalcedonenſi illud in primis, pro ſua in gregem Anglicanum charitate dolendum eſt, quod Catholici quidam, qui eum debita reuerentia, & obſequentiſſimis animis initio ſuſceperant, fallacium autorum conſiliis, ſola eorum commoda gloriamque ſpectantibus, ab eo quod piè cœperant ſint abducti. Teſtatur enim hic locus, quem mirabili cæcitate, diuinóque iudicio, Ieſuita pro ſe adducit, diſceſſionis Catholicorum

Galat. 4.

Tertull. Apol. c. 1.

Galat. 4.

Digitized by Google

quorundam ab Epiſcopo Chalcedonenſi initium inde natum eſſe, quòd Epiſcopus regulares à ſe approbari voluerit. Ante nempe morigeri erant Catholici, Epiſcopum à ſede Apoſtolica delegatum vt Paſtorem, patrem, ducem Eccleſiæ ſuæ, venerabantur; poteſtatem eius non ventilabant, ſed colebant; non ſcrutabantur, ſed ſuſpiciebant; non iudicabant, ſed ei ſe iudicandos deferebant, & hanc ſe obſeruantiam & ſimplicium animorum moderationem Pontifici deleganti & Sedis Apoſtolicæ diplomati debere arbitrabantur, parêre ſuum eſſe, non diſceptare, ſcientes. Hæc enim fidelis populi conſuetudo eſt, hæc piarum mentium demiſſio, & in præpoſitos reuerentia, quorum *imperiis obediendum & ſubiacendum* humiliter norunt, niſi maleſuadorum hominũ vocibus, quaſi defectionis flatibus, concitentur. Quid quòd Epiſcopus in Epiſtola ad fideles Anglos, quæ in multorum manibus diu Lutetiæ fuit, profitetur ſe pia Catholicorum prudentiorũ & grauiorum ſolicitudine, metuentium ne confeſſiones apud Regulares ſine ipſius authoritate editæ, nullæ forent, eo quod legiſſent motum proprium Pij V: quo decernitur *irritum eſſe & inane quicquid in hoc genere, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter attentatum fuerit à Regularibus ſine approbatione Ordinarij*, illam iis approbationem indicere cõpulſum fuiſſe? Non igitur laïcos fideles, ſed Ieſuitas offenderat autoritas Epiſcopi Chalcedonenſis, nec tam auctoritas, quàm illius vſus, & nouiſſima de iis approbandis actio, vt manifeſtè indicant illa ipſa verba quæ Ieſuita quaſi ſibi fauentia refert, cum tamen apertiſſimam Epiſcopi

Tit. 2.
Heb. 13.

Pius V Cõſt. Romani 7. Pontificis.

querimoniam de cõcitata à regularibus placida per ſe & penitus morigera fidelis populi portione, hoc ſolo quod approbatio ab iis exigeretur, contineant. Imò, quod magis mirum eſt, regulares ipſi eorumq; ſuperiores, ac Prouinciales cùm agi cœptum eſt ab Epiſcopo de eorum approbatione, conſilium eius apud ipſum approbarunt, commendarunt, tutũ eſſe ac prudens, & ad fidelium ſecuritatem, Eccleſiæque Anglicanæ tranquillitatem aptiſſimum cenſuerunt, vt eadem Epiſtola teſtis eſt. Poſtea, vbi ſuis vtilitatibus per illud nonnihil offici, libertatem ſtringi, potẽtiam obſcurari, autoritatem in Catholicorũ animos infringi poſſe viderunt, mutata continuò ratio eſt; ius, æquitas, poteſtas Epiſcopi Chalcedonenſis, quæ anteà probabatur & agnoſcebatur, euanuit ex animis emerſa ſubitò cupidinũ tabe perfuſis. Hinc graſſari cœptũ in Catholicos, vt eorũ adiunctione turpis ac fœda per ſe factio tegeretur; admotę omni conatu indignæ litteris Põtificiis captiones; ſuggeſtæ laïcis & rudibus hominibus ratiunculæ, quibus debitã Pontifici obedientiam eluderẽt; miniſtrata incautis quibuſdã & nimiũ credulis proteruię & defectionis pocula, vt pudenda coïtio, quæ ducibus Ieſuitis coaluerat, comitibus laïcis inualeſceret, & quæ à Ieſuitis nihil niſi cupiditatem, ambitionem, infamiam mutuari potuerat, à laïcis ſplẽdidiorem faciem & honeſtiora nomina mutuaretur. Sic priſtinus ille honor ac reuerentia, quam ſeu regulares, ſeu laïci Catholici Epiſcopo Chalcedonenſi vt paſtori deferebant, non purgat præſentem eorum in eundem contumaciam, ſed deteriorem & inexcuſabilem efficit;

Digitized by Google

quòd eam autoritatem quam antea ſine controuerſia venerati ſunt, poſtmodum exorta domeſtici cõmodi ſpecie, quæſitis de induſtria fallaciis obducere & oppugnare ſint auſi, Catholicóque populo *terribilem* quantum poſſunt *odioſamque* depingant. Malæ mentis, peſſimi animi crimen eſt, veritatem, vbi tua nihil interſit, agnoſcere; vbi tantulum officiat, repellere, & extinguere conari. Hoc fidelis populi & pro fide iam pridem plurima ferentis ſimplicitati abſonum eſt; Ieſuiticæ calliditati & notiſſimæ elationi aptiſſimum. Neque dicendum eſt Epiſcopum Chalcedonenſem olim non vindicaſſe Ordinarij poteſtatem, nec ſe Paſtorem Eccleſiæ Anglicanæ voluiſſe. Ab initio enim vniuerſi, in primis laïci, reuerenter eum vt ſuum Epiſcopum, & Eccleſiæ ſuæ rectorem exceperant, propter Pontificis mittentis honorem; Neque quicquam quod de iis conqueratur habet Epiſcopus Chalcedonenſis, niſi quod reuerentiam illam & obſeruantiam, quam ſibi perpetuò præſtiterant, malorum autorum vafritie capti præſtare ceſſarunt. Si enim initio honorem ei debitum habuerunt; ergo nunc debitum negant, cùm eum negent quem habuerunt, pręſtigiiſque Ieſuiticis malè moti eum quem amiciſſimis animis vt delegatum à Pontifice Paſtorem colebant, nunc nullo loco habeant, & odiis immeritis proſequantur. Hinc patet Ieſuitas, dum deditos ſibi laïcos à priore illo in eum honore auertunt, & ſimplicem eorum obedientiæ viam diſſipant, nolle honorem illum deferri delegato à Pontifice Paſtori &

Epiſcopo

Epiſcopo qui ei ab initio ſemper habitus eſt, quem ei pia fidelium ſinceritas ſolam delegantis Pontificis reuerentiam & rei claritatẽ intuens deberi ſua ſponte credebat vno omnium, etiam ipſorum, conſenſu; quem denique etiamnũ, niſi malæ ipſorum tumultuationes intercesſiſſent, eadem pietate & conſcientiæ iudicio deferret. Hoc nimirum Ieſuiticum crimẽ, hæc Danielis praua mens, praua ſuaſio, hæc eius in Cenſura Pariſienſi reprehenſio eſt. Nec enim arguitur quaſi nihil prorſus promiſcui & voluntarij honoris tribuendum diceret à laïcis Epiſcopo Chalcedonenſi (quis enim eum à Deo non ſolùm inhumanum, ſed etiam impium ſuſpicetur vt Epiſcopũ Catholicum, hoc ipſo quo Epiſcopum, nedum quacunque de cauſa à ſede Apoſtolica miſſum, ſalutatione & humanitatis officio aliquo proſequendum eſſe nolit?) ſed arguitur quòd Catholicum populum ab honore quem Epiſcopo Chalcedonenſi vt proprio Epiſcopo & paſtori ſemper habuit, reuocet; quòd Epiſcopum à Pontifice miſſum vt locum proprij Epiſcopi in Anglia teneat, eamque Eccleſiam Paſtorali cura tueatur, neget accipiendum eadem reuerentia, eodem obedientiæ cultu qui proprio Epiſcopo debeatur. Non gratuitum ei quendam & in cuiuſque arbitrio ſitum, ſed legitimum & iuſtũ honorem tribuendum vrgent Cenſores, paterno nimirum, Paſtorali, Epiſcopali iure debitum. Atque hunc honorem ei denegare, temerarium aſſerunt, & deleganti Pontifici contumelioſum. Nam etſi Ieſuitæ negẽt delegatum eſſe vt Paſtorem & Epiſcopum

proprium Eccleſiæ Anglicanæ, tamen hoc ipſum negare in clariſſima diplomatum Pontificiorum luce, ſumma proteruia eſt, & ſummus Pontificiæ autoritatis cõtemptus, cui vt obedientia ſine manifeſti ſchiſmatis inuidia negari poſſit, imperanti, negatur loquenti fides, planiſſima ſolennium eius Decretorum intelligentia ſubuertitur, quaſi minor futura ſit inobedientiæ iniquitas iuncta ludibrio, quã ſimplici prauitate concepta. Nam nec Epiſcopi Chalcedonenſis in Anglia Paſtoratus, nec Pontificiæ vocis oraculum in dubiũ vocaretur, nec ambiguitas quæ ab initio non fuerat, in eo deinde extitiſſet, niſi de Regularibus approbãdis egiſſet Epiſcopus, pio Catholicorum prudentiorum metu, & ipſa ſui officij religione coactus, vt periculis quæ à ſolutiore *illa* Regularium facultate, fraudibus & ſcandalis obnoxia, iure metuenda erant, occurreretur. Hæc actio ſimul Paſtoralem eius authoritatem, Pontificiarũq; litterarum claritatem extinxit, & Cornicũ iſtarum oculos noua ſagacitate cõpleuit; vt facile intelligas nihil immutatis ſcriptis Pontificis, nihil immutata per Angliam Epiſcopi Chalcedonenſis erga laicos adminiſtratione, totam à Ieſuitarum animis mutationem prodiiſſe, quod eos approbationis exigendæ propoſita neceſſitas, ad variarum vtilitatum, quarũ damna metuebant, defenſionem excitaret. Nã Pontificiis verbis nemo eſt ab hac contẽtione alienus, & quieti animi, qui traditam Epiſcopo Chalcedonenſi autoritatẽ ſua ſponte non videat; cui Pontifex *omnes* [a] *& ſingulas facultates quibus Ordinarij in ſuis ciuitatib.*

[a] *In Breui* 14. *Feb.* 1625

& Diœceſibus vtuntur, fruuntur & gaudent, largitur; quem *Gregis Anglicani Paſtorem* [b] vocat; quem Eminentiſſimi Cardinales Pōtificię voluntatis propiores interpretes, ex eiuſmodi Decretis, *Angliæ & Scotiæ Ordinariū* aſcribunt, *Catholicis omnib. Anglici regni præfectū. Commiſſum illi gregem Angliæ, Catholicū populum illius curæ traditum; illius adminiſtrationi cōmiſſos Catholicos, ſiue ex Clero, ſiue laici ſint*; eius eſſe *omnes in officio continere.* Quem ſacra Eminentiſſimorū Cardinaliū congregatio de propaganda fide monet [b] *vt plures per Angliam deputet ſacerdotes, qui poſſint litteras patentes & facultates miſſionariorum in Angliam deſtinatorum vel deſtinandorum, facilius recognoſcere, ne Miſſionari prædicti ſine fructu in eo regno diutius manere cogātur*, apertiſſime poteſtatē illā agnoſcēs approbādi quoſcūq; in Angliā deſtinatos vel deſtinādos quā Ieſuitæ negāt, quā à Pōtifice improbatā eſſe dicere audēt, ſed clā, ſed in aurē Epiſcopi, ne litteras improbationis illius teſtes proferre cogātur, cū cōtrà ea poteſtas Epiſcopo Chalcedonēſi & diplomate primū Pōtificis, & aliis deinde litteris, & perpetuo Regulariū querelas ſilentio, & aperta Cōgregationis Cardinaliū declaratione cōfirmetur. Indignū eſt tot clariſſimis publiciſq; teſtimoniis clancularias & in aurē ſine teſte inſuſurratas admonitiones opponi. Hæc nēpè plus nimio probant ſedato cuiuis & in veritatis lucē nō coiurato animo, quā ſapiēter Cēſores ſcripſerint temerariū & Pontifici cōtumelioſū eſſe, ſi Epiſcopus ab eo iſta ratione delegat⁹, negetur accipiēdus quaſi proprius Epiſcopus, & eadē obſeruātia quæ proprio

a In Breui 20. May 1626.

b Cardin. Baudinus in ep. noui. Gregory XV. ad prædeceſſorem Epiſcopi Chalced. ſcripta. Romæ 5. Apr. 1623.

c In Decret. 5. Iuny 1627.

Epiſcopo deferretur, proſequendus; Varia denique Moliniſtarum cauilla & mendacia liqueſcunt; velut dum ſimulant ſe Epiſcopum Chalcedonenſem ſuſcipere vt delegatum Pontificis, nempe delegatum ſine poteſtate, ſine autoritate, ſine iure dirigendi Eccleſiam Anglicanam, ſine *iiſdem in eam facultatibus, quibus Ordinarij in ſuas Diœceſes vtuntur*, ſine vllo denique Pontificis munere, quo Ieſuitarum oculi præſtringantur. Eſtne hoc ſuſcipere Pontificis delegatum, an delegationem Pontificiam reſcindere, rebellium & hæreticorum perpetuo more; qui inſtitutam diuinitus religionem medullitùs exſcindentes, ſuperficiem extimam & ſummum illius corticem retinent, ne cùm omnia corroſerint, quicquã attigiſſe videantur, & impunè ſacrilegia perpetrent. Iſta nequitia non minuit ſcelus, ſed aggerat; non purgat ſacrilegium, ſed Dei ſanorumque hominum oculis odioſius & inuiſius efficit, quia crimen eſt non infirmitatis, ſed malitiæ, non humanæ, ſed Angelicæ prauitatis. Non ſuſcipiunt Ieſuitæ Epiſcopum vt delegatum Pontificis, dum interuerſa Pontificia delegatione, nouam, voluntariam, ſuis vtilitatibus commodam, ſubrogare audent; vt iam non Pontificia, ſed Ieſuitica delegatio dicatur. Quas facultates Ordinarij in ſuis Diœceſibus habent, eas delegatio Pontificis Epiſcopo Chalcedonenſi confert, ipſi auferunt; ſimilem in Anglicana Eccleſia vt Ordinarios in ſuis ciuitatibus eum facit, ipſi negãt; Paſtorem gregis Anglicani agnoſcit, ipſi renuunt. Ita Pontificis delegationem abolent, Pontificis de-

Digitized by Google

legatum fugant, & quo inanioribus effugiis tantam ſuperbiam & temeritatem prætexunt, hoc proteruiùs, inſolentiùs, contumelioſiùs, Pontificis imperium & authoritatem conculcant. Egregium ſcilicet honorem habent deleganti Pontifici, ſi delegatum eius ſuſcipiant vt miſſum quidem ab eo, ſed manus quodammodo & pedes ligatum, ne quicquam poſſit, ne quicquam audeat, niſi quod popularibus ingeniis, & Ieſuitis eorum inſtigatoribus libuerit. Non enim eos aſſerere pudet poteſtatem Epiſcopi Chalcedonenſis merè voluntariam eſſe, in populi gregiſque arbitrio & voluntate ſitam, vt populus illa vtatur ſi velit, ſi nolit nunquam vtatur, grex paſtorem agat, non paſtor gregem, ille præſit ac iubeat, huic obſequi ſolummodò & vocantibus præſto eſſe iubeatur. O contumelioſum non tam delegato Epiſcopo, quàm deleganti Pontifici honorem! O indignam Epiſcopalis dignitatis & Pontificiæ authoritatis deriſionem!

Mendacium quoque graue eſt Epiſcopum Chalcedonenſem, *titulum & munus Ordinarij ſibi arrogaſſe*, nempè *exigendo ius approbandi regulares*. Titulum Ordinarij non arrogauit ipſe, ſed eminentiſſimi Cardinales iuſſu & verbis Pontificiis ſcribentes, ei detulerunt, & à Pontifice datum agnouerunt. Quamquam de titulo minus laborat Epiſcopus Chalcedonenſis, & ſi illius nomine ad popularium mentes concitandas Ieſuitæ abuti velint, facilè patitur eripi eis ſcandalorum anſam & tumultuandi fomitem. Munus verò Ordinarij delegatum ei à Pontifice, &

litteræ clamant,& tot quæ ante diximus teſtimonia tum Pontificis, tum eminentiſſimorum Cardinalium, vt ea de re, ſine inſigni, tantarum authoritatum contemptu, quod rectè Cenſura indicat, & ſine incredibili in Catholicis & Religioſis hominibus, cæcam præcipuè obedientiam profitentibus, inobedientia & procacitate, ambigi nequeat.

SPONGIA.

Nec Doctor ipſe Kelliſonius hoc agebat, vt Chalcedonenſis reciperetur tanquam delegatus cum reuerentia dignitati proportionata (ſic enim rem actam egiſſet) imò nec in toto libro vel ſemel dixit illum eſſe Pontificis delegatum. Dixit proprium Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopum, Epiſcopum verò eſſe verum principem, & non Pontificis delegatum, & conſequenter non vt delegatum, ſed vt principem recipiendum. Ipſe eſt *(inquit)* veſter ſpiritualis princeps, imò princeps Paſtorum, ipſe eſt ſpiritualis veſter pater, ipſe paſtor veſter & caput, ipſe princeps paſtorum, cuius grex vos eſtis, vbi eum ipſe Spiritus ſanctus poſuit vt vos regat, ipſum amate, colite, ipſi ſubiacete & obedite. *Ita Kelliſonus, & plura in eandem ſententiam; Ex quibus conſtat motionem ipſius quam author reprehendit non eſſe, vt D. Chalcedonenſis reciperetur vt delegatus, ſed vt proprius paſtor & princeps, non à Pontifice delegatus, ſed à Spiritu ſancto conſtitutus. Huic motioni (inquit author) ſi Catholici cõcederent ex ſola Doctoris aſſertione, ſine ſummi Pontificis authoritate, qui poſſent excuſari, &c.*

Digitized by Google

Responsio.

Iam iſta omnia diſiecimus. Fallaciter à Ieſuita delegati dignitas proprij Epiſcopi dignitati opponitur. Epiſcopus Chalcedonenſis eſt delegatus Pontificis, (nec hoc Kelliſonus negat) ſed cum Ordinarij poteſtate, cum proprij Epiſcopi more, vt regat & moderetur Eccleſiam Anglicanam, vt proprius Epiſcopus, Paſtor, Princeps Paſtorum, vt rectè à Kelliſono dictum eſt. Itaq; vagatur extra rem Ieſuitica Spōgia, quaſi poteſtas Ordinarij & proprij Epiſcopi authoritas delegari non poſſit à Pontifice, vt ita delegatus verus ſit Paſtor & princeps Paſtorum Eccleſiæ cui delegatus eſt, in eaque idem ei honor, obedientia eadem quæ proprio Epiſcopo, debeatur. Sic autem delegatum eſſe Epiſcopū Chalcedonēſem manifeſtius ſuprà probatū eſt, quàm vt ſine graui temeritate, & ſine obedientiæ pontificiæ infractione negetur. Quare huic Kelliſoni *motioni* à Ieſuitis repugnari nefas fuit, & populi Catholici *corrumpi ſenſus*, vt ab inſtituta ſua ſimplicitate, à conſueta Epiſcopi Chalcedonenſis, vt proprij Paſtoris & Epiſcopi reuerentia, ab humani Pōtificiorum edictorum, quod antea fecerant, obſeruatione exciderent. Recipere enim Epiſcopū nullius iuris, nullius poteſtatis, imaginem vmbramque, vt etiam dicere auſi ſunt, Epiſcopi, Chartularium denique Chartaceumq; Epiſcopum, vt poſtremò ridiculè ac petulanter addiderunt, non eſt recipere gregis Anglicani Paſtorem, in Angliam cum iis iuribus & priuilegiis, quibus omnes Epiſcopi in ſuas Diœceſis potiuntur,

delegatum. Non ſic recipitur delegatus Pontificis imò reiicitur, contemnitur, delegatio ipſa, quæſitis dumtaxat ad impunitatem & ad infamiæ ſuffugiū coloribus in corde ac ſinu, in omnium bonorum oculis exploditur. Quid enim aliud quàm Pontificiæ delegationis exploſio eſt, dum Kelliſonus reprehenditur quod Epiſcopum à Pontifice delegatum ſuſcipiendum dixerit vt Epiſcopum *à Spiritu ſancto conſtitutum?* Nolunt à Spiritu ſancto conſtitui Epiſcopum quem Pontifex ſua delegatione cōſtituit; humano ſpiritu duci Pontificem, & priuati iudicij arbitrio, non Spiritu ſancto authore ad delegandum ferri cenſent. Quid in alias Pontificis conſtitutiones dicturi ſunt, vbi eorum rationibus aduerſari videbuntur, qui tantam rem, tam ſolemnem Epiſcopi ad duo illuſtria regna delegationem, quo nullum opus magis Pontificium, & Catholicis hominibus venerabilius eſt, à Spiritu ſancto per miniſterium Pontificis conſtitui negant? O præclaros Pontificiarum actionum vindices, Pontificij per Angliam regiminis Apologiſtas!

Neque porrò illa euaſiuncula Spongiæ vti licet, qua vna fallaciter vtitur, dum ait ſe fateri, *Epiſcopū Chalcedonenſem recipiendum eſſe cum reuerentia vt delegatum, non vt Epiſcopum proprium.* Eum enim non ſolùm vt proprium Epiſcopum, vt proprij Epiſcopi munere præditum, vt delegatum gregis Anglicani Paſtorem & Principem, ſuſcipiendum habendumque negat aduerſus aperta Pontificis imperia; ſed etiam quocumq; honore proſequendum, quocumque

cumque delegationis nomine venerandum. Quam enim ei reuerentiam exhibet, quem Catholicis omni ope *terribilem odioſumque facere* molitur, vt queritur Epiſcopus verbis illis ab ipſo antè prolatis? Quem honorem ei concedit, cui nihil ſtipendij nomine deberi affirmat? honor enim Epiſcopis debitus non in blandis appellationibus, ſed in ſubſidiis charitatis præcipuè conſiſtere notum eſt, & paſſim à ſcriptura inculcatum. Quid honoris ei tribuit cuius in Anglia permanſionem non neceſſariam, intempeſtiuam, imò noxiam & perſecutionis auctricem dicit? Eius enim cauſa deſæuiſſe ſolito acrius Magiſtratum, & hoc ſolo quòd Epiſcopum à Romano Pontifice delegatum intra Angliæ fines latere comperit, acerbius Preſbyteros & laïcos diuexaſſe clamat tota Apologia, tota Spongia, & focij eius variis libellis, declarationibus, narratiunculis. An iſtam in Epiſcopum à Pontifice delegatum opinionem Catholicorum animis iniicere, ipſos hortari eſt ad illius beneuolam & honorificam quocumque modo ſuſceptionem? Nonne *terribilem* reddere, *odioſum*, auerſandum efficere eſt, vt iure expoſtulat Epiſcopus? Quid quod illum eo tempore initio delegatum ait, eoque demum tempore delegari potuiſſe, cùm omnia in Anglia crederentur fore pacata; vt mutatis deinde rebus delegationem eius iniquam euaſiſſe innuat, alienam, imprudentem? Siccine debita reuerentia afficitur delegatus Pontificis? Siccine delegatio eius honoratur?

1. *Tim.* 5.

Poſtremò, quis iſtos eum reuereri, aut fideles ad

eius reuerentiam ducere credat, qui etiam hæreticos in eum concitent, Proteſtantium odia incendant, Romanæ Eccleſiæ hoſtibus Romani Pontificis delegatum prodant, ipſaſque adeo in eum ſæuiendi rationes, & atrocium edictorum formulas ſuggerant, Catholici homines, Religioſi, Pontifici, vt haberi volunt, præ cæteris dediti, vt reuera credendi ſunt, cultores eius infidi, & quantum per ſua commoda liceat, eius imperiis obſequentes? Recipiuntne delegatum *cum reuerentia, qua par eſt*, qui eũ omnium quò poſſunt Catholicorum, hæreticorũ, priuatorum, magiſtratuum, contemptui odiiſque ſubiiciunt? Recipiuntne *vt Epiſcopum proprium reciperent*, qui quem ſua ſuorumque gregalium ope nõ valent; Proteſtantium ipſorum ſæuitia, pudẽdaque coniuratione exturbant, eã in illum perſecutionem reipſa conflantes, quam ex eius occaſione in ſe ac fideles oboriri, vel augeri perfidioſè iactarunt? Hæc Ieſuita ſi latere putat, nimiùm Ieſuiticis artibus doliſque confidit. Si nota eſſe videt, impudenter mendacij Cenſores arguit, quòd lenitate nimia ſcripſerunt eum Epiſcopum, vt proprium Epiſcopum ſuſcipiendum ab ipſo negari, quem ab eo & ſociis in odium & auerſationem omnium rapi, & mutuato hæretici furoris auxilio pulſari, totaq; Anglia præcipitem exigi ſcribere debuerunt. In tanta nequitiæ criminumq; varietate quantumuis acriter inſectanda non magis à veritate fieri potuit aberratio quàm irrita cadere poſſint tela dum in confertam hoſtium aciem immittuntur.

Digitized by Google

SPONGIA.

Primò collectoris mendacio in fugam pulſo, facilè ſecundum diſſipatur, quod eſt, authorem comparare delegatum ſummi Pontificis cum Pſeudo-apoſtolis, quos eo loci Apoſtolus notat. Nuſquam hoc factum. Non delegatum, delegati authoritate contentum, cum Pſeudo-apoſtolis cõparat, ſed eum quicumque ſit, qui cùm non ſit proprius Epiſcopus, nec cum iuriſdictione perpetua & vera principis miſſus, tamen talem ſe dicit, & vt talem ſe recipi contendit oportere. Iſtiuſmodi qui ſit, Pſeudo-apoſtolis Epiſcopalem poteſtatem ſibi arrogantibus ſimilem author dixit. Similem verò eſſe quis negauerit? At inquiunt, eſt à ſummo Pontifice miſſus. Sit ita ſanè; ſed non miſſus vt ſit proprius Epiſcopus, Paſtor, & Princeps. Si Prorex à Rege delegatus ſe regem creet, qui reſiſtunt, qui recuſant recipere, an peccant in Regem qui Proregem mittit? Neque tamen author vnquam D. Chalcedonenſem accuſauit quaſi ſibi principatum arrogaſſet; imò dixit illum non ſe agnoſcere qualem D. Kelliſſonus eum dicebat. Ipſe enim in quodam ſcripto agnoſcit ſe non eſſe Ordinarium ordinariè, quales alij Epiſcopi, Princeps ſcilicet Eccleſiæ ex inſtitutione diuina, ſed Ordinarium extraordinariè, tamquam delegatum vniuerſalem ad nutum amouibilem. Hæc author D. Chalcedonenſem vindicans à ſuſpicione vſurpati principatus, ſolumque Kelliſſonum arguens quod eum proprium Epiſcopum, Principem, Paſtorem, à Spiritu ſancto conſtitutum faceret.

Digitized by Google

RESPONSIO.

Superiori reſponſione non mendacium, ſed peruicaciam Ieſuiticam in Romanum Pontificem, & in eius diplomata oſtendimus. Hoc loco habemus eorundem in Epiſcopum Pontificis delegatum petulantiam. Petulanter enim eum inuadunt; petulanter deinde purgant, vt pateat non *verbera eſſe amicorum*, ſed *oſcula* eſſe *inimicorum*, & criminationis audacia cum abſolutionis inſolentia quodammodo certare videatur.

Quanta audacia Epiſcopum Catholicum à Romano Pontifice Catholicis Anglicanis delegatum, multis eruditionis virtutiſque luminibus inſignem, conferre cum Pſeudo-prophetis, Pſeudo-Apoſtolis, hæreticis Euangelicæ doctrinæ adulteris, Apoſtolorum hoſtibus, miniſterium inuita & reclamante Eccleſia inuadentibus, Cathedram aduerſus Cathedram publicè collocantibus, Eccleſiæ dilacerantibus & laniantibus vnitatem? Quanta improbitas, his elogiis onerare Epiſcopum Catholicum ante oculos Catholicorum, imò ante ora hæreticorum, lingua vulgari, ſermone omnibus obuio, ſtylo populari, ſubdolo, criminoſo? Qui (malum) eſt iſte honos in delegatum Pontificis, in Pontificiam delegationem, in delegantem Pontificem? cuius authoritas, cuius ſaltem reuerentia, & nomen, delegatum eius tueri non poſſunt à Catholicorum hominum, &, ſi diis placet, religioſorũ impia rabie, quominus eum cum hæreticis, ſchiſmaticis, Pſeudo-Apoſtolis, palam computent, Chriſtumque ite-

Digitized by Google

rum latronibus medium crucifigant? Videtis crimi-
nis atrocitatem. Audite defenſionis inſolentiam.
Reſpondet enim Spongia, hæc in Epiſcopum Chal-
cedonenſem dicta eſſe qualis à Kelliſono deſcribi-
tur, proprius Epiſcopus, princeps, paſtor Eccleſiæ
Anglicanæ; non in Epiſcopum Chalcedonenſem,
qualem ſe ipſe agnoſcit, qui illos Kelliſoni titulos
repudiet. Quaſi Kelliſonus proprij Epiſcopi pote-
ſtatem, Ordinarij autoritatem, paſtorale ius Eccle-
ſiæ Anglicanæ Epiſcopo Chalcedonenſi ingerere
conaretur inuito, repugnanti, reluctanti. Hæc ſcri-
bere non auderēt audaciſſimi homines, niſi Epiſco-
pum publico ludibrio inceſſere, & publica inſulta-
tione traducere decreuiſſent. An ipſam Spongiam
paulo ante dictantem non vidimus, *Epiſcopū Chal-
cedonenſem arrogando titulum & munus Ordinarij; exi-
gendo ius approbandi, ſeipſum reddidiſſe Catholicis odio-
ſum?* an non tota Apologia, Spongia, diſcuſſione, Spong. pag. 132.
omnibuſque iſtorum dicteriis, lancinatur & proſ-
cinditur, quaſi muneris nō ſui vſurpator; quaſi falſo
aſſerens ſe conſtitutum eſſe *Epiſcopum perfectum, in-
tegrum, completum, abſolutum, cum tanta plenitudine po-
teſtatis quantam vllus ordinarius habet; imò cum tanta
quantam dare Pontifex legitime poteſt?* Quid ergo tam Spong. pag 149.
apertis mendaciis, tam procacibus ſarcaſmis Ieſuiti-
ca Spōgia Epiſcopo Catholico illudit? Quid eū tum
carpendo, tum mulcendo, fædiſſime violat, & tanto
fædius; quanto irriſoria palpatio maledicto quouis
indignior eſt, præcipuè in ſummam ſacramque di-
gnitatem? etiamſi enim Kelliſonus neſcio quid am-

plius Epiſcopo tribueret, quàm ipſe agnoſcat, quod falſum eſt (Kelliſonus enim nullam ei Epiſcopi proprij, paſtoris, principis in Anglia poteſtatem niſi delegatam attribuit, eo modo quo ante diximus, & Epiſcopus toties declarauit) tamen autoritas quam Epiſcopus ipſe ſibi vindicat, non minus à Spongia reprobatur quàm quæcumque ei à Kelliſono donetur. Vnde non minus illam aſſumens reus ab ea conſtituitur, & falſæ poteſtatis inuaſor, & Pſeudo-prophetarum ſimilis, quàm ſi ipſis Kelliſoni verbis vteretur. Apage igitur lenimenti genus ſtolidum & inſolens: faceſſat improba ſimulatio, quæ indigniſſimum crimen ideo ab Epiſcopo in Kelliſonum traiicit, quia pudet Catholicum Epiſcopum, Catholicis venerabilem, bonis omnibus & in primis Pontifici probatiſſimum, Pontificis auctoritate in miniſterium illuſtre delectum, Pſeudo-Apoſtolis, hæreticis, Schiſmaticis parem, & ita Catholicis rudioribus inuiſum execrandumque feciſſe.

Licet enim Epiſcopum Chalcedonenſem ſolidè veréque dicerent non præditum eſſe Ordinarij poteſtate, nefarium eſſet ipſum Pſeudo-Apoſtolis, obtemperantes ei Catholicos ſchiſmaticorum ſociis, Pſeudo-Apoſtolorum aſſeclis annumerare, cũ ipſi doceant, & notiſſimum eorum ſit dogma, fas eſſe probabilem ſententiam ſequi; imò minus probabilem, derelicta magis probabili *tuta conſcientia* amplecti poſſe. Poteſtatem autem quam ſibi aſſerit Epiſcopus Chalcedonenſis, doctiſſimis, grauiſſimis, fide digniſſimis hominibus probari, negare ſi velint

Digitized by Google

non poſſunt vt taceam clariſſimas litterarum Pontificiarum & Eminentiſſimorum Cardinalium autoritates, quæ ſine alieno lumine ſatis per ſe lucent, & pertinacium ipſorum oculos mentéſque feriunt, quantumuis eas adſcitis vndique minutiis & perplexis inanitatibus inuoluere ſatagant. Sed omiſſa tanti præſidij arce, quam illi Epiſcopo concedere non poſſunt, ne ſe perduelles perditoſque fateantur; hoc vnum vrgemus, quod licet per ſe minus, in ipſos tamen maius eſt, nec ab iis negari, aut conuelli poteſt; Probabiliſſimam ſaltem eſſe Epiſcopi Chalcedonẽſis ordinariam poteſtatem, & ſummis viris in Anglia, extra Angliam, probatiſſimam; ideóque qui eam tuta conſcientia ſuſcipi, obedientia honeſtari, honore ordinariis debito affici poſſe neget, eamque ſuſcipientes Pſeudo-Prophetarum diſcipulis, ſchiſmaticorum amicis, comparet, *præcipitatæ & indiſcretæ ſubiectionis* reos peragat, præcipitatæ audaciæ & indiſcretæ improbitatis reum eſſe, & Ieſuitam qui hoc audet, ſuo, ſuorumque iudicio inexcuſabilem probari.

Nec mihi rurſus afferant Proregis exemplum illud, quod initio abunde profligauimus, & in ipſos recuſſimus. Nec ridiculè prædicent ſe generatim *eum quicumque ſit, qui cùm non ſit proprius Epiſcopus talem ſe dicit*, Pſeudo-Apoſtolis comparaſſe. Non enim generatim de theſi agitur, an poteſtatem vindicans qua verè careat, Pſeudo-Apoſtolis debeat comparari. hac de re nulla quæſtio eſt: omnes de hac theſi conſentimus. De ſola hypotheſi quæritur; De-

ſolo Epiſcopo Chalcedonenſi controuerſia eſt; An is Pſeudo-Apoſtolis ſit par; An qui ei vt proprio Epiſcopo obediunt, Pſeudo-Apoſtolorum gregalibus ſint affines. Quid Ieſuita in tantæ turpitudinis cœno deprehenſus reſtitat? quid oggannit? quid emergere conatur vnde non poteſt? det gloriam Deo; deponat ſuperbam animoſitatem; deiiciat tumidum cor; ſperare deſinat, vlla mendacia pinguiſſimis accuſatoris mendaciis coargui poſſe; temperet affectus ſui vehementiam in Catholicum Epiſcopum, in morigeram ei Catholici gregis portionem; fateatur modeſtioribus in eos vocibus, & maiori vel reuerentia, vel charitate ſcribendum fuiſſe, ſaltem delegantis Pontificis intuitu, etiamſi reuera Chalcedonenſis Epiſcopus traditæ ſibi authoritatis modulum præteriſſet. Quicquid enim commiſiſſe putaretur, humiliter monendus fuit Pontifex, rogandus, expectandus, audiendus, nec ſine ſcelere iudicio eius præcurri potuit, vt interea à ſolito Epiſcopi honore diſcederetur, retraherētur populi, ipſe & fideles ei Catholici maledicentiæ impetu & inſanarum vocum turbine quaterentur, quaſi Pſeudo-Apoſtolis, hæreticis, ſchiſmaticis ſimillimi. Hoc magnæ in Epiſcopum impudentiæ, in fidelem populum acerbitatis, in Romanum Pontificem contemptus & proteruiæ fuit.

Verùm qua animorum prauitate in Chalcedonenſem Epiſcopum inſurgere cœperant, & apertiſſimè datam ei autoritatem obturbare, vaniſſimarumque litigationum laqueis implicare, eadem inſtitutam

ſtitutam litigationem proſequi debuerunt: Fieri non potuit vt exorſam mala cupidine ſtropham quietis animis & rectæ rationis moderatione pertexerent. Nec immoderatio nouit modum, nec patientiam ſuperbia, nec quietem cupiditas. Poſt illuſa turpiſſimis ingenij calumniis edicta Pontificia, poſt ſubuerſas inauditis gloſſematis, tam à communi hominum ſenſu, quàm à communi ſermone diſcrepantibus, planiſſimas eorum voculas, eadem penitus methodo qua clariſſima quæque ſcripturæ capita Sectarij contenebrant, vt aſcititiæ & voluntariæ contentioni locum facerent; teneri non potuerunt quin Pontificium tribunal ſe adire ſimulantes, ſuum ipſi erigerent, & pro Ieſuitica fiducia, pro Moliniſtica inuerecundia typhoque, Epiſcopum Chalcedonenſem, inuaſorem, Pſeudo-Apoſtolum; obſequentes ei Catholicos Pſeudo-Apoſtoli auditores, improuidæ ac *præcipitatæ ſubiectioni* obnoxios prædicarent. Hæc modeſtia Ieſuitica eſt; hæc religioſa perfectio, Romanæque ſedis cultus, quo Ieſuitæ vniuerſos haud dubiè Eccleſiæ ordines, tum Eccleſiaſticos, tum regulares, ſine comparatione tranſcendunt.

Illud denique ineptiſſimum eſt quod hîc reſpondetur, Epiſcopum Chalcedonenſem non habere Ordinarij poteſtatem, quia *cum iuriſdictione perpetua* non ſit miſſus, ſed *ad Pontificis nutum ſit amouibilis*. Quis enim ſobrius inferat aliquid non eſſe, quia non ſit perpetuum? Iſto pacto paucæ res erunt, quia paucæ perennant, penè omnes præ-

Digitized by Google

terlabuntur & fluunt, nec diu vno ſtatu permanent. Qua de cauſa philoſophi quidam, & interdum Theologi ſublimiores, negarunt quicquam eſſe niſi vnum Deum, quia ille vnus manet, cætera omnia prætereunt, mortaliaque & fugacia ſunt, ſi cum Deo conferantur. Sed ſermo vulgaris & humanior alius eſt. Non negatur Epiſcopi Chalcedonenſis poteſtatem eſſe quadantenus ab aliorum Ordinariorum poteſtate diſſimilem; ſed negatur inde ſequi ne Ordinaria cenſeatur. Similis enim & eadem eſt quoad ſe, diſſimilis quoad modum, quia eam non habet ordinaria vſitataque in Eccleſia ratione, ſed delegatione & arbitrio Pontificis, quamdiu Pontifici viſum erit eam illi permittere. Habet tamen illam eandem ſimilemque ac Ordinarij omnes, & ad omnia iura facultateſque eorum muneri annexas pertinentem. Atque hoc ſignificant voces à Spongia editæ, *Eum non eſſe ordinarium ordinariè, quales alij ſunt Epiſcopi, ſed ordinarium extraordinariè*, delegatione Pontificis. Non enim vllius Anglicanæ ſedis titularis poſſeſſor eſt, nec ius habet vt in Anglicana Eccleſia diutiùs Epiſcopi munus obeat quã quamdiu Pontifex innuet. Eadem ergo qua cæteri ordinarij fruitur poteſtate, ſed alio modo. Ridiculum autem dictu eſt poteſtatem non eſſe veram, quia perpetua non eſt. Sic Legatorum, Nuntiorum, Vicariorum, aliorumque poteſtates nullæ eſſent, quia poſſunt ad nutum ſubtrahi. Imò hic ipſe Ieſuita fatetur infra Epiſcopum Chalcedonen-

Digitized by Google

ſem *eſſe Ordinarium reſpectu Cleri*, cuius tamen reſpectu non minus eſt delegatus & *ad nutum amouibilis*, quàm reſpectu laïci gregis, & totius Eccleſiæ Anglicanæ. Agnoſcat igitur ſenſus ſuos, conſentiat ipſe ſibi, nec Epiſcopo Chalcedonenſi incommodandi ſtudio caput ſibi mentemque collidat. Spong. pag. 155.

SPONGIA.

Hinc elucet falſitas tertiæ accuſationis, Autorem aſſerere Catholicos, ſi Epiſcopo Chalcedonenſi tanquam delegato deferant, propter bona temporalia eidem impenſa, obedientiamque ei præſtitam nullam expectare à Deo remunerationem poſſe. Quanta in calumniando impudentia? Non erat quæſtio de receptione delegati, obedientiaque qualis delegato debetur exhibenda; ſed an pium eſſet ac ſanctum, ſine autoritate Pontificis, *delegatum in Ordinarium, titularem in proprium, precarium in principem, proprio perpetuóque iure imperantem conuertere? Hoc opus, hanc ſubiectionem ſiue reuerentiam non futuram iuſtitiæ, ſed potius rebellionis autor dixit, nec illis præmium à Deo rependendum. Quod dictum non minus maliciosè, quàm ridiculè eò torquetur, quaſi autor cum hæreticis ſentiat bonis operibus iuſtitiæ coronam non eſſe repoſitam. Vtinam in hos qui quouis verbo falſitates, errores, ſcandala, hæreſes crepant, non poſſet verè dici illud ſancti Auguſtini in Phariſæos*, Quid aliud eructarent, niſi quo pleni erant?

Digitized by Google

RESPONSIO.

Inſoleſcis vehementer, & mirabili acerbitatis toxico verba tua diluis. Si nemo eructat *niſi quo plenus eſt*, quanta tibi cor plenum eſt audacia, amaritudine, zelo, furore? Quæ ſcandala, quæ ſchiſmata, quas hæreſes coquis, qui tertio quoque flatu, hæc omnia in Catholicos ampliſſimæ Facultatis theologos ſpiras? Hoc enim inter eorum modum & tuam maledicentiam intereſt, quòd illi te tuiſque ſociis intactis, nec verbulo violatis, ac ne nominatis quidem, de ſola doctrina ſententiam ferant, errorum ſe non hominum inimicos profitentes: Tu à doctrina quam vnicam attingere debueras, in Cenſores tranſiliens, mordicùs eis adhæres, rodis, laceras, ſi ſcriptoris tam abiecti, tam imbellis, tam nulla mente præditi, rabioſulis vocibus grauiſſimorum hominum fama lædi poſſet. Multo tu igitur, te ipſo iudice, ſchiſmatibus & hæreſibus plenior es, qui eas pleniùs & vberiùs eructas, ſi quod quiſque eructat, eo plenus habendus eſt. Tu hæreſes habes, quibus non doctrinas tantùm, ſed etiam perſonas conſpergas; illi ſolius doctrinæ notatione contenti, nihil fellis habuerunt, quod etiam ad perſonas transfunderent. Hoc ergo iſtius partis, ac penè totius Spongiæ, inſigne vitium, magnus furor, magna inſipientia eſt.

Quid cætera percenſeam? fallaciter quæſtionem ponis, quaſi quæreretur, *An pium ſit & ſanctum ſine auctoritate Pontificis, delegatum in Ordina-*

Digitized by Google

rium, Titularem in proprium, Precarium in principem, proprio perpetuoque iure imperantem conuertere. Quanta in vnico loco mendacia? Quot fraudes? quarum iam pleraſque ſuprà confodimus. Primò malignè indicas quæſtionem eſſe generatim de theſi, *An pium ſit eum qui Ordinarius non ſit, vt ordinarium, ſine Pontificis authoritate ſuſcipere.* Quæ quæſtio per ſe ridicula eſt, inſulſa, nunquam à ſano homine ventilata. Quis enim dubitat quin ſicut quilibet falſam authoritatem ementiens, improbus eſt, reuſque maieſtatis; ita quiſquis eius improbitatem approbet, & ſuſcipiat, & ſequatur, ſceleris conſcientia & ſocietate inquinetur? Non ergo hac de re vlla inter ſanos quæſtio haberi ſolet. De ſola, vt antè dictum, hypotheſi quæritur; de ſuſceptione non falſi Epiſcopi, ſed Epiſcopi Chalcedonenſis; non poteſtatem inconceſſam rapientis, ſed eam quam à Pontifice datam habet vindicantis; non quid ei inconſulto Pontifice arrogare liceat, ſed quid ei Pontifex dederit, quid ei ex voluntate Pontificia pluribus litteris declarata tribui poſſit & debeat.

Deinde malè iterum opponis *delegatum ordinario, titularem proprio, precarium principi.* Nam eundem delegatum & ordinarium eſſe, titularem & proprium Epiſcopum, precarium & principem diximus, eum ſcilicet cui Pontifex omnem Ordinarij, proprij, principis poteſtatem, vel ad certũ tempus, vel ad nutum conceſſerit. Legati Pontificij, principes Prælatique deſtinatarum ſibi regionum, & quidem Ordinarij ſunt, licet precariam poteſta- *C. Legatos de offic. Legati in 6.*

tem, & ad nutum Pontificis obtineant, vt iam ante innuimus.

Tertiò falſo quæri ais, an liceat Epiſcopum Chalcedonenſem *in principem proprio perpetuoque iure imperantem conuertere.* Qua de re nunquam actum eſt. Nec quiſquam perpetuum ius, perpetuam imperandi poteſtatem Epiſcopo Chalcedonenſi arrogauit. Omnes eum, ſeque ipſe Pontificis arbitrio Eccleſiæ Anglicanæ præeſſe agnoſcunt; tam diu præeſſe poſſe, quamdiu is indulſerit; ſed interim plena Ordinarij poteſtate & ſpirituali imperio præeſſe.

Quartò, diſſimulas quantum potes, te fideles auocaſſe à temporali ſubſidio Epiſcopi Chalcedonenſis, nullum eiuſmodi operibus præmium fore iactando. Quod proculdubio graui crimine plenum eſt. Nec enim huc facile trahi poteſt illa diſtinctio, qua ſuſcipiendum dicis Epiſcopum vt delegatum, non vt Epiſcopum proprium; quia non aliter ſubuenire ſolet fidelis populus Epiſcopo vt delegato, quàm vt principi & paſtori; Non aliud ei ſubſidij genus ac refrigerij, vt cum ſcriptura loquamur, ſubminiſtrat. Quare monere populum, nil præmij fore bonis operibus quibus delegatum ſibi Epiſcopum tueatur, nihil aliud eſt quàm eum à fouendo Epiſcopo ad deſertionem eius, & derelictionem transferre. Quamuis enim Ieſuita clamet id dictum in Epiſcopum Chalcedonenſem vt proprium Epiſcopum, non vt delegatum; tamen hæc populus nō capit, præciſionibus Scholaſticis inſuetus, nec aliud

2. Tim. 1.

percipere poteſt, niſi deſerendum eum, & temporali penitus ſubſidio ſpoliandum, cui præſtita opera & impenſa charitas nihil apud Deum mercedis habitura dicantur. Atque ita reuera contigit. Nec enim illi Catholici quos Ieſuitæ traxere in partes, Epiſcopum Chalcedonenſem quem vt Ordinarium iuuandum negant, iuuant vt delegatum. Omnimodè abijciunt, deſerunt, negligunt; oderũt etiam atque auerſantur; in eoq; obſequium ſe pręſtare Deo exiſtimãt. Hoc idem faceret reliqua Anglia, ſi eorum monitis aures daret. Hæc ergo doctrina Catholicorum animos à charitate diuidit, in errorum ſchiſmatumque barathrum deuoluit, vt Epiſcopo quem Põtifex delegauit nihil ſubſidij, aut humanæ opis præbere fas eſſe, & ſi quis præbeat nihil præmij relaturum arbitretur. Huc omnis Spongiæ Ieſuitæque oratio dirigitur. Specie Catholicos à ſuſcipiendo Epiſcopo, vt Paſtore ſolùm ac principe, reuocandi, ab eo vndiq; reuocat, funditùs diuellit, deſerere, auerſari ſuadet. Hoc doctrinam Ieſuiticam in omnium quibus inſederit animis efficere neceſſe eſt. Hic omninò eius fructus ſperari poteſt in vulgus. Quare quocumque ſe conſilio, quocumque animi motu hæc ſcripſiſſe reſpondeat, Schiſma, hæreſin docuit fideles Angliæ, nec recuſare poteſt quin ſua oratio ſchiſmatica, hæretica iudicetur. Non enim internas mentiũ latebras ſcrutamur, quas ſolus videt Deus, quæ foris nemini patent; ſed externam orationem & expreſſa vocibus dogmata, quæ ſub hominum iudicia cadunt, nec facilè fallaciis inuoluuntur.

Digitized by Google

Deinde omiſſa penitus quæſtione de ordinaria Epiſcopi Chalcedonenſis poteſtate, verè necne habeat, tradat eam an adimat Pontifex; perſpicuum eſt Catholicos qui eum vt paſtorem ſuum ſuſcipiunt, obſeruant, fouent, ſimplici reuerentia & corde humili Pontificem eiuſque diploma venerantes, quo ſaltem probabiliter admodum hæc ei poteſtas concedi ſignificatur, conſentientibus præcipuè tot tantiſque viris eruditione virtuteque præſtantibus, à peccati labe puros, inſontes, innoxios eſſe, quantumuis etiam Pontifex eiuſmodi authoritatem Epiſcopo non eſſet reuera largitus. Eorum igitur opera ſpoliare præmio, & inutilia irritaque efficere, quid aliud cenſeamus quàm hæreſim, cùm nihil ſit cur ſana mente dubites ea bona eſſe, quippe ab honore nata & à cultu Pontificis, quem audiunt, ſuſpiciunt, reuerentur, multo ſinceriùs & caſtiùs, quàm qui obedientiæ detrectandæ libidine occupati apertas diplomatum eius voces inſidiosè rimantur? Quamquam hac quæſtione, vt diximus, omiſſa, vnũ quod nemo negare poteſt aſſumimus & vrgemus. Nempè conſtat, nec Ieſuitis inficias ire licet, probabilem ſaltem, & maximè probabilem eſſe Epiſcopi Chalcedonenſis ordinariam poteſtatem, ſeu verba iudiciaque pontificis & Cardinalium, ſeu tot tantorumque hominum teſtimonia conſideres. Itaque certum & euidens eſt fidelem populum qui eam poteſtatem ſtudio obſeruandi pontificem admittit, colit, humanitate & honorario proſequitur, peccati eſſe immunem, rectè facere, bonum opus operari;

Ac

Ac proinde qui operi huiuſmodi præmium à Deo paratum neget, quod bonum honeſtumque eſſe negare non poteſt, aut hæreſim malè inducere, aut illius meritò eſſe ſuſpectum. Nam concluſionem è propoſitionibus elicitam, quarum vna fidei eſt, altera euidenter nota, graues Theologi hæreticam cenſent, hæreſi verò proximam vniuerſi confitentur: & qui eam pertinaciter aſſerat, ſine dubio hæreticus haberi conſueuit. Fidei autem eſt, bona opera mereri præmium; Certum verò & manifeſtum eſt, eũ qui Pontificiis Decretis ex probabili eorum ſenſu obtemperet, facere bonum opus. Conſtat ergo doctrinam quæ huiuſmodi operi mercedem adimit, hæreticam dici poſſe, quocumque animo proferatur. Ipſa enim per ſe iudicari debet, non ex animo loquentis. Ita quoquò te vertas, Spongia, Cenſuram munitam inuictamque habes. Tantum malæ frugis protuliſti, vt difficillimum fuerit nõ ſolùm Sapientiſſimis Theologis, ſed etiam Chriſtianis paulò peritioribus, in ea euellenda aberrare.

SPONGIA.

Reſtat quartum quod imputatur authori, quaſi dicat; receptionem D. Chalcedonenſis tamquam delegati, fore cæcam & cum ſchiſmatis periculo. Iam patet calumniam eſſe. Hoc enim dixit de acceptatione illius non in delegatum, ſed in principem proprium & Epiſcopum, ſine mandato & authoritate ſummi Pontificis, prout D. Kelliſſonus ſuggerebat.

Digitized by Google

Responsio.

Hoc quoque quartum mendacium ſatis retuſum eſt. Non enim damnata fuit propoſitio, quæ Epiſcopum Chalcedonenſem ſuſcipiendum negaret vt delegatum Ieſuitica illa delegatione, ſine poteſtate, ſine authoritate, ſine iure in gregem Anglicanum paſtorali. Hoc figmentum Ieſuiticum non propugnandum ſuſcepit Facultas Pariſienſis; quamquam ſatis vidit illud ipſum ad ſpecioſiùs eludendam ordinariam Epiſcopi Chalcedonenſis authoritatem fictitiè iactitari, veréque id agi, vt Epiſcopus ex fidelium animis, & ex vniuerſa Anglia longiſſimè amandetur. Sed nimirum illa temeritas damnata eſt, qua eius poteſtas, tot clariſſimis authoritatibus, Pontificiis litteris, Cardinalium teſtimoniis comprobata, fallaciter obſcuratur, reiicitur, contemnitur, & qui eam agnoſcunt, in ſchiſmatis periculo eſſe aſſeruntur. Hoc temerarium dixere Cenſores, ſuperbum, ſcandaloſum, *inobedientiæ ſternens viam.* Nam ſi Pontificis diplomata & teſtatam tot grauiſſimis indiciis voluntatem, audacibus ſubuertere technis, ridiculis contentionibus implicare fas eſt, vt per cauſam ambiguitatis, & enati litigij, obediẽtiam excutere liceat, & Pontificiis inſultare decretis, quoties priuatis aliquorum rationibus aduerſari videbuntur; nulla relinquitur Pontificij nominis authoritas, obedientia non in Pontificis nutu, ſed in homuncionum quorumuis arbitrio deponitur; nulla via ſupereſt qua Pontifici obſequium ab inuitis,

ſubiectionem à pertinacibus extorqueat, ſi quid iis incommodum moleſtumque præcipiat. Non enim contumacibus deficient vnquam vocum aucupia, tendiculæ ſyllabarum, perplexitates ſenſuum, quibus clariſſimam quamque orationis ſimplicitatem ſollicitent. Nulla luce vinci poteſt contentionis ſtimulis excitata, & propriæ vtilitatis amore infecta mens. Tantum in ſeipſa caliginis & tenebrarũ circumfert, vt quemuis veritatis ſplendorem, & ipſum Solis radium obſcurare ſufficiat. Teſtis experientia, vita communis, omnium ordinum conſuetudo, cùm in diſſenſionum ſtudia, & in rerum ſuarum acriorem propugnationem incubuerunt. Teſtis hæreticorum omnium, noſtrorum in primis, nequitia, qui apertiſſima quæque & ſimpliciſſima verbi Dei oracula denſiſſima gloſſematum nube, exquiſitiſſimis verſutiis, diuerſiſſima veteratoriarum nugarum multitudine, mirante orbe complerunt. In quo peruicaces, cupidi, ceruicoſi, elati quiuis homines hæreticis germani ſunt, eodemque genio inſtigantur. Vnus enim ſuperbiæ omnis & pertinaciæ genius eſt. Quare ſummo Pontifici danda in primis opera videtur, vt quâ prudentia Eccleſiam circumſpicit, iſti quoque occurratur audaciæ, qua grauiſſimæ confuſioni panduntur fores, inobedientiæ via ſternitur, Sedis Apoſtolicæ Decreta, dignitas, ſanctitas, in contemptum, & in impunitam ludificationem collabũtur. Prodendum poſteris ſeuerius exemplum quodpiam, quo Pontificiæ authoritatis honor, non ſolùm ab apertis obtrectationibus, quæ ſolorum Eccleſiæ

hoſtium, planorumque hæreticorum ſunt; ſed à tortuoſis machinationibus, à fraudibus inuolutis, ab operta perfidia, quæ in Catholicis inquietis, ſui amantibus, æſtuoſis vigere ſolent, & Eccleſiam periculoſiùs quàm externa mala concutiunt, & in apertam hoſtilitatem non raro eruperunt, perpetuò vindicetur. Faciendum ne Apoſtolicarum litterarum religio habeatur minor, quàm rerum omnium ſacrarum quas profanis temerè manibus vulgo attingere & contrectare nefas eſt, quæ ad intuitum ſimplicem, ad cultum, ad reuerentiam, non ad audacium oculorum laſciuiam, ſcrutationem temerariam, vellicationem ſacrilegam, exponuntur. Sic quieta Eccleſię facies, tuta pax, inconcuſſa omnium erit quies, ſancitaque ſolidiùs obedientiâ, & ſummi imperij maieſtate, turbulentis & malè pacatis ingeniis, quæ ſola infræni motu, mobilitateque indomita pulcherrimum rerum ordinem dirimunt, ora obſtruentur, audacia confringetur.

PROPOSITIO SECVNDA.
Ibidem.

DElegati recipere debent ſtipendium & ſuſtentationem à principe à quo mittuntur, & non à populo ad quem mittuntur.

SPONGIA.

Iſta propoſitio intellecta de delegato miſſo in aliorum commodum & neceſſitatem, falſa eſt, rationi & praxi omnium gentium contraria.

His verbis Richeriſtæ Cenſuram ſuam abſoluunt, de qua verè dicam, reſpondent vltima primis. *Vt enim Cenſura ſua primam propoſitionem Sorbonicam quam habet Gerſon in terminis, damnarunt; Ita pari cæcitate hac vltima Cenſura in propoſitionem eiuſdem Gerſonis incurrunt, qui Tom. 1. Col. 539.* Delegatus, *inquit*, dum ſpecialiter mittitur per ordinarium ſuum, tenetur Ordinarius ei de ſuſtentatione ſua ſufficienter prouidere, qua data iam contrahitur quaſi paſtoralis obligatio in Doctore delegato, nec enim poteſt dicere quia nemo nos conduxit. *Ecce Gerſon totidem pene verbis dicit quod author aſſeruit, Delegatum debere ſtipendium & ſuſtentationem accipere àb Ordinario delegante. Iám ſi placet, ſæuiat ſchola Richeriſtica, & huius propoſitionis authorem falſum, & praxis omnium gentium ignarum clamitet; ſic enim non ſolùm in Gerſonem, ſed quod nobis maius eſt, in ipſum S. Thomam clamitabit, qui 2.2.q.188.a.4.ad 4.* Si tamen, *inquit*, non inuenirentur qui gratis ſe huiuſmodi obſequiis manciparent, tenerentur ordinarij prælati ſi ipſi non ſufficerent, alios ad hoc idoneos mittere, quibus ſumptus ipſi miniſtrarent. *Vides delegato in beneficium populorum, & quo populi indigent, non à populo ex iuſtitia ſtipendium deberi, ſed eum ab ordinario ſumptus petere poſſe & accipere oportere; vt mirum ſit qua cæcitate dixerint Richeriſtæ, delegatum ab Ordinario in populi commodum miſſum, à populo ſtipendium ex iuſtitia exigere poſſe, & contrarium eſſe contra praxim omnium gentium. Ita ſe iuris gentium ignaros demonſtrant.*

Digitized by Google

Itane verò dum claudicas, dum ruis, dum priora flagitia poſterioribus cumulas, etiam *cæcitatis* & *ignorantiæ* Cenſores tuos accuſabis? vtinam cæcus eſſes: Non haberes peccatum. Nunc verò dicis quia video. Peccatum tuum manet. Non enim niſi vltore Deo, & incredibilem iſtam ſuperbiæ ignorantiæque ferociam ſeueriùs vindicante, tam longum errorum piaculorumque funem nectis, vt non tam *vltima primis reſpondeant*, quàm prima mediis, media vltimis, omnia omnibus; adeò non magis à te ipſo deſciſcere potuiſti, quã mutare poſſit Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas. Vt cætera penè omnia teſtimonia quæ toto opere tractare cæpiſti, ſic poſtrema iſta vitias, mutilas, inuertis, nec homines reueritus, neque Deum. In toto loco Gerſonis, nec vox, nec mentio *delegati* vlla eſt. Et tamen proferre audes Gerſonem quaſi ſcribentem in hæc verba, *delegatus dum ſpecialiter mittitur per ordinarium ſuum &c.* Et iterum, *Contrahitur quaſi paſtoralis obligatio in Doctore delegato*, cùm Gerſon habeat, *in præfato Doctore.* Audes quoque inſerere particulam, *tenetur ordinarius*, quæ in Gerſone nulla eſt; Iſtam contrà eradere, *in velamen ſui officij*, ita locum edens, *Nec enim dicere poteſt, quia nemo nos conduxit*, qui ſic edendus fuerat, *nec enim dicere poteſt in velamen ſui officij, quia nemo nos conduxit*; ne ſcilicet appareret Gerſonem de delegato non loqui, ſed de verum officium & ſtabile munus geréti. Quis

Ioan. 9.

Ierem. 13.

hæc ab homine ſano committi poſſe crederet, niſi videret, niſi legeret, niſi rei euidentiâ & credere & horrere cogeretur? Imò quis ſanum putet hominẽ, qui tanto dedecore & confuſionis quaſi diploïde ſe induens, tamen debacchetur in Cenſores vt *cæcos*, vt *ignaros*, vt *totidem penè verbis* à Gerſone reprobatos? Hæccine fouere ingenia, Ieſuitica Societas? Hæccine portenta in principem Theologorum Facultatem immittis, vt incredibili non ſani hominis impudentia, incredibilem ſcientiæ & ſapientiæ tuæ famam tueare?

Ipſa tantæ perfidiæ demonſtratione iacet argumentum quod à Gerſone petitum eſt. Patet Gerſonem nihil ad rem noſtram ibi loqui. Agit enim de Doctore Theologo cui Cancellarius nomine Pōtificis docendi facultatẽ largitur. Hunc ait non ideò iuberi docere; fieri tamen poſſe vt aliunde iubeatur, & docere debeat, multis modis; in primis dum ſpecialiter mittitur per ordinarium ſuum: *quo caſu*, inquit, *tenetur ei de ſuſtentatione ſua ſufficienter prouidere.* Quibus verbis non de ſimplici delegatione loquitur, ſed de miſſione ſtabili & permanente veri propriique officij, vt declaratur tum illis vocibus, *Qua data* (ſuſtentatione) *iā contrahitur obligatio quaſi paſtoralis in præfato Doctore*; tum ſequentibus, *Neque enim dicere poteſt in velamen ſui officij, Nemo me conduxit*; quas Spongia maligniùs expunxerat, ne Gerſonis mentem continuò videremus. Agit ergo Gerſon de Doctore Theologo quem Ordinarius Antiſtes ad munus docendi populum, iuſto attri-

buto ſtipendio, eligit, vt de Canonico Scholaſtico, ſeu Lectorali, ſeu Theologali, proüt varia nomina in variis regionibus ſortiuntur, qualis is cuius nomine Spongia in lucem emiſſa eſt.

Locum quoque D. Thomæ ridiculè Ieſuita peruertit. Diuus enim Thomas non de delegatis propriè locutus eſt, ſed generatim de Ordinariorum adiutoribus & miniſtris inferioribus, quos quiſque ordinarius ſibi adiungere debet in ordinarij ſui muneris ſocietatem, ſi paſcendo gregi minus ſufficiat, ſeu illi adiutores ad tempus, ſeu in verum officium aſſumantur, quales Parochi, Vicarij perpetui &c. Fruſtra enim viliſſimæ captiunculæ commento mutata eſt vocula ſancti Thomæ, ac pro *tenerentur Ordinarij Prælati alios ad hoc idoneos quærere*, à Spongia ſuppoſitum, *alios idoneos mittere*, vt de delegatis ſimplici miſſione deſtinatis, quales regulares eſſe ſolent; D. Thomas videretur egiſſe. Præterea S. Thomas dum aſſerit ſumptus eiuſmodi adiutoribus miniſtrari debere ab Ordinariis prælatis, loquitur de Ordinariis prælatis *qui propter hoc* (id eſt propter ſubuentionem populi) *decimas & oblationes fidelium recipiunt, & alios Eccleſiaſticos reditus.* Nam huiuſmodi Prælati, cùm iis abundè à populis præbeatur vnde eorum ſaluti ſubueniant, debent ſi per ſe non poſſint, aut ſi minus ſufficiant, adiutores ſibi & ſocios ſuo ſumptu conquirere, quorum operâ fiat ne bona pabuli copia gregi deſit. Nec populus iterùm nouo ſumptu premi debet, ſi omnia ad idoneam ſui paſtionem neceſſaria iam ſemel ſuppeditauit. Alioquin,

quin, quicunque Prælatus ea ſtipendia non percipit, quibus onera paſtoralia ferri poſſint, nulla lege quęrere cogitur ſuo ſumptu auxiliares paſtores, quorum ſubſidiis ea impleat quæ ipſemet perficere nequit. Hoc enim non ſolùm natiuo lumine notum eſt, ſed etiam omnium conſenſu, cùm nemo dubitet quin Parochus aut Epiſcopus, cui beneficium eſt tenuius quàm vt eo ſeſe alioſque ſuſtentet, nullo iure Vicarios minoreſque paſtores præbere debeat populo, quamuis indigenti, niſi eos ipſe populus alere & rebus neceſſariis inſtruere velit. Non enim tenetur pro grege ſumptum facere niſi pro modo ſtipendiorum & facultatum quæ ab eo ſuggeruntur, quia nemo, teſte Apoſtolo, *militat ſuis ſtipendiis vnquam.* 1. Cor. 9. Ac ſicut populus honorem paſtori debet, vt *euangelium annuntians de euangelio viuat*; Ita & omnibus qui ſub eo paſcunt, & paſtoralis officij onus ſuſtinent, quia *omnis operarius dignus eſt mercede ſua.* Luc. 10. Itaque locus ſancti Thomæ non ſolùm alienus à Spongia, ſed etiam contrarius eſt, veramque aperit cauſam cur Pontifex Epiſcopum in Angliam mittens, non ei debeat ſtipendium, ſed populus Anglicanus. Nam Pontifex nec *decimas*, nec *oblationes fidelium*, nec *reditus* vllos *Eccleſiaſticos* ex Anglia percipit; ideoque teneri non poteſt delegatos illic ſuo diſpendio alere; ſed diuinum naturaléque Anglicani gregis officium eſt, vt à ſummo paſtore delectos, & ad ſe legitime tranſmiſſos, pro facultatibus tueatur ac foueat.

Nec ſolùm delegati Pontificis qui ex Anglia nihil

Digitized by Google

percipit, ſed etiam, quod magis mirere, delegati Epiſcoporum Eccleſiaſticis bonis fruentium, à populis ad quos delegantur, alendi ſunt, præcipuè cùm ad ea delegantur, propter quæ ipſis Epiſcopis, ſi ea per ſe gererent, ſumptus præbendi fuerant. Sic enim ſtatutum eſt, vt Epiſcopo Diœceſin non viſitante, quemcumque ad id muneris ſuo loco delegarit, is eaſdem expenſas, ſeu victuales, ſeu pecuniarias, quas Epiſcopus viſitans caperet, exigere poſſit, quaſi Epiſcopi vicem gerens: quia, inquit Pontifex, *ſecundum Apoſtolum non eſt magnum, ſi ab eo metantur temporalia, per quem ſpiritualia ſeminantur.* Qua generali naturalique ratione in huiuſmodi cauſis iura ſemper vtuntur, aperte declarantia id quod delegans ipſe caperet, à delegato percipi poſſe, quòd laborem cui fructus ille debetur, ſuſcipiat. Ideoque cùm certum ſit Romanos Pontifices, ſi per ſe ea præſtarent, ad quæ Epiſcopum Chalcedonenſem in Angliam delegarunt, dignos fore mercede quæ operariis in Euangelio decernitur; ſequitur eũ Epiſcopum quem ad ea ſuo loco delegarunt, eadem mercede dignum eſſe, eamque illi ab Angliæ Catholicis Euangelico iure deberi.

C. ſi Epiſcopus de off. Ordin. in 6. Benedictus 12. extrauag. Vas electionis.

Luc. 10.

Quòd ſi pertinaciùs negare contendant Moliniſtæ delegatis nihil à populo deberi; dicant cur Apoſtolis deberentur ſtipendia, cur etiam diſcipulis aliis cùm à Chriſto *bini & bini* miſſi ſunt? Non enim fuiſſe ordinarios regionum ad quas mittebantur, facilè, ſpero, concedent. Quo iure igitur delegans eos Chriſtus neceſſaria ſumere iuſſit à populis, quaſi

Matt. 10. Luc. 10.

Digitized by Google

operarios dignos mercede? Ipſe potiùs ex doctrina Ieſuitica eos alere debuit. Imò Apoſtolos ipſos, etiam poſt Chriſti reſurrectionem, & aduentum Spiritus ſancti, vulgò negant *Ordinarios fuiſſe*, ſed ſolum *delegatos*, extra eas Eccleſias ſcilicet quibus fortè vt proprij Epiſcopi præerant, vt Iacobus Hieroſolymis, &c. Quo iure igitur ſtipendia à totius orbis Eccleſiis exigebant, vt toties clamat Paulus, Corinthiis apertè declarans, *Alias Eccleſias exſpoliaui, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum?* Quo iure tantum ſibi iuris tam magnifica oratione ſumebant, ſi delegatis nullum ius eſt à populo ſtipendia exigendi, ſed ſolis Ordinariis? Imò vt ſciant Ieſuitæ quàm fœdo in errore verſentur, diſcant ex ſcriptura, Non ſolùm delegatis deberi à populo ſtipendium, ſed etiam ipſi, ſi egeat, delegandi. Nam ſicut delegato debetur paſtionis ſpiritualis cauſâ, ſic & deleganti, qui etiam paſcit per delegatum, & ipſius delegatæ paſtionis autor & princeps eſt. Ac valet in eo perpetua illa lex de refundendis temporalibus in eos à quibus ſpiritualia manarunt. Ideoque Apoſtolus non ſolùm omnibus ad prædicandum Gentibus Euangelium deſtinatis deberi docuit temporale ſolatium, ſed etiam toti Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quòd ex ea primùm omnes Euangelij præcones prodiiſſent. Iuſſit inquam, *collationes fieri* non ſolùm in Præſules & capita Eccleſiarum Iudææ, ſed etiam in priuatos earum fideles, *in pauperes ſanctorum qui erant in Ieruſalem*, vt in partes ac membra eius Eccleſiæ, à qua Euangelij

Bellar. lib 1. de Rom. Pontif. c. 9. 23. &c.
Staplet. li 6. de princ. fid. Con. 2. c. 7.
2. Cor. 11.
1. Cor. 6. & 9. &c.
Rom. 15.

Digitized by Google

prædicatio manaſſet in Gentes, quamuis nec Euangelij prædicatores eorum omnium delegati eſſent, nec ab eis poteſtatem accepiſſent. Hoc enim vnum ſpectabat, eos eſſe de corpore eius Eccleſiæ, vnde Euangelij lux in gentium Eccleſias orta eſſet. Quo ſolo nomine, deberi à Gentibus illi Eccleſiæ, totique corpori ac membris illius temporale ſubſidium iudicauit. *Placuit enim illis*, inquit, *& debitores ſunt eorum. Si enim ſpiritualium illorum participes facti ſunt Gentiles, debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Quod de nulla Eccleſia ſimiliter dixit; quodque eius dictum alibi latiùs expendetur, & explanabitur ad normam antiquæ diſciplinæ. Quanto magis idem deberi cenſebat Præſulibus eius Eccleſiæ, qui in ea, vt alibi ait, *videbantur eſſe columnæ*, ipſique illius vertici Petro, *cui creditum erat Euangelium Circumciſionis?* Dubitari hac de re non poteſt. Quod ſi Paulo iudice debetur temporaria merces mittentibus & delegantibus Euangelij miniſtros; quanto magis miſſis ipſis & delegatis, quorum miniſterij laboriſque cauſa delegantibus ipſis debetur? Errant ergo grauiter admodum Moliniſtæ non ſolùm contra ius Gentium, ſed, quod multo grauius eſt, contra ius diuinum. *Errant neſcientes ſcripturas*, & niſi ferociſſimè cæcutirent, miſeratione digni eſſent.

Vid. Aug. lib. de oper. Mon. c. 15. & 16.

Ibid.

Galat. 2.

Matt. 22.

Digitized by Google

SPONGIA.

Nuntij Apoſtolici nonne delegantur in commodum nationum ad quas mittuntur, nec tamen à natione, ſed à pontifice ſtipendium habent? Proreges delegantur pro beneficio regnorum ad quæ deſtinantur, nec tamen à populis, ſed à regibus ſalaria accipiunt. Hoc tradunt etiam Canoniſtæ in Cap. Si Epiſcopus, de officio Vicarij, *in 6.* Epiſcopum teneri Vicario ſuo (*qualem ſe eſſe contendit D. Chalcedonenſis*) congruum ſalarium conſtituere, quod procedit etiam ſi non ſit conuentum de ſalario. *Addunt,*[a] Si delegatus habet proficiſci, & ſit ita impotens vt non poſſit ſuis expenſis itinerare, poteſt à principio petere expenſas itineris. *Ita Abbas in cap.* Prouidentiæ *n. 23. extra* de officio delegati, *ſignificans ſi à principio non petat, poſtea petere non poſſe. Ibidem* § adiicimus, *dicit idem Abbas,* delegatum non teneri exequi delegationem cũ admodum graui damno rerum ſuarum, poteſt tamen Papa eum abſolutè cogere ad acceptandum. *Hoc ſupponit delegatum à delegante ſalarium petere oportere, ac cogi poſſe delegationem ſine ſalario acceptare. Quantò magis ſtipendium non debetur ei delegato qui delegati onus ſine vlla vi aut coactione acceptauit, nulla mentione facta ſtipendij, metu ne forte ea de cauſa delegatio non tam facilè concederetur. Denique cùm ſit in Anglia capitale R^mo. Chalcedonenſi aliquid ſtipendij præſtare, non poſſunt vniuerſim Catholici ad id cogi. Eius opera qui vtuntur, debent ipſi de neceſſarijs, ſi egeat, prouidere; ni faciant, opem ſuam ſubtrahere poteſt. Qui eius*

[a] *Lalius Zecchius de Rep. Eccleſ. c. 23. de officio Vicarij n. 4.*

opera non vtuntur, nihilque ab eo beneficij percipiunt, vt cum vitæ fortunarumque diſcrimine in eius ſtipendium ſymbola conferant, quis cogat? Ineptum eſt Pariſienſes de rebus Angliæ affirmare, quas neſciunt.

Responsio.

Quid ais imperitiſſime ſimulator? Qua veſte miſerum Loëmelium induis? Homo ne Belga, Antuerpienſis, Canonicus Lectoralis, Pariſienſes arguat *de rebus Angliæ affirmare quæ neſciunt*; ideoque *ineptos* vocet? Scilicet Antuerpienſes peritiores ſunt rerum Anglicanarum, quàm Pariſienſes, apud quos innumera omnis generis Anglorum aduenarum frequẽtia verſatur, & ex Anglia quotidie affluit. Scilicet Ieſuitæ pauculi Audomarenſe oppidum, & in eo Canonicum Lectoralem Loëmelium, fideliùs ac pleniùs rerum Angliæ ſtatum edocent, quàm tot grauiſſimorum teſtium & nuntiorum authoritates, qui ex Anglia Lutetiam, Lutetia in Angliam aſſiduè commeant. Quid hac ineptia ineptius? Quid minus Ieſuitico ingenio congruum? Quis in turpi laruа vocem Angli hominis, Ieſuitæ ad malitiam malè eruditi, ſcenici tyronis, veræ Spongiæ, non exaudit? Non es fortaſſis culpandus, Ieſuita *Floyde*, quòd ſiniſtram mentem, debile iudicium ſortitus es; ſed grauiter vapulare mereris quòd tam inops, tam hebes, tam ridiculus, in aſpectum orbis prodire ſuſtines, virorumque ſummorum, Epiſcoporum, Theologorum arguendorum licentiam inuadis; nec te ipſe tuo ſaltem metiri pede, in illa tantæ

perfectionis arrogatrice Societate condiſcere potuiſti.

Quis iam cætera miretur? Quid magnum, ſi in maioribus perpetuò deſipias, qui in minimis vſque adeò fœneus es? Quas enim crepundias, quæ nugamenta ſola ignorantia grauia profers, in rei grauiſſimæ probationem, in iuris ac prærogatiuæ delegatorum Pontificiorum examen? Probas delegato ſtipendium à delegante deberi, non ab iis in quorum commodum delegantur, quia *Nuncij Apoſtolici delegantur in commodum nationum ad quas mittuntur, nec tamen à natione, ſed à Pontifice ſtipendium habent.* Loquere planius: Quid muſſitas? Quid times? Teneturne Pontifex Nuntiis in commodum populorum deſtinatis ſtipendium dare? Nihilne Nuntius ita miſſus, ab eis ad quos mittitur ſuo iure exigere poſſet? Nam quod nihil exigant, aliæ poſſunt eſſe cauſæ, ipſorum humanitas, indulgentia Pontificis, peculiaris ratio negotiorum ſedis Apoſtolicæ, cui expedire viſum eſt ne Nuntij quicquam niſi ab vnico Pontifice recipiant, exigant, ſperent. Grauiſſimis enim de rebus mittuntur, in quibus Pontifices eorũ ſibi animos omni ratione obſtringendos eſſe prudenter admodum cenſuerunt. Eandem ob cauſam legati Apoſtolici nihil omnino præmij niſi à Pontifice à quo legati ſunt percipere ſolent, quamuis conſtet ac notiſſimum ſit eos olim percipere conſueuiſſe, præcipuè ſi in vtilitatem populorum mitterentur: Cuius rei nulla vſquam luculentiora teſtimonia extant quàm in hiſtoria Anglicana, vt alibi

Digitized by Google

commodiùs explanabitur. Semper enim valet naturalis illa lex, Apoſtoli authoritate ſancita, *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam?* Et, *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?* Neque hoc ius legatorum Pontificiorum à quoquam hactenus in dubium vocatum eſt, quia adeo lumini naturali, iuri, ſcripturis conſonat, vt nemo de eo controuerſiam mouere tentarit, ſi modò tale ius intra iuris & æqui limites contineatur. Atque idem iudicium eſt de Nuntiis Apoſtolicis, qui ſimiliter veri ſunt [a] legati Pontificis, etſi minus ſolemnes, quàm ij quibus nomen iſtud iam propriè relictum eſt, quos [b] *Legatos à latere* vocant. Nuncios enim nunc dicimus quos Græci olim [c] Ἀποκρισιαρίους, Latini *Reſponſales* dixerunt, vt ex [d] Gregorio patet, qui ſeipſum eo munere Conſtantinopoli olim functum [e] eſſe teſtatur. Vnde licet tum Legati, tũ Nuntij Apoſtolici, ſingulari Pontificum ſapientia, & Eccleſiaſticæ moderationis exemplo, tamdiu nihil à populis ad quos emittuntur exegerint, vt hæc eorũ natiua poteſtas apud imperitiores exoleuiſſe videatur, & longa deſuetudine quodammodo euanuiſſe; Non tamen ideo non ineſt in ipſo eorum munere, eique per ſe competit, niſi eorum humanitate, paternaque Sedis Apoſtolicæ indulgentia, iam remiſſa videretur. Plenæ ſunt Pontificum Decretales, totumque ius Canonicum, clariſſimis de hac re conſtitutionibus, præcipuè totis titulis de Cenſibus, in quibus apertæ & expreſſæ, quoquò oculos coniicias, occurrunt leges de Legatis & Nunciis Apoſtolicis

procu-

1. Cor. 9.

a Vid. c. excommunicatis, de off. Legati. Et c. cum parati de appellat.
b Concil. Sardic. c. 5.
c Nouell. 6. c. 2. & 123. c. 25. 1. q. 7. c. conuenientibus. Et c. ſignificaſti. de elect. &c.
d Greg. l. 2. ep. 7. Indict. 11. & lib. 6. ep. 31.
e Præf. in Iob.

Digitized by Google

procurandis, ſeu alendis; idque non ſolùm populi, ſed etiam Clericorum, Præſulum, & regularium ipſorum ſumptibus, indicta in recuſantes pœna grã-ui. Neque tam apertas & tam crebras leges exſcribere attinet; quas Ieſuita violare & frangere niſi ſumma ſtupidaque inſcitia non potuit, nempe non conſulto, neque lecto vnquam Pontificio iure, cùm ipſis corporis oculis tantam mentis oculorum cæcitatem ſanare licuerit. Sed Ieſuita ſibi fas putat iſta aliaque ignorare, & dum Epiſcopo Chalcedonenſi obſtrepat, in ipſas etiam Legatorum & Nuntiorum Apoſtolicorum dignitates ſolita temeritate irruere.

Vid. titulos de Cenſ. paſſim, Clem. ad noſtram, &c.

Quamquam non parum inter Legatos Nuntioſque Pontificis, & inter Epiſcopum Chalcedonenſem intereſt. Legati enim & Nuntij non ad curam & miniſterium plebis, vel ad perfungendas Paſtorum ordinariorum functiones mitti ſolent, ſed ad negotia quædam aliuſmodi, Apoſtolicæ ſedis dignitatem, & Eccleſiæ vniuerſæ bonum magis ſpectantia, quamuis eis poteſtas etiam in fideles ad quos deſtinantur tribui ſoleat. Epiſcopus verò Chalcedonenſis ad nullius niſi Eccleſiæ Anglicanæ propriam vtilitatem & ſolatium, ad explendam Epiſcoporum tot ab annis in Anglia penuriam, ad obeundas tota Inſula vniuerſas Ordinariorum functiones, miſſus eſt; ideoque ſingulari præ cæteris delegatis Pontificiis iure ſtipendium ei honorarium ab iis ad quos miſſus eſt, tanquam Catholicorum totius Angliæ Epiſcoporum gerenti quodammodo vicem & pa-

ternam prouidentiam repræſentanti, debetur. Eſt enim obſeruandum, eos qui à Sede Apoſtolica ad propriam Eccleſiarum vtilitatem ex profeſſo mittuntur, ſemper ab Eccleſiis ipſis expenſas capere conſueuiſſe: Non ita verò eos qui ad Sedis Apoſtolicæ negotia præcipuè deſtinabantur, quamuis ſimul, quaſi ex occaſione, & ăd eorum dignitatem augendam, aliqua iis in particulares Eccleſias poteſtas mandaretur. Sic ij quos olim vocabant defenſores Eccleſiarum, dė quibus in Concilio [a] Carthaginenſi 5. mentio eſt, quod munus D. Sebaſtiano à Caio Pontifice [b] primùm collatum ferunt, cùm mittebantur in prouincias ad tuendum illic procurandumque Eccleſiæ Romanæ [c] patrimonium, etſi aliqua eis in Clerum & Epiſcopos prouinciales cura poteſtaſque [d] traderetur, tamen non ab Eccleſiis prouinciarum, ſed à conſtituto illic Eccleſiæ Romanæ patrimonio, ad quod gubernandum principaliter mittebantur, neceſſarios ſibi ſumptus [e] capiebant, ipſo D. Gregorio teſte. Epiſcopi verò qui à Sede Apoſtolica in aliorum Epiſcoporum Diœceſes, viſitationis & diſciplinæ conſeruandæ cauſa per varias regiones deſtinabantur, quamdiu in quaque Diœceſi erant, oblationes populi [f] æqualiter cum Epiſcopo partiebatur. Qui autem Epiſcopi ad ſuſcipiendam Eccleſiæ alicuius Epiſcopo deſtitutæ curam, quoad proprius ei Eccleſiæ Epiſcopus præficeretur, mittebantur, ij quartam partem popularium oblationum, quæ proprio Epiſcopo ex antiquo more de-

[a] *Cōc. Carth. 5. can. 9.*
[b] *Vid. Acta S. Stephani apud Baron. ann. 286.*
[c] *Greg. l. 4. ep. 27.*
[d] *Idem l. 4. ep. 24.*
[e] *Idem ibid.*
[f] *Idem l. 5. ep. 42.*

Digitized by Google

bebantur, percipiebant, eodem [t] Gregorio authore. Atque hæc eſt cauſa Epiſcopi Chalcedonenſis in Anglia à Pontifice delegati, vt Eccleſiæ illius propriis Epiſcopis Catholicis iampridem orbatæ curam ſuſcipiat. Cui ideò eadem quæ propriis Epiſcopis ſubſidia à Catholicis Angliæ deberi, manifeſtum eſt. *t Idem l. 4. ep. 12.*

Quod addit de Proregibus, quibus à prouinciis nihil præberi ſolet, ſed ab ærario Principis; leuiſſimum etiam eſt. Nam prouinciæ vectigalia principi tributáque conferunt, quibus ad commodum tranquillumque earum regimen vtatur, ideoque hoc ſumptu impenſo nihil vltra debent Præſidibus, quorum ſtipendia iam principi perſoluerunt. Non ſic Eccleſia Anglicana Pontifici ſuppeditat, vnde eam vel paſcat & regat ipſe, vel aliis paſtoribus, aut præſidibus paſcendam deleget. Vnde manifeſtum eſt nullum hîc elucere ius, quo delegatorum ad gregis Anglicani ſubſidium Paſtorum ſtipendia à Romano Pontifice repetantur. Quamquam neque Prouinciæ ab omni in præfectos ac Proreges ſumptu ſunt immunes, quorum multa in eas iura eſſe ſolent, & multæ, ſi non ſigillatim in capita, aliis certè nominibus, non obſcuræ nec tenues exactiones. Quare hoc quoque argumentum, quoque modo ceperis, labile & vacuum eſt.

Quid dicam de Canoniſtarum teſtimoniis, imperitiùs an ſtolidiùs recenſitis? Dicant Canoniſtæ quàm volent, *Epiſcopum teneri Vicario ſuo congruum*

ſolatium conſtituere. Quid hoc ad Romanum Pontificem, qui Epiſcopo maior eſt; qui nihil ex Anglia percipit, cuius cauſa Vicarios in Angliam ſuo ſumptu tranſmittere teneatur? Nam de Epiſcopis reditus Epiſcopales in Eccleſia pacata colligentibus, quales eſſe ſolent Catholici Epiſcopi, loqui Canoniſtas minimè dubium eſt; nec hac lege conſtringere Epiſcopum, cui nihil ab Eccleſia conferatur. Quo enim iure talis Eccleſia ſumptum à tali Epiſcopo in ſuum ſubſidium poſtulet? præcipue ſi ipſa habeat vnde ſumptum illum miniſtrare poſſit? Ridiculum eſt talia à Ieſuita in re graui obiectari.

Neque verò hoc ipſum quicquam eſt ad Epiſcopum Chalcedonenſem, quem Ieſuita falsò ait, *contendere ſe eſſe Pontificis Vicarium.* Nam is contrà ſe Ordinarium, ſeu Ordinaria pleniſſima poteſtate, licet extraordinaria ratione & delegatione Pontificis conceſſa, præditum aſſerit: Vicarium autem negat eſſe, atque adeò delegatum, quales vulgò eſſe ſolent; quia his poteſtas nulla ſit propria, ſed penitùs aliena, & ipſa illius cuius Vicarij aut delegati ſunt. Ipſi autem non ſit data poteſtas ipſius Pontificis, ſed longè minor & inferior, qualis videlicet eſt omnium in ſuis Diœceſibus Ordinariorum. Hæc publica eſt Epiſcopi Chalcedonenſis declaratio in epiſtola illa ad Vniuerſos Angliæ Catholicos iam citata, quam mirum eſt à Spongia diſſimulari, & aduerſus eam falſa epiſtola imputari.

Digitized by Google

Habes, lector, Ieſuiticas ſoliditates, quibus res tanti ponderis aduerſus tantam Epiſcoporum Theologorumque ſocietatem ſtultiſſima ignorantia defenditur, delegato ſtipendium non eſſe pendendum à populo ad quem delegatur. Audi deinceps acumina quibus efficere volunt ne à delegante quidem Pontifice iam deberi ſtipendium vllum Epiſcopo Chalcedonenſi. Maligni enim miſerique homines hoc vnum agunt vt ſi aliter non poſſint, humano cum omni ſolatio, tum eorum ad quos miſſus eſt, tum illius à quo miſſus, expolient, maliſque & inopia ſubactum cedere loco cogant & Anglia exulare. Epiſcopum enim cui vel in ſpeciem ſubſint, à quo regantur, ſolitâque minuantur licentia, nullo pacto ferre poſſunt. Oderunt, auerſantur, & ideo quacunque ratione ex oculis amotum expetunt.

Cæterùm ridicula ſtropha aditum ad Pontificiam benignitatem ei præcludere parant, ne à Catholicis Angliæ excluſus, ad Pontificem videatur remitti vt debitorem, tantique debiti vel neſcium, vel fruſtratorem. Nam cùm ad Catholicos ab eo iuuando deducendos, perſuadere velint delegantem delegato ſtipendium debere, proindéque Pontificem Epiſcopo Chalcedonenſi, non populum Anglicanum; Tamen vt odium Pontificis quod tam audaci doctrina meruere, declinent, qua iniquum ei onus, & grauem in Epiſcopum iniuriam, & inſigne opprobrium imponere, non horrent; Addunt, delegatum poſſe expenſas petere à delegante initio delegationis; Niſi tum petierit, poſtea petere non

Digitized by Google

poſſe; Ideoque Epiſcopum Chalcedonenſem, qui cùm primùm delegatus eſt, nihil à Pontifice petiit, nunc nihil ab eo exigere poſſe. Mira diſputatio & impudens! delegato Epiſcopo & deleganti Pontifici contumelioſa; indigni ludibrij pleniſſima! Quibus autem argumentorum machinis extruitur? Quo artificio concinnatur? Videte, obſecro, ſtupiditatem incredibilem, & mentis ad omnia cæcitatem. Explodendum & in primis exſibilandum cauillum afferũt, nimirum dictum Abbatis, *delegatum*, ſi ſit inops & impotens, *ſumptus itineris ab initio petere poſſe;* Ex quo colligere audent, ſi id initio non fecerit, poſtea petere non poſſe. O Moliniſtas dignos Spongiarum opifices! Primò, quonam modo conſentit hæc illatio cum doctrina ex Canoniſtis paulo antè relata, *Epiſcopum teneri Vicario ſuo; quod procedit etiamſi non ſit conuentum de ſalario?* Qua mente dicitur deberi ſalarium, etiamſi de eo non ſit conuentum; & ſimul, peti non poſſe, ſi ab initio non petitum fuerit? An de Vicario hoc verum eſt, non de delegato? Quid ais in iſta cogitationum tuarum confuſione, Spongia? Sed eſto, Ne petere poſſit ſumptus itineris qui ab initio non petiit; hoc tibi, quod abſurdiſſimum dictu eſt, concedamus; quis tamen mortalium inde inferat, delegatum eiuſmodi nullam prorſus aliam delegationis impenſam exigere poſſe? De viatico loquitur Abbas, non de ſtipendio ſtabili & perpetuo delegati, quo, poſtquam eò quò miſſus eſt, peruenerit, delegationem obeat. Faciliùs enim inuenias qui expenſas itineris ferre velint, aut

poſſint, quàm qui totius, longę interdum ac moleſtæ, legationis. Et conſtat ſubinde Principes viaticum legatis variis de cauſis non præbere, ſicut nuper perilluſtri cuidam contigiſſe nouimus, quibus tamen conſueta ſtipendia annua dependunt. Obtuſa igitur & ridicula eſt Ieſuitica illuſio & craſſiſſimæ Spongiæ coronidi aptiſſima.

Neque viaticum negari poſſe delegato, præſertim tenui & inopi, inferre licuit ex dicto Abbatis, niſi homini qui nihil ſana mente loqui decreuerit. Qua enim lege colligas, viaticum, quia initio peti poſſit, poſtea peti non poſſe? Cui cerebro hæc oratio conuenit? Quam in mentem cadit hæc cogitatio? Colligatne homo quiſquam, artificem, quia priuſquam opus inchoet mercedē paciſci ac petere poteſt; niſi id fecerit, perfecto opere nihil exigere poſſe? Contrarium ex Abbatis dicto inferri debuit. Is enim diſertè loquitur de homine ita impotenti, *vt non poſſit ſuis expenſis itinerari*; vt doceat, non eum petere poſſe expenſas itineris; Hoc enim eiuſmodi homini proprium non eſt, ſed omnibus legatis & delegatis commune, qui ſeu diuites ſint, ſeu inopes, tum ſtipendium tum viaticum petere poſſunt, quia nullo iure in alienum commodum expenſas ferre coguntur, & naturali iure ab eo cui præſtant operam, ſi non mercedem, ſaltem neceſſarios ſumptus poſtulare poſſunt Non igitur de homine inopi & impotente ſpeciatim docere voluit Abbas, eum viaticum petere poſſe, de quo nullum dubium eſſe poterat; ſed petere poſſe, & ſibi poſtulare præberi,

Digitized by Google

etiam ab initio, antequam det ſe in iter, quia nempe impotens & egenus eſt, nec longiorem ſolutionem expectare poteſt, quemadmodum locupletiores, quibus minus neceſſe eſt præ manu dare viaticum, quia illud ſua copia interim ſupplere poſſunt, donec ſuo tempore ſoluatur. Quamquam his ipſis id rarò admodum præcipi poteſt, niſi fortè in minoribus delegationibus. Pauci enim ſunt qui ſine graui rerum ſuarum detrimento legationem longinquiorem & ſolemniorem ſubire valeant, niſi & viaticum & ſtipendium maturè repræſententur.

Spongia tamen addit alium locum Abbatis de detrimentis etiam delegatorum, vbi Abbas ait, delegatum *non teneri exequi delegationem cum admodum graui damno rerum ſuarum; Poſſe tamen Papam eum abſolutè cogere ad acceptandum.* Ex quo iterum mirabili ſuo acumine colligit, *delegatum à delegante ſalarium petere oportere, ac cogi poſſe delegationem ſine ſalario acceptare.* Iam iam cum ſano homine negotium mihi non eſſe video. Quid enim collectio iſta ad locum Abbatis, vbi de ſalario nihil, nec de ſtipendio, nec de neceſſario ſumptu, ſed ſolùm de graui aliquo damno delegati quod ex delegatione emergat? Nos verò non de damno iacturaque delegati, ſed de alimento eius ac ſtipẽdio neceſſario agimus: & quamuis Abbas putet delegatum cogi poſſe delegationẽ accipere, etiamſi damnum inde rebus eius enaſcatur; Non tamen ait cogi poſſe ſine ſtipendio. Imò neque ait cogi poſſe cum damno illo graui, ſi Pontifex id præſtare ſarciréque nolit. Aliud enim eſt cogere

gere hominem ſubire damnum; aliud, cogere ſubire ſine ſpe recuperandi amiſſa. Non enim quilibet alium cogere poteſt vt iacturam ſuſcipiat, quamuis eius compenſationem polliceatur; quia quiſque dominus eſt rerum ſuarum, & in eas plènam liberamque habet poteſtatem. Hoc ſolus Princeps poteſt, ſi publica neceſſitas poſtulet. Cogere autem aliquem ſuſcipere graue damnum, quod nullo modo ſarciatur, vix ipſi principi licitum eſt, & rariſſimè conceditur, quia violentam dominationem ſapit.

Itaque clarè cernitur pleniſſima & cumulatiſſima Spongiæ futilitas, indigna non ſolùm accurata confutatione, ſed etiam leuiſſima quauis lectione, & omni eruditorum ſanorumque memoria. Nuſquam effugere poteſt. Fatendum eſt ſtipendium delegato ab iis ad quos mittitur deberi: vel ſi hoc fateri non vult, neceſſariò fatendum ab eo deberi à quo mittitur; Atque ita Epiſcopum Chalcedonenſem, quem à Catholicis Angliæ neceſſariis rebus inſtruendum negat, eos exigere poſſe à Romano Pontifice vt vero earum debitore, quem ideo magnæ duritiæ, magnæ iniquitatis inſimulat, quamuis criminis tanti magnitudinem diſſimulare conetur ſtupida cauillatione iam diſſipata, quæ nihil niſi æſtus eius & miſeræ mentis Scyllam inter & Charibdin fluctuantis anguſtias indicat.

Grauius omninò in Pontificem petulantia, & magna inſultatio eſt, quòd in orbis oculis ab homine profeſſione Catholico ſcribitur, cum in Angliam miſiſſe Epiſcopum, Epiſcopali poteſtate inſtructū,

Digitized by Google

ſine vllo ſubſidio, ſine humana vlla ope, cùm tamen ei ſtipendium vt ſuo delegato deberet: Atque adeò ita deſtitutum miſiſſe, quamuis ſciret (niſi fortè Ieſuiticam doctrinam non nouit) fore vt in Anglia nihil ei à populo Catholico deberetur, proindéque nihil ei ſuppeteret, quo aliquam ſtatus Epiſcopalis dignitatem, variaque eius onera tueretur. Ita nempe carpitur Pontifex, non ſolùm quaſi Epiſcopum ſit fruſtratus; ſed etiam quaſi Epiſcopalem dignitatem ad inopiæ contemptuſque pericula, in mediam hæreticorum regionem proiecerit. Imò ipſa Ieſuitæ excuſatio multo grauius eum violat, quòd ſcilicet Epiſcopus Chalcedonenſis *delegationem acceptarit nulla mentione facta ſtipendij, metu ne fortè ea de cauſa delegatio non tam facilè concederetur.* Quid enim indignius dici potuit in ſummum Pontificem, quàm eum non ſolùm non daturum eſſe ſua ſponte delegato ſtipendium, quod iure deberet; ſed etiam, ſi peteret, negaturum eſſe? Ac, ne tantulum debitum perſoluere cogeretur, Eccleſiam Anglicanam perpetuò orbaturum eſſe iis ſolatiis, *quæ cæteri Eccleſiæ filij Epiſcoporum miniſterio percipiunt*, quibus eos tamdiu per hæreſis violētiam deſtitutos *non ſine viſcerum ſuorum commotione conſideraſſe* declarat? Quid acerbius, quid ingratius in ſedem Apoſtolicam, cuius paterna cura & prolixiſſima benignitate tot tantiq; ſumptus in Eccleſiæ Anglicanæ ſubſidia, in paſtorum Anglicanorum educationem effuſi ſunt, non ſolùm hoc æuo, ſed iam olim ab initio reſtitutæ in Anglia religionis, quo tempore Seminarium An-

In Breui 4. Feb. 1625.

Digitized by Google

glorum in Gallia noſtra à Sede Apoſtolica conſtitutum fuiſſe teſtatur ipſe D. Gregorius. Quanta porrò, non tam in Epiſcopum Chalcedonenſem, quam in prudentiam quoque Pontificiam proteruia, quòd Epiſcopus, quem Pontifex ſummo iudicio ex tot Anglicanæ nationis ſummis viris delegit, quem Epiſcopalibus virtutibus ornatum eſſe teſtatus eſt, quem nec opinantem tanto honore affecit, dicitur ſtipendium non petiſſe, *ne fortè ea de cauſa delegatio non tam facilè concederetur?* Vbi prudentia Ieſuitica? vbi nota illa calliditas, in tanta offenſionum, lapſionum, contumeliarum euidentia, multitudine, hebetudine? Hæccine oratio eſt Apologiſtæ Pontificij? Hæccine reuerentia ſedis Apoſtolicæ, qua regimen eius apud Anglos defenditur? Quiduis potius admittendum, perferendum fuit, quàm vt iſta tam procaciter, non in Epiſcopum Chalcedonenſem, ſed in Romanum Pontificem ſcribendi neceſſitas adiretur. Quouis incommodo redimenda fuit tanta labes, ſi Ieſuitæ ſuis commodis, ſuis ſtudiis, vllam rem, vel ipſum Romanum Pontificem, præponere conſueuiſſent. Quid autem Romanum Pontificem dico? Nec ipſi Deo diuiniſque legibus parcere poſſunt, niſi ipſis vltrò faueant, ſi tantulùm aduerſentur. Ait enim vltimò Spongia, & hoc ſibi pro colophone imponit, *Catholicos Anglos cogi non poſſe aliquid ſtipendij Epiſcopo Chalcedonenſi præſtare, quia hoc in Anglia capitale ſit.* Ergo ne humanæ Angliæ leges diuinis Chriſti legibus à Ieſuitis præferentur? Non enim Epiſcopus Chalcedonenſis, non

D. Greg. lib. 5. ep. 10.

Pontifex, non quiſquam alius cogit, ſed ipſe Deus
1. Cor. 9. *ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant de Euangelio*
Luc. 10. *viuere;* quia *dignus eſt operarius mercede ſua.* Hac lege Catholicos Angliæ tot ante ſæcula obſtrinxit Chriſtus; Ieſuitæ, hæretici vlli, aut vllæ inferi portæ ſoluere poterunt? Soluant eos eadem opera neceſſitate Chriſtianæ religionis; Eliminent Eccleſiæ Chriſtianæ myſteria; Quia & hoc iubent Anglicanæ leges, & quicquid ſecus fit, capitale habent. Qua enim lege ad religionem Catholicam, eadem ad neceſſariam miniſtrorum illius paſtorumque ſuſtentationem adiguntur fideles, non ſolùm Angli, ſed etiam vniuerſi: quia ex miniſterio religionis naſcitur naturali & diuina lege debitio ſtipendij, quam ideo nulla humana lex magis abolere poteſt, quàm ipſam tuendæ religionis obligationem. Hæc enim duo inſeparabili vinculo connexa ſunt, Paſtorum neceſſitas, & eorum alendorum ſuſtentandorumque obligatio; neque vnquam ab initio Chriſtianæ religionis diuulſa fuerunt. Teſtis tota antiquitas;
a Tertull. Apol. c. 39. b Aug. hom. 50. lib. 50. hom. & ſerm. 1. de com. vit. cler.
Teſtis in mediis perſecutionibus [a] Tertullianus. Teſtis [b] Auguſtinus, qui ideo Chriſtianum populum, *ſtipendiariam multitudinem, & quandam prouinciam magni Regis*, vocare non dubitauit. Teſtis ipſe Apoſtolus, cuius præter tot citata loca, notanda eſt illa vox, *Communicet* enim inquit, *is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis.* Ne
Galat. 6.
quis enim fallaciis & ſuffugiis Ieſuiticis hoc debitæ humanitatis officiũ detrectaret, ſubiicit diuinæ ſanctionis cõminationẽ, *Nolite errare, Deus non irridetur:*

Digitized by Google

Acriùs & vehementiùs hoc inculcans quàm alia ſolet, quia vafrities technaſque varias, quibus in hoc potiſſimùm genere homines vſuri eſſent, proſpiciebat: Quibus ideo irrideri Deum, vtcumque hominum iudiciis ſatisfiat, ſed non impunè irridendum eſſe, præmonuit. Videant igitur Ieſuitæ, non enim aduertiſſe videntur, quem in locum religionem Chriſtianam redigant, ſi ideò Paſtoribus ſtipendia legitima præſtanda eſſe negent, quia id humanæ leges vetuerunt. Nihil videlicet laborandum eſſe fidelibus innuunt de toto propemodum vſu religionis, quia etſi præcipua eius præcepta tulit Deus, humanæ in Anglia leges ea prohibent, nec ſeruari patiuntur ſine imminenti fortunarum capitiſque diſcrimine. Ipſi autem diuinas leges hominum legibus poſtponendas eſſe volunt, *hominibus magis obediendum eſſe* docentes *quàm Deo*, contra inſignem illam publicamque Apoſtolorum apud infideles perſecutores profeſſionem. Quam quæſo his authoribus obedientiam à fidelibus Angliæ ſperabit Pontifex, qui ne Deo quidem eam exhiberi ſinunt, ſi quid præcipiat quod leges Angliæ vetent, aut potiùs quod eorum ſenſibus commodiſque aduerſetur? Inijciat maturè frænos audaci mentium indomitarum licentiæ, quæ dum ſuis vela pandunt affectibus, nec Deum, nec homines reuerentur, & quicquid concitatæ eorum libidini officiat, ſine metu, ſine pudore perrumpunt.

Act. 5.

Digitized by Google

SPONGIA.

EPILOGVS.

Hæc opinor ſatis probant quàm ſit indocta ineptaque, quæ Pariſienſis Facultatis nomine aduerſus Apologiam Cenſura emanauit. Neque ipſi moleſtè ferre meritò poſſunt, ſi quantum veritas patiebatur, illius indignitatem calamo abſterſorio executus ſim, Spongiamque nonnunquam aqua non ſimplici, ſed aceto mixta, quò penetraret intimiùs, impleuerim. Vni Catholicorum gentium Theologi, ſui nominis vmbram Regularium famæ pro fide Catholica apud Anglos Hibernoſque laborantium, obterendæ cauſa, maleuolis accommodarunt, & ſe omnis Cenſuræ expertes fore arbitrati ſunt? Quæ dixi tamen de Richeriſtis tantùm, vt initio monui, dicta ſunto, non de reliquis puræ fidei magiſtris, quos veneror ac colo. Remedium facultas, ſi placet vti, habet ad manum, ſe deceptos à tribus maleuolis, quod res eſt, fateantur; ſe propoſitiones ipſorum fide collectas damnaſſe; Cenſuras quas ipſi pro ſuo ingenio & voto appoſuerant, approbaſſe. Ita à Facultate in veros Cenſuræ authores dedecus tranſcribetur.

RESPONSIO.

Hæc clauſula & Epilogus Spongiæ, quo peior, & melior, quo ineptior eo aptior eſt. Qui ſuperiores eius ſermones, noſtraque reſponſa legerit, facilè agnoſcet in vnum hoc loco congeſtam mendarum ineptiarumque omnium, quas toto opere ex-

Digitized by Google

ploſimus, ſummulam, nec fieri potuiſſe ab accurato artifice expreſſius earum ſpecimen, quàm à Spõgia oſcitante perfectum eſt. Quàm illud perpetuo eius iudicio conuenit, quod Pariſienſium Theologorum Facultatem, adeoque tot ampliſſimos Epiſcopos hortatur, *Fateantur ſe à tribus maleuolis deceptos, ſe propoſitiones ipſorum fide collectas damnaſſe, Cenſuras quas ipſi pro ſuo ingenio & voto appoſuerant approbaſſe*? O bonâ mens! Quàm homines malos auerſaris! Quàm eorum conſilia deſeris! Si enim mali ſaperent, nullus innocentiæ tutus locus eſſet, aut fidei, aut veritati. Nunc eam ſtolidam exhibet, & omnibus ridiculam Deus, vt boni ſint quietiores, alij eam aſpernari incipiant. Nos Ieſuitæ prudentius conſilium dabimus, vt cùm primùm ſua vitia in lucem eruta, & omnium oculis propoſita viderit, fateatur quod res eſt, ſe Spongiam non feciſſe, non eſſe authorem, ſe inſcio & inuito emanaſſe. Quod enim emota mente fit, non fit ab homine; Ab animali fit, & ab animali rationis experte, infræni, turbido. Mens enim cuiuſque, is eſt quiſque. Mentis autem veſtigium tam in Spongia nullum eſt, quàm nauis in mari, quàm aquilæ tranſuolantis in aëre.

Quid de illo artificio dicam toties à Ieſuita inculcato, toties à nobis abiecto, deriſo, difflato, quo graues & atroces contumeliæ frigidis lenimentis, ſimulatis laudatiunculis, aſperguntur? Quaſi conſciſſa probris Pariſienſi Facultate, ſatis eſſe poſſet ſano cuiquam Ieſuiticæ maledicentię purgationem,

ſi modò adiiciatur, ea dicta *de Richeriſtis tantùm, non de reliquis puræ fidei magiſtris, quos Ieſuita reuereatur & colat.* Nonne hæc eſt ipſa illa obtuſa petulantia, qua totam Spongiam tumere mirati ſumus?

Quod autem facultati hoc ſolùm vitio datur, quòd *vni Catholicarum gentium Theologi, ſui nominis vmbram Regularium famæ pro fide Catholica apud Anglos Hibernoſque laborantium, obterendæ cauſa maleuolis accommodarunt*; ideoque *Cenſuræ expertes eſſe* non potuiſſe dicuntur; Quid hoc aliud eſt niſi ille ſuperbiæ typhus, & Moliniſticus gloriæ amor, quem Spongiæ medullam & quaſi animam dixeris, vnde motus eius omnes ſenſuſque manarunt? Quid hoc aliud eſt, niſi ſtultus ille & arrogans Societatis zelus, quo nihil ipſi par, nihil ſimile, nihil non inferius & abiectius, nihil quod præ gloria eius non negligendum ſit, exiſtimant? Quo omnia verti ac ruere ſatius eſſe ducunt, quàm vt quicquam de ſplendore Societatis, ſeu iure, ſeu iniuria, minuatur?

Cernitur etiam & aperte comprobatur illa fictio & Pontificij nominis perpetua eluſio, quam toties prodidimus & conqueſti ſumus, qua Spongia non ſemel ridiculè gloriata eſt, vnicum eſſe ſcriptorum huiuſmodi ſcopum, ſedis Apoſtolicæ amplitudinem, eius in Anglia regiminis defenſionem Si enim Pontificij honoris ardor Ieſuitæ animum præcipuè incendiſſet, ſi ſedis Apoſtolicæ maieſtas ſcriptionis eius propoſita fuiſſet in ſcopum, non abeſſent epilogo tanti zeli ſcintillulæ, quibus

bus latens incendium & natiuos flagrantis animi motus cerneremus. Epilogus quippe ſenſuum motuumque priorum animi, præcipuè principalium, renouatio & redintegratio eſt, qua ſcribentis cogitationes toto opere fuſæ colliguntur & confluunt ad vltimam in legentium animos vno quaſi agmine impreſſionem. Neque præcepta Rhetorum hoc eloquentiæ genus, ſed natura ipſa docet, à qua eam & Rhetores didicerunt. Norunt imperiti quique; Nouit rude vulgus; Ipſæ feminæ, ſi quid ardentiùs agunt, vti ſolent, nec aliter poſſunt, natura ipſa in hanc viam impellente. Quanto minus peccent in hanc artem Moliniſtæ, cultiſſimi homines, claſſibus inferioribus innutriti, ſæcularium librorum helluones? Quòd igitur à Spongiæ epilogo Pontificis nomen abeſt, quòd Apoſtolicæ amplitudinis obliuio Ieſuitam in extremo cepit, quòd regularium famæ & ſolius Societatis gloriæ recordatus eſt, veritatem tandem aperit, fallacias priores reſoluit, ſicut in fabulis ea quæ figmentis & ſcenico artificio diu inuoluta fuerunt, ad extremum clariore cataſtrophe terminantur. Hæc ergo ſaltem veritas, hic Ieſuitæ candor probandus eſt, quo præteritæ ſimulationis conſcius, videtur ſaltem in fine reſipiſcere & gloriam Deo dare voluiſſe. Sola ſe vindicandæ gloriæ, auertendæ infamiæ, quæ ſuis hæreſibus ſocietatis nomini hæret, cupiditate, ſola Cenſuræ impatientia, qua ſuam ſuorum-

Digitized by Google

que immenſam illam elationem & ſcientiarum arrogantiam depreſſam ferre non potuit, ad Spongiam confugiſſe, à Spongia rebus afflictis ſubſidium petiiſſe, declarat. Quod enim in errores infandos, in præſumptionem incredibilem, in planiſſimas hæreſes, dictum eſt, id omne in Ieſuiticæ ſocietatis iniuriam, in Moliniſtici nominis contumeliam accipit, vt Iudæus ille Chriſtum Phariſæorum vitia increpantem redarguens, *Magiſter*, inquit, *hæc dicens etiam contumeliam nobis*
Luc.11.
cict. Nempe quod Ieſuitæ *pro fide Catholica apud Anglos Hibernoſque laborare ſe dicant*, ferendæ ſunt, & æqui bonique conſulendæ hæreſes, offenſiones, ſcandala, quę apud Anglos Hibernoſque ſcriptis patria lingua libellis ſpargere & inculcare cernuntur. Quò fidem Catholicam apud hæreticos alacriùs aſſerant, probandum eſt vt eam apud Catholicos diſturbent, & illius diſſipatione commodis, potentiæ, gloriæ velificentur. Adeone nihil ſapiunt, vt tales nænias obtrudant, earumque metu cordatos homines, viros graues, mouere conentur? Timeant potius, non Moliniſtica fiducia, ſed Paulina humilitate,
1. Cor.9.
ne forte cum aliis prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur. Sentiant *ſe indignos vocari Apoſtolos*, ſacer-
1. Cor. 15.
dotes, religioſos, *quia perſecuti ſunt Eccleſiam Dei*,
1 Tim.1.
quia blaſphemi fuerunt, *perſecutores*, *contumelioſi*; non, vt Paulus, *ignorantes*, *in incredulitate*, ſed volentes, ſcientes, in ſchola fidei, in media Ec-

Digitized by Google

cleſia, in ipſa, vt iactitant, fidei malitia, & propugnatione, infidi Deo, ſui immemores, præuaricatores religionis effecti, quia *dilexerunt gloriam hominum magis quàm gloriam Dei*, & *conſcientiam bonam repulerunt.* Iοan. 12. Hôc igitur odioſiores ſunt, & quauis pœna digniores, quòd Eccleſiam quam ſe tueri iactitant perturbant, contentionibus miſcent, factionibus in paſtorem à ſede Apoſtolica delegatum fœdant, errorum hæreſumque quadam caligine obducunt, vt quod in illius tranquillitate ſe aſſequi poſſe diffidunt, in illius conturbatione aſſequantur. Hæc damnanda, hæc execranda ſunt bonis omnibus, ſinceritatis, veritatis, fidei Catholicæ amantibus. Demittant animos; agnoſcant ſe; pœnitentiam, non gloriam cogitent; deprimantur ſi non tanti flagitij dolore, ſaltem impotentiæ, imperitiæ, inſulſitatis magnitudine, quam in eo perpetrando declararunt. Hoc enim in Spongia mirabile, & propè ſingulare eſt, quòd ſummam gloriam ſumma inſcitiâ cumulatam habet, vt gloria & ignorantia inter ſe certare videantur. Non veremur ne hoc ardentiùs & augendi cauſa ſcribere putemur, ſi modò quis reſponſiones Spongiæ, & noſtras confutationes attenderit. Plura enim quiſque lector ſponte ſua cogitabit, quàm nos exprimere valeamus. Non temerè quicquam contemptius, ingenio & doctrina, natura & arte inanius fingi poſſe fatebitur. Quare ſi maximè Cenſura Theo-

logicæ Facultatis indocta *ineptáque* eſſet, vt dicitur à Ieſuita, iſta certe qualiſcumque ineptia nulla eſſet ad Spongiam, cuius propria cæcitas, cuius natiuæ tenebræ tantæ ſunt vndique, vt ignorantiam quamcumque aliam obſcurare, & intuentium oculis eripere poſſent, quemadmodum minora lumina maioribus obſcurantur, & aſpectum effugiunt. Veruntamen Cenſura eximia & inſignis eſt, prudentia, iudicio, moderatione, ſi quis eam propiùs & Spongiæ in eam obiectiones, & earum obiectionum eliſiones intueatur. Digniſſima eſt antiquo nomine & antiquo illo in ſtrenuè vindicanda Eccleſiæ Catholicæ doctrina laude Sorbonicæ domus totiuſque Pariſienſis Facultatis; quamuis Spongiæ amaræ ſordes, & enormis procacitas abunde doceant Ieſuitas ea indignos, & longè aliter caſtigari meruiſſe. Præbenda equidem Spongiæ fuerat cauſa idonea vt ſuum iſtud *acetum* effunderet, non tam *aqua mixtum*, quàm meracum, vel dilutum felle. quo illud ſine cauſa tam vbertim commiſcuit. Tanta enim vniuerſi ſermones eius acerbitate redundant, vt difficile in eis aquam, niſi in incredibili rationum debilitate reperias, quam tantam dicere licet, quantam nullius aquæ inſulſitatem. Adeo rurſus turbulentorum motuum varietate tumeſcunt, vt feruidum potius mare, quàm concluſam in Spongia aquam exhibere videantur. Decuerat longe magis religioſum hominem *vino* &

oleo, more nouæ legis; implere Spongiam, quàm *aceto aquâ mixto*, quod ſolos in Euangelió carnifices adhibuiſſe legimus, cùm Dei filium omni crudelitate mactarunt. *Vinum* & *oleum*, vim lenitatemque notant, proprias Chriſtianorum dotes; *Aqua* & *acetum*, infirmitatem & violentiam, quibus nihil à Chriſtianorum officiis remotius, nihil à Regularium, à Ieſuitarum altiſſima illa & incomparabili, vt videri volunt, perfectione, diſcrepantius, etſi nihil eorum ingeniis moribuſque coniunctius. Macte tamen Ieſuita *Floyde*; factus es voti compos; perfeciſti quod optaſti, tametſi aliter quam te id optaſſe credendum eſt. Penetrauit intimè Spongia, non in mentem, vel in famam Pariſienſis Facultatis, quæ à tua fœce & ab vniuerſis Moliniſticæ amarulentiæ venenis non tam inuicta eſt, quàm intacta; ſed in Eccleſiæ virorumque grauium animos, & in orbis famam, è qua nullis vnquam tuis tuorumque artibus expungi poterit. Manebit iſta macula Ieſuitici nominis; hærebit bonórum omnium mentibus tantorum tumultuum, & prodigioſi furialiſque libelli memoria, qua velut antidoto conſuetas illas Ieſuitarum de ſuo in Eccleſiam ſupra Catholicos omnes zelo, ingenio, eruditione, prudentia, gloriationes, in poſterum refutabunt. Fruſtra enim poſt inſani operis editionem quo Eccleſiaſticę doctrinæ, & Apoſtolicæ ſedis maieſtas tam variè apertéque illuditur, & incredibilis in rebus

Luc. 10.

Matt. 27.

Theologicis ignorantiæ ſtuporiſque portenta certatim in legentium oculos irruunt, Ieſuitica illa gloria cantabitur non credenti amplius, & veritatis conſcio, iamque Ieſuiticis præſtigiis expedito Orbi. Imò, quod à diuinæ prouidentiæ benignitate ſperandum eſt, non aliis ſolùm ab errore liberandis proderit liber iſte, ſed ipſis etiam Ieſuitis, Ieſuitici morbi domeſticum catharticum ſuis remedium erit, & iniquiſſimarum præſumptionum quæ in eorum cordibus iampridem inueterauerant, aptiſſima *Spongia* exiſtet; vt eis Pariſienſis Facultas illud Ioſephi ad fratres iam iactans &
Geneſ.50. gratulabunda referat, *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALFREDO FARNESI
ROMA
[illegible] 19-20
Legatore di Libri

Digitized by Google